

DELIBATIO AFRICANÆ HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ,

SIVE

Optati Mileuitani libri VII. ad Parmenianum de Schismate Donatistarum.

Victoris Vticensis libri III. de Persecutione Vandalica in Africa,

Cum annotationibus ex Fr. Balduini I. C. Commentariis rerum Ecclesiasticarum.



PARISIIS,

Apud Claudium Fremy, via Iacobæa, sub diui Martini insigni.

1569.

CVM PRIVILEGIO REGIS.

EXTRAICT DV Priuilege.

PAR grace & Priuilege du Roy, est permis à Claude Fremy, marchant Libraire en l'vniuersité de Paris, d'imprimer ou faire imprimer, mettre en vente, & distribuer vne fois ou plusieurs, vn liure intitulé, Delibatio Africanæ historiæ Ecclesiasticæ, Siue, Optati Mileuitani, &c. *Et faict ledict Seigneur defence à tous autres de quelque qualité qu'ils soient, de non imprimer, ou faire imprimer, vẽdre ny distribuer en ses païs, terres, & seigneuries ledict liure, sans le congé & consentement dudict Fremy, iusques au tẽps & terme de six ans finis & accomplis, à compter du iour & date qu'il sera acheué d'imprimer, sur les peines contenues és lettres patentes dudict Seigneur. Donnees à Paris le trezieme iour de Feurier, l'an mil cinq cens soixante sept.*

Ainsi signé, *Par le Roy.*

ROBERTET.

Et seellees du grand seau.

FR. BALDVINVS, CASPARO BARCHINO I.C. & cauſarum criminalium Iudici Mediolanenſi, viro Clariſſ.
S. D.



CCEPI hiſce diebus literas ad me tuas, quibus me valde hortaris ad edendos hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Cōmentarios, quorum ais in Italia magnam, prædicatione tua, expectationem cōcitatam eſſe. Ego verò mi Barchine vereor, ne, ſi velim quidem, præſtare, quod pro me nimium liberaliter ſpopondiſti, facile poſſim: & tametſi in te amem & agnoſcam illam, quæ paucorum eſt huius ordinis Iuriſconſultorum, cordatam conſtantémque pietatē: tamen vide, ne amor erga me tuus officiat luminibus iudicij tui de ſtudiis noſtris: qui quidem in hoc genere multò plus mihi fortaſſe tribuis, quàm agnoſcere ipſe poſſim: præſertim cùm in literis tuis confirmes, ſponſionem illam

tuam eò processisse, vt non dubites me Romam inuitatum vocatúmque iri, veteris historiæ Ecclesiasticæ causa, cuius illic instituti aliquam descriptionem integram, veram, & eruditam, iampridem etiam ab aliis audio. Iampridẽ (fateor) oportuit illam non institutam modò fuisse, sed & perfectam: neque ignoro, quid quantúmque industria alicuius Iurisconsulti in sua arte excellẽtis, hoc est, diuinarum humanarúmque rerum sciẽtia præstantis, conferre possit ad tale tãtúmque Opus. Sed non is ego sum, doctiss. Barchine: neque si quid in eo genere forte aliquando, nõ dicam, potui, sed volui (nam saltem voluisse me, & valde quidem voluisse, non dissimulo) non debilitatum est, ex quo in Galliam reuersus sum, tam & longa & funesta tristissimorum temporũ intemperie: & ex quo à nobis discessisti, noua quadam & indigniori ingratorum hospitum (sed qui clam merebant Vesanæ Factioni: habet enim & hæc suos Beneficiarios) siue barbarie, siue iniuria, quæ me etiã, iis, quos ad id, quo de nunc agis, magno labore comparaueram, indicibus commenta-

riiſque ſpoliauit. Quid moror? Etſi auſus aliquando ſim tibi ſpondere, quàm iampridem neglecta fuere ab iis, à quibus Eccleſia minimè olim putaſſet, monumenta veterum Actorum, tam quandoque aliis, à quibus id minimè illa aut ſperaſſet aut expectaſſet, cordi fore curam huiuſce rei: tamen res deinde ipſa fecit, vt negare non poſſim, vix fieri ſatis poſſe, quod in ea neceſſe eſt, ſi vel nihil iſta curant ij, quorum magis intereſt, vel etiam obturbant, qui ſcriniis Eccleſiaſticis incubant. Verum age: ſi quos debet potéſtque Roma reuocet ad officium, ſitque tandem (quod polliceri viděris) ἐργοδιώκτης, rurſus ſpondebo, non defuturos quoſdam noſtri ordinis, qui architectis optimi maximi Operis multa minime protrita ſuppeditent. Et verò, quia in hunc ſermonem ingreſſus ſum, iam tibi etiam familiariter narrabo, quod non ignorare te non nolo. Audiebam hiſce diebus amicum quendam meum, quem ſi tibi nominauero, & doctiſſimum & acerrimum bonarum partium patronum eſſe confiteberis, virum profecto cordatum & ſapientem, grauiter differere de

facili liquidáque diiudicatione Ecclesiasticarum huius temporis controuersiarum, si quæstionem facti veteris, quæ definita & illustrata vix vllam deinde iuris in eo genere dubitationẽ relinquet, ipsa historia definiat. Deplorare autem aliam actionem nostrorum temporum & veluti fatalem quandã confusionem: denique indigne ferre causam qua de, toto hoc orbe, tanto motu agitur, etiam bonam male agi, & quæ ad eam bene agendam necessaria sunt, nõ suppeditari ab iis, quorum imprimis interest: sæpe etiã ineptos homines (ne quid grauius dicatur) ambitiose in hac contentione suscipere, quod sustinere neque possunt neque volunt: denique nonnullos præuaricari videri. qua ille indignitate ad indignationem commotus exclamabat illud vetus,

Tradite signa viris, ignaui signa Quirites.

Conquerebatur autem potissimum de neglectione veteris memorię Ecclesiasticæ, cuius recordationem bene restitu tam, optimam fore vel aduersariorũ refutationem, vel controuersiarum defini tionem, & mecum & tecum sentiebat.

Ego cùm multa illi reſponderem, quæ querimoniam illam minuerent, tùm verò de ſtudiis & laboribus Onufrij veſtri (quorum multo maior hic concitata in hoc genere fuit expectatio, prædicatione mea, quàm iſtic meorum, tua) narrare cœpi, quod merito ſperaueram, cùm eũ audirem iampridem Romę, quod requirimus, ſedulò agere, multis magníſque monumẽtis inſtructum, & præſidiis auxiliíſque plurimus adiutum. Nam & cuius viri egregios labores in illuſtrãda hiſtoria Romana & ciuili optime poſitos laudabã & admirabar, eius viri, qui ſeſe Eremitã ordinis Auguſtiniani eſſe profitebatur, diligentiam multò etiam maiorem fore in hiſtoriæ Eccleſiaſticæ deſcriptione, minime dubitabã. Cùm multa, cur id confirmarem, dixiſſem: ecce, allatum tandem ad nos eſt, eius Chronicon (vt inſcribit) Eccleſiaſticũ: quod ille pluribus annis in maxima optimorum monumentorum copia Romæ ſeſe elaboraſſe pręfatur. Vis, nihil vt apud te diſſimulem? Accidit mihi, quod, tibi de me ſpondenti vt accidat, vereor. Cùm illud inſpectum eſt, non potui ſatis reſpõdere

iis,qui nõ modo expectationi ſuæ,ſponſioníq; meæ minime id reſpõdere querebantur, ſed etiam carbones(quod dicitur) ꝓ theſauro, & aridũ modo quoddam ſine anima cadauer (tametſi intẽperans mihi viſa ſit tam acerba Cẽſura) eſſe cauſabantur. Scis, me hominis doctiſſimi ſtudiis & honori, vehementer, ſicuti debeo, fauere: cùm & ille mihi in illo ſuo chronico, multò plus tribuat, quàm debeat. Sed cùm exciperem, indicem modo aliquem temporis ab illo inſtitutum fuiſſe in Chronico, &, ſi eius teſtimonia iam non adiecerit, expectãda illa eſſe in Commentariis integræ hiſtoriæ, in quibus rẽ totã exponet: ne ſic potui quidẽ ſatisfacere nonnullis moroſe replicantibus, multum quoque eſſe ἀνιστορησίας in illa breui Chronologia Eccleſiaſtica: & cùm in nominibus temporibúſque Conſulum & Imperatorum, de quibus minus laborabamus, magna ſit Indicis illius diligentia: in rebus Eccleſiaſticis, quibus de quęritur, indicandis, non modo adhibitam non eſſe, quæ debuit potuítue: ſed etiã in indicatis multum eſſe erroris. Cùm id illi obiicerent,

forte placuit in hiſtoria Donatiſtarum, de qua hoc tempore hic frequens quæſtio eſt,&cuius aliquã partem propterea ad te mitto,periculum facere,in qua doctiſſimum hominem Ordinis Auguſtiniani minus dubitabam ex Auguſtino ſuo repetere,quod ad eam pertinet.Sed ea tota de re nihil aliud in Onufriano Chronico reperimus,quàm,anno ſexto Imp. Conſtãtini,Donatum fuiſſe,à quo hæreſis Donatiſtarum,quã Auguſtinus exagitauerit: annóque ſequẽti ſchiſma Donatiſtarum in Africa fuiſſe: & altero rurſus anno ſequenti fuiſſe Romanam Synodum in cauſa Cęciliani Epiſcopi Carthaginenſis,& Arelatẽſem primam, & Carthaginenſem in cauſa Cæciliani. Hîc ego aut inficiari aut diſſimulare nõ potui , quantum in tam breui indice erroris & prępoſteri ineſſet: neque non id multò magis intelliges ex libello,quem nunc ad te mitto. Sed magis deinde miratus ſum,quod in eo Chronico,Optati noſtri mentio demum fieret anno Chriſti trecẽteſimo nonageſimo nono. Atqui Optatus ipſe profitetur ſeſe ſuos libros ſcripſiſſe circa annum Chriſti

trecentesimum sexagesimum tertium. Vt autem serius Optati Onufrius meminisse videbatur, sic citius, synodi Mileuitanæ: quam quidem annotat contra Pelagium coiuisse anno Christi quadringentesimo secundo: Carthaginensem verò contra eundem Pelagiũ anno quadringẽtesimo decimo tertio. Atqui ipse Augustinus vtranque eodem tempore conuenisse sępe indicat: & responsum Innocentij Papę ad Patres Mileuitanos datum est vj. Kal. Februar. Honorio A. xj. Constantio II. Coss. quos quidẽ Cõsules fuisse anno Christi quadringentesimo decimo tertio Onufrius ipse alioqui agnoscit. Et quanuis in vulgari Prosperi Chronico mendose annotatũ sit, quod & Onufrius in suo sequitur, anno priori mortuum esse illum Innocentiũ, tamen ne hic quidem error alterũ Onufrij errorem de anno Mileuitanæ synodi excusauerit: &, quod dixi, Innocentij responsum, conuincit, verius esse quod est in Marcellini Chronico, mortuum esse Innocentium, iis, quos dixi, Consulibus, v. Kal. Augusti, hoc est, sex mensibus posteaquam Mileuitanis Patribus

reſpondiſſet. Multum autem intereſſe in tota hac hiſtoria vicioſam falſámue non eſſe Chronologiam, nemo eſt, qui non ſentiat. Itaq; & illud miratus ſum, quod Onufrius, vbi prȩterita Collationis Carthaginenſis mentione annotat neſcio quam Synodum Carthaginenſem contra Donatiſtas conueniſſe anno Chriſti quadringenteſimo decimo quarto, addit, eodem anno fuiſſe Donatiſtarum Synodum Cebarſuſſenſem in Africa. Credo eum ſignificare velle, quod ab Auguſtino commemorari memini Cubarſuſſitanum Concilium Donatiſtarum. Atqui Auguſtinus non obſcure ſignificat id cōueniſſe ante annum Chriſti trecenteſimum nonageſimum quartum, cùm quidem libr. 3. contra Creſc. cap. 56. teſtetur id habitum eſſe ante alterum illud Donatiſtarum Concilium Bagaïtanum, quod vno ante Theodoſij mortem anno coiit.

Hæc, mi Barchine, & huius generis plura obiter notabantur, cùm, ea, quam dixi, occaſione forte inſpiceretur Eccleſiaſticum ex Italia ad nos miſſum Chronicon viri doctiſſimi, cum literis illis ad

me tuis: quibus veluti expoſtulando atque exprobrando hortaris & vrges, vt quos,cum hic eſſes,videbas à me colligi Indices maiores antiquitatum Eccleſiaſticarum,& cum Iuris noſtri Ciuilis Cõmentariis coniungi valde probabas,aliquando edam.Non vtar vlla aut deprecatione aut excuſatione,quæ non facile probari optimis tuíque ſimilimis Iudicibus poſſit.Tempora,quæ nunc ſint,vides:&ex iſto tuo portu proſpicis,quibus hic fluctibus iactemur. Occupationes quæ præterea meæ ſint, non neſcies, cũ audies,me,vt oculos & aures auerterem abs conſpectu & auditione triſtiſſimorum tumultuũ, quibus iampridem hoc Regnum concutitur,ita abditum in bibliotheca eſſe (quid enim in Repu.melius agerẽ!) vt tamẽ quotidianis duabus prælectionibus,quæ ciuilibus ſtudiis,in quibus ętatem conſumpſi,magis conueniunt,& quarum memoria fortaſſe extabit,auditorium meum aſſidue exerceã. Interea,vt veluti extraordinẽ ſuſcipiam maius illud,quod imponis,onus(etſi auctore te nihil nõ facturus ſim) an auctor rurſus ſis,vide. Non obiicio,verendum

eſſe,ne aliquo tãquã interdicto,finiúmue regundorum iudicio,vel denique aliqua veluti noui operis nuntiatione impediamur. Non enim hiſtoriæ vllius factiue veteris quęſtiones abs Iuriſcõſulti officio alienæ ſunt. Sed etſi aliorũ olim fuerit hęc cura,ſic iampridem ab iis deſerta eſt,vt laborioſæ occupationi facile pateat: metuendum vt non ſit,quod potius eſſet optandum, aliquando eos velle (quod apud Ciceronem ex Iuris noſtri formulis dicitur) nõ modò interdicto recuperare amiſſam poſſeſſionẽ, ſed etiam tanquam ſurculo defringendo vſurpare. Illud potius vereor,ne qui neceſſariis præſidiis, ſedulo abutendo, eáque ocioſe retinendo, officium ſuũ in alios interea ſuauiter reiiciunt, officioſorum hominum, qui minime ſtupidi ſunt,ſtudia, quæ hoc modo irridentur, infringant. Certè tam ſtupidi non ſunt, quamuis mercenarij non ſint, Iurisconſulti, quin reiiciãt Leoninam (vt vocãt) ſocietatem, qua fiat, vt alii, nihil agendo, in Rep. honores & commoda omnia percipiant præripiántue: alij ex ſuis laboribus nihil referant præter onera &

incommoda,& ærumnas. Scilicet,quia prẹmio & pœna contineri Remp. dixit olim magnus illeLegiſlator, iuſticia hẹc geometricæ (vt Ariſtoteles vocat) proportionis eſt,vt pœna,bene meriti:prẹmio, male meriti afficiantur. Cæterum alia ſunt,quæ magis me mouēt,vt in eo, quo de nūc mecum agis, Opere, malim mihi (quod dicitur) & Muſis domi hoc tempore priuatim canere, quandiu experior,quod aliquot iam annis nimiū expertus ſum in veteris Eccleſiæ aduerſus Bezam prouocantē ſuſcepta defenſione. Equidem antea ſolebam, cum impios profanóſque leguleios, quos Iuriſconſultorum numero nunquam habuero,odiſſe me non diſſimularē,neque vnquam diſſimulabo, alios ad id hortári, ad quod tu me nunc reuocas: & exemplum,ne longius repetatur,ſcio in iſtius tuæ nobiliſſimæ ciuitatis memoria veteri maximum extare coniungendæ cū religionis ſcientia & defenſione Iuriſprudentiæ: dico Ambroſium illum veſtrum quondam Antiſtitē,& paulò antè Prætorē. Itaque ſcito te etiamnum hoc nomine maximè mihi placere, & Iuris-

conſultum verum propterea videri mul tò magis: cuius & alterum exemplum leges in hoc libello, Marcellinũ dico Præſidem Carthaginenſem. Sed hoc mihi viciſſim dato, vt quandiu hic incluſus aliud ago, & quam ſit (vt ille olim dixit) δυσμεταχέριστον negotium, quod mãdas, ſentio, differre poſſim editionem, quam vrges. Et tamen ne literæ tuæ nihil abs me nunc impetraſſe videantur, quibus petis, ſaltem vt recudatur Conſtãtinus noſter, quẽ à me multò etiam ſeuerius, quàm fecerint quidam cenſores, caſtigatum atque ita recognitum eſſe non ignoras, vt ſi prodeat, facilè inducturus illum ſit, qui olim me abſente in Germania infeliciter & mendoſe & mutilate editus fuit ante annos duodecim: equidem prolixe tibi ſpondeo, ſtatim atque maioribus libris edendis per hæc tempora operam dare licebit, facturum eſſe me, ꝙ & deſideras & diutius negligere integrum mihi non eſt: ídque etiam cumulate facturum eſſe me ſpero. Nam cũ Conſtantino Theodoſium coniungere inſtitui. Interea, quod abs Conſtantini hiſtoria minime alienum eſt, accipies

quos nunc ad te do libellos, tumultuariè, vt ex reipsa iudicabis, & collectos & editos, cum & Optatum nostrum recognoscerem, & de Onufriani Chronici parte illa, de qua dixi, quæsitum esset, & tuis aliqua saltem ex parte literis satisfacere me velle, hoc testimonio cõfirmare vellem. Vale, Lutetiæ Parisiorum, Idibus Martiis.

Lectori.

D historiæ Africanæ historiam veterem pertinent Optati Mileuitani & Victoris Vticensis libelli. Neque negauero in eorum lectione tenendam quoque esse vniuersæ Africæ Geographiam. Sed vt ex illa eius descriptione, quam Strabo, Mela, Plinius, Ptolomæus olim edidere, fateor aliquid lucis accedere hisce libellis, sic ex his vicißim dico illam ipsam eiusque & fines & vrbes rursus illustrari. Addo etiam non modo ipsum Orosium lib. 1. cap. 2. sed & nostrum postremo Iustinianum in l. 1. & 2. C. de offic. Præf. Præt. Afr. vbi cùm nouum & proprium Africæ regendæ, quam Vandalis eripuerat, Præfectũ Prætorio daret, cuius sedes esset in vrbe Carthaginensi, enumerat quas esse vult septẽ illius prouincias, & singularum veluti metropoles. Ac quidem in Concilio Mileuitano non nisi quinque enumeratæ fuerant. Sed Iustinianus primo loco adiungit, quam vocat Zeugi. Vulgo impressum est mendosè Tingi. Nam hęc potius est ipsius Mauritaniæ, quæ & Tingitana propterea dicitur. Zeugitanæ autem prouinciæ in Africa sæpe etiam meminit Victor Vticensis: vt & Plinius. Secundam autem Africæ Prouinciã Iustinianus vocat simpliciter Carthaginensem: quam & antea vocatam esse Proconsularẽ admonet. Certè Optatus & Victor Proconsularem appellare solent: atque ita quoque sæpe nominatur in Codice Constitutionũ. Reliquas Africæ prouincias, quæ nominantur in Synodo Mileuitana, & sparsim in hisce libellis Optati et Victoris, nominat similiter Iustinianus, Tri-

politanam,cuius Ducem in Lepti magna sedere vult: ByZacenam,cuius Dux in Capsa & Lepti altera sedeat: Numidiam,cuius Dux in Vrbe Constantinensi: Mauritaniam,cuius Dux in Cæsariensi: postremóque Sardiniam Insulam,quam Africanæ quoque diœceseos esse iubet. Nam & hanc cum Corsica Vandalus Africæ Tyrannus antea occupauerat, vt Victor li.I. narrat.

Cæterum factum est ignorantia geographiæ Africanæ, vt cum noster Optatus dicitur Mileuitanus, quidam non modo dubitarint, cuias esset, sed & finxerint esse insularem. Equidem cum Donatum illum, qui à casis nigris dicitur, fuisse Numidam admonui, sic & Optatum Donati aduersarium, Numidiæ Episcopum intelligi, cum Mileuitanus dicitur, adieceram: neque quẽquam hominem literatum id negasse putabam. Et ecce audio, quibusdam etiamnum videri (quo nihil stultius fingi potest) potius fuisse Melitẽsem. Nã Quintinus Heduus, qui superioribus annis docebat Ius (vt vocant) Canonicũ in ea Schola, in qua nunc doceo Ius ciuile, doctor profecto Canonum minime illiteratus, cũ Melitam insulam describeret, & (vt in ea educatus cum Rhodiis, vt appellantur, Equitibus aliquãdo fuerat) laudare vellet, scripsit, Concilium, quod Mileuitanum dicitur, fuisse Melitense. & Mileuitum vrbem nescio quam dici à Melita. Risi, cum id legi, visúmque mihi est tam monstrosum, quam si quis diceret Concilium Sardicense fuisse Sardiniense: proptereáque nemini probari id posse putabam. Sed tantò magis miratus sum, cum audiui nostrum Quintinum non modo multis suis auditoribus persuasisse, sed & illi Conci-

liorum Consarcinatori Coloniensi: qui similiter præmonet Concilium Mileuitanum habitum esse in Insula, quæ nunc Malta dicitur. Itáne verò? Ego nauigando nũquam ad littus Africæ tam propè accessi, quàm Doctor Quintinus suorum Equitum classem secutus. Et tamen scio non posse eum euincere, quod affirmat, nisi si euincat & probet, vel Numidiam esse in Melita insula, vel Melitam insulam esse in Numidia. Vereor etiam ne quis nasutus hic obiiciat, quod Lucianus salse scripsit, sese imperitia cuiusdam partim Geographi, partim historiographi, repente ex Græco factum esse Babylonium, patriámque suam ab Hellesponto auulsam cum ipsis mœnibus & turribus translatam esse in mediam Mesopotamiam Sed quid diceret Optatus, quid Patres Mileuitani, si iam audirent sese ex Mileui Numidiæ deportari in Insulam Melitam, vt olim damnati, in Sardiniam. Sanè, vt Optatus, cum Concilium Numidiæ vocat, intelligit quoddam Cirtense: sic Augustinus Mileuitanum solet appellare Concilium Numidiæ, veluti in epist. 47. & 92. & 94. & 95. atque vt Mileuitani Patres profitẽtur sese ex Concilio Numidiæ scribere ad Innocentium Papam, sic Innocẽtius in suo ad eos responso ait sibi scriptum esse ex Concilio Mileuitano. Equidem hæsi aliquando, cum quærerem locum in Numidia, cuius appellatio propius etiam quam Melitæ, accederet ad Mileuitanum. Tandem commode incidi in Augustini epist. 168. qui Mileuim oppidum vocat. Sed & cum in Carthaginensi Synodo Cypriani, vbi Episcopi Numidiæ dicunt suam sententiam de anabaptismo, legerem inter eos numerari & nominari quẽdam Pollia-

num à Mileo, sicuti impressum legitur in libris Cypriani: & suspicarer de aliquo mendo, coiiceremque legendum potius esse. Pollianus à Mileui: *consului alteram scripturam Actorum illius Concilij, quæ similiter recitantur ab Augustino, libr.* vj. *de Baptis. reperique apud eum ita scriptum esse, vt scribendum esse diuinarã: & cum illo Polliano à Mileui, in eodem Concilio paulò antè nominari alios duos eiusdem Numidiæ antistites, Felicem à Bagai, & Crescentem à Cirta. Credo, ne Quintinum quidem dubitare de Cirta Numidiæ. Si de Bagai aliquis dubitat, legat Donatistarum Concilium Bagaitanum apud Augustinum lib.3.contra Crescon.cap.53.& 56.& Mileuitanum a Mileui, vt Bagaitanum a Bagai dici, agnoscat. Sed neque Mileuim aut Bagaim quisquam magis miretur a nobis referri inter oppida Numidiæ, quàm Tuburbim aut Curubim inter oppida Africæ, a Plinio, lib. 5.cap.4. Denique notum est quod idem Plinius ait, populorum Africæ oppidorumque nomina vel maximè ineffabilia esse præterquam ipsorum linguis. Id verò magis dixerit, qui Optati & Victoris libellos, quos edimus, legerit. Equidem non dubito facile probari omnibus, quod in Poßidio de vita Augustini obseruaui* Ecclesiam Cittensem *pro* Cirtensem *mendosè legi: vt & in nostris Pandectis Flor. fit mentio Resp. Cirtensium, cum in aliis libris viciosè scriptum sit, Cyrenensium. l.ix. De iur. & facti ignor. Quis propterea ferat Cirtam ex Numidia transferri in Cyrenaicam? Iure profectò ipse Quintinus explicans Zonaram de Canon. Apost. irridet eos, qui ex Carchedone, id est, Carthagine, finxerunt aliquando*

Calchedonem: neque negabit eadem reprehensione dignos esse, qui Byzaciũ, quod est in Africa, somniant esse Byzantium in Thracia: & tali mendo libros quoque Iuris contaminarunt. Nunc iudicet, plausum an risum in auditorio Iuris, mereatur, qui Mileuim in Melitam transformat. Tot hac de re verba non facerem, nisi si auditoribus Quintinianis error tam ridiculus verbo vno eripi non posset, minus licet coloris habeat, quàm si quis dicat. Mileuitanum Concilium dici abs Melitena illa Armeniæ metropoli, quam tantopere prædicat noster Iustinianus in Nou.31. Nam & cuiusdam Synodi Melitinensis meminit Sozomenus lib.4.cap.24. Melitensis alicuius aliquem olim meminisse nusquam legi. Et quid tandem mentis fuisset Afris Patribus, si relicta tota sua Africa, vbi longe aliud habebãt, ꝙ agerent, periculosa per medias Sirtes nauigatione traiecissent in illam aridam & angustam insulam, vt ibi tanquam in carcere inclusi, & toto diuisi orbe, deliberarent de rebus ad Ecclesiam Africanam pertinentibus, & in medio mari transmarinas appellationes (nam eas reprimit Synodus Mileuitana) inhiberent. Ergo neque nobilissimæ illi Synodo, neque Optato nostro hanc iniuriam ridicula fictione fieri patior. Vt autem Optato dem successorem: Augustinus in epist.34. ad Paulinum laudat beatissimũ (vt vocat) Seuerum, suum condiscipulum, antistitem Ecclesiæ Mileuitanæ, bene (inquit) apud eandem ciuitatem fratribus cognitum. Idem Augustinus libr.3. contra Petil.cap.38. meminit damnati cuiusdam Honorij Mileuitani in Africana Ecclesia. Denique Faustum illum Manichæum, gente Afrum, ciuitate fuisse

Mileuitanum ait, hominem (inquit) acuti ingenij, & expolitæ linguæ, sed nequißimum calumniatorem Christianæ religionis.

Si ferre non potui Optatum nostrum ex Mileuitano fieri Melitensem, aut ex Numida insularem, multò minus ferre debeo confundi cum alijs Optatis. Mitto illum Optatum Donatistam, quem in Synodo Bagaïtana, & Optatum Catholicum, quem in Cirtensi celebrari audio ab Augustino. Celebrior fuit & famosior Optatus Gildonianus, cuius & sæpius meminit Augustinus. Sed quis non indignè ferat, quosdam hodie Gildonianum à Mileuitano non discernere, cùm inter eos tantum interfuerit, quantum inter Donatistarum ducem sceleratißimum, & Catholicæ Ecclesiæ sanctißimum antistitem. Si quis roget, cur ille alter dicatur Gildonianus, respondebo quod Augustinus lib. 2. contra Petil. cap. 92. scribit, Optatum illum de satellitio Gildonis accusatum, pænas dedisse terribili mortis genere extinctum: sicuti & leges nostræ non modo Gildonem illum tyrannum, qui in Africa aduersus Imp. Honorium arma sumpsit, sed & eius satellites persequi se profitentur. L. 19. C. Th. de pæn. l. 19. C. Th. de bon. proscript. Sic & in l. 7. C. Th. de metat. dicuntur confiscata prædia Gildonis hostis publici, & satellitum eius: éstque lex Honoriana ad Pompeianum Proconsulem Africæ data Mediolani.

Qualem autem ipse Claudianus elegātißimis versibus describit fuisse Gildonem illum in Africa tyrānum & latronem, talem & Augustinus Optatum quendam Donatistam, eius satellitem, quem propte-

rea plerunque Gildonianum vocat. Verum etsi interdum non addat Gildonianum, & simpliciter vocet Optatum, tamen tam nefarium nebulonem fuisse testatur, vt ipsos etiam Donatistas eius puderet. Quàm valdè autem talem Optatum, vt debet, detestatur, tam etiam vehementer Optatum nostrum Mileuitanum laudat: quem quidem lib. 1. contra Parmen. ait, & venerabilis memoriæ esse & Catholicæ communionis. Idem in lib. post Collat. vocat Catholicum Episcopum, & in libro de Vnit. cap. 16. videtur eum cum ipso Ambrosio comparare: sicuti & deinde Fulgentius lib. 2. ad Monimum, Optatum hunc nostrum, quem Sanctum vocat, iudicat tam fidelem Pauli interpretem fuisse, quàm aut Ambrosium aut Augustinũ. Et tamen nolim tali comparatione Lectorem impediri, quin discernat, quantum intersit: sicuti & vbi quod attinet ad literarum eruditionem, Augustinus lib. 3. de doct. Christ cap. 40. videtur eum conferre cum Cypriano, Lactantio, Victorino.

Porro vt vbi desinit Optatus, cepi ex Augustino repetere quod sequitur in historia Africana Ecclesię: sic vbi Augustinus desinit, visum est subiungere quod Victor Vticensis deinde narrat. Sed de Vtica, vt de Mileui, nihil est necesse vt nunc addam quicquam. Omitto etiam quod in Pandectis nostris lego, Vticam non minus quàm Carthaginem, Iuris Italici fuisse, l. vlt. De Censib. Sed vt Mileuitano siue Numidæ gratior sit vicinus hic Collega Vticensis, dicam ipsam Cirtensem Coloniam in Numidiam ex Vticensi Conuentu deductam videri, cùm quidem illam Sittianorum vocatam fuisse Plinius testetur. P. autem Sit-

tium Equitem Rom. de Conuentu Vticensi fuisse Hirtius scribat.

Reliqua de Optato & Victore ex nostris deinde annotationibus petantur. Quam autem priori Optati editioni ante sex annos præfixeram prolixam præfationem, non de Optato modo, sed & de multis aliis capitibus rerum Ecclesiasticarum, de quibus vt tunc agerem, cogebat me conditio eius contentionis, ad quam vel inuitus pertractus eram, & acerrimi aduersarij cum quo mihi res erat, refellendi quædam necessitas: eam (inquam) vehementiorem præfationem in hac editione nolui inculcari: quam satis superque est editam suo tempore semel fuisse.

Lutetiæ Parisiorum, Idib. Martij. 1569.

OPTATI AFRI, MILEVITANI EPISCOPI,

DE *SCHISMATE DOnatiſtarum, aduerſus Parmenianum,*

LIBER PRIMVS.



Vnctos nos Chriſtianos, chariſſimi fratres, omnipotenti Deo fides vna commendat. Cuius fidei pars eſt, credere Filium Dei, Deum, iudicem ſæculi eſſe venturum, eum qui iampridem venerat, & ſecundum hominem ſuum, per Mariam virginem natus eſt, paſſus, mortuus & ſepultus, reſurrexit: Et antequam in cœlum aſcenderet, (vnde deſcenderat) Chriſtianis nobis omnibus ſuam per Apoſtolos pacem dereliquit. Quam ne videretur ſolis Apoſtolis dimiſiſſe, ideo ait, *Quod vni ex vobis dico, omnibus dico.* Deinde ait, *Pacem meam do vobis: pacem meam relinquo vobis.* Sic igitur pax Chriſtianis omnibus data eſt. quam rem Dei eſſe conſtat, cùm dicit, *meam*: Cum autem dicit, *do vobis*, non ſolùm ſuã voluit eſſe, ſed & vniuerſorum in ſe credentiũ.

Quæ pax, si, vt data erat, sic integra inuiolatáque mansisset, nec ab autoribus schismatis turbaretur: inter nos & fratres nostros hodie non esset vlla dissensio: Nec illi inconsolabiles Deo lachrymas facerent, quod Esaias testatur: nec falsorum vatum nomen & actus incurrerent: nec ruinosum ac deálbatum extruerét parietem: nec minus astutas, sed simplices euerterent mentes: nec malè imponendo omnibus captiuis manũ, euersionis velamenta obtenderent, nec maledicerent Deo: nec rebaptizarent fideles: nec nos euersas aut occisas innocentium animas doleremus: quas prius doluit Deus, per Ezechieléprophetam, dicens: *Væ faciẽtibus velamen super omne caput, & super omnem ætatem, ad euertẽdas animas. Animæ euersæ, sunt populi mei: & maledicebãt mihi in populo meo, vt occiderent animas, quas non oportuit mori: dum adnunciant populo meo vanas seductiones*, Et tamen admissa sunt hæc ab iis, qui nostri sunt fratres. Sed ne quis dicat, me inconsideratè eos fratres appellare, qui tales sunt: ab Esaiæ prophetæ vocibus increpati exorbitare nõ possumus. Quamuis & illi non negẽt, & omnibus notum sit, quòd nos odio habeant, & execrentur, & nolunt se dici Fratres nostros: tamen nos recedere à timore Dei non possumus, quos hortatur spiritus sanctus per Esaiam Prophetã, dicens: *Vos qui timetis nomen Domini, audite nomẽ Domini: hi qui vos odio habent & execrantur, & nolunt se dici fratres nostros, vos tamen dicite eis, fra*

tres noſtri eſtis: Sunt igitur ſine dubio fratres, quáuis non boni. Quare nemo miretur, eos me appellare fratres,qui nō poſſunt nō eſſe fratres.

Eſt quidem nobis & illis vna ſpiritualis natiuitas,ſed diuerſi ſunt actus. Nam & Cham, qui patris ſui riſit impiè nuditatem, frater innocentium fuit:& pro merito ſuo iugum ſeruitutis incurrit,vt eſſet fratrib⁹ frater addictus. Ergo hoc nomen fraternitatis, nec interueniente peccato deponitur. Sed de iſtorum fratrum delictis dicam alio loco: Qui ſedentes aduerſus fratrem, detrahunt,& contra nos ſcandala ponunt:& cū illo fure concurrunt, qui Deo furtum faciunt. Et cum mœchis, id eſt, cum hæreticis, partem ſuam ponunt:& peccata ſua laudant: & conuitia contra nos Catholicos meditantur.

Omnes quidem per ſingula loca maledicis vocibus perſtrepunt:ſed vnum quidem vix inuenimus, cum quo per literas, vel hoc modo loquamur.Parmenianum ſcilicet,fratrem noſtrum: ſi tamē ſe à nobis vel hoc nomine nuncupari permittit.Et quia collegium Epiſcopale nolunt nobiſcum habere cōmune,non ſint collegæ, ſi nolunt:tamen (vt ſupra diximus) fratres ſunt.Frater meus igiturParmenian⁹,ne ventoſe ac nude, vt cæteri, loqueretur, quicquid ſentire potuit. non ſolùm dixit, ſed etiam in ſcriptura digeſſit: Cuius dictis,cum reſpondere, veritate cogente. compellimur: erit inter nos abſentes quoquomodo collatio.Eodem modo & ſatisfiet deſide

2 riis aliquorum. Nam à multis desideratum est, vt ad eruendam veritatem, ab aliquibus defensoribus partium cõflictus haberetur:& fieri potuit. Sed quoniã & accessum prohibent,& aditus intercludunt,& consessum vitant, & colloquium denegant:vel tecum mihi, frater Parmeniane, sit isto modo collatio : vt quia tractatus tuos,quos in manibus, & in ore multorum esse voluisti,non aspernatus sum, neque contempsi, sed omnia à te dicta patienter audiui : audias & tu humilitatis nostræ responsa. Nam & ego intelligo,& tu non negas, & quiuis sapiens peruidet, te nulla alia ratione tã prolixè tractasse, nisi vt Ecclesiam Catholicam tuis tractatibus indignè pulsares. Sed,vt intelligi datur, aliud habet animus, aliud resonat sermo. Denique omnia te video dixisse cõtra Catholicam : imo multa pro Catholica, cùm Catholicus non sis, vt & nobis necesse non fuerit tractatibus tuis respondere: nisi, quod dum malè instructus es, vt quod non vidisti,sed falso audieris,loquereris, cum in Epistola Petri Apostoli legerimus: *Nolite per opinionem iudicare fratres vestros:* vt inter aliqua,quæ ad nos non pertinent (sicuti probaturi sumus) diceres, à nobis contra vos militem esse postulatum.Cęterùm à te in aliis partibus tractatus tui, aliqua pro nobis dicta sunt,& contra vos:vt diluuij & circuncisionis comparatio.Quædam & pro nobis, & pro vobis, ea,quæ in laude dixisti baptismatis, præter illud quod carnem Christi

male tractaueris:ideo & pro vobis: quia quamuis foris ſitis, tamen ex nobis exiſtis. Nam & illud pro ambobus,quod demonſtraſti hæreticos extraneos eſſe Catholicis Sacramentis: ſi tamen voſipſos non eis adiungeres, quos eſſe ſchiſmaticos conſtat. Quædam pro nobis ſolis, vt cum vnius Eccleſiæ commemorationē faceres.Quędam contra vos per ignorantiā, (quia peregrinus es) vt traditorum & ſchiſmaticorum accuſationem.Etiam illud eſt contra vos,quod dixiſti de oleo & ſacrificio peccatoris. Ac per hoc nihil contra nos à te dictũ eſt,niſi quod ignorãter dixiſti, à nobis militem poſtulatum. Quod calumnioſe à te dictum eſſe, probationibus veriſſimis demonſtrabimus. Tolle hanc calumniam, & eris noſter.Quid enim magis dici pro nobis & noſtrũ eſſe poteſt, quàm quod dixiſti, in comparationem Baptiſmatis ſemel factum eſſe diluuium? Et ſingularem circumciſionem ſalubriter profeciſſe populo Iudæorum, magis pro nobis, quaſi noſter locutus es: Hæc enim noſtra vox eſt, qui in Trinitate Baptiſmatis vnionem defendimus: Non pro vobis qui Batiſma, in cuius imagine ſunt illa duo,audaciter, & quod contra leges eſt,iteratis: iij.quamuis &
vos ipſi non negetis, quia non debet iterari, 3
quod ſemel iuſſum eſt fieri. Sed dum ſubtiliter laudaſti, quod omni laudis præconio dignum eſt: callidè veſtram ſuppoſuiſti perſonam, vt quaſi,quia ſemel licet,vobis liceat, aliis denege-

tur. Si Traditoribus non licet: vobis licere non debuit, quorum principes probamus fuisse Traditores. Si Schismaticis non licet: adæquè vobis licere non debuit, apud quos origo schismatis inuenitur. Si peccatoribus non licet: etiã peccatores vos esse testimonio diuino cõuincimus. Et tamen quia licet, non per electum hominẽ, sed per quod semel licet: ideo post vos non emendamus, quia & apud nos & apud vos, vnum est Sacramẽtum. Cuius Sacramenti ratio, tota quinto libro demonstrabitur. A te quidem, frater Parmeniane, multa tractata sunt. Sed video mihi non eo esse respondendum ordine, quo à te dicta sunt singula. Tu enim primo loco dixisti comparationes laudésque Baptismatis, & pręter carnem Christi à te malè tractatam, cætera bene dixisti. Hoc enim magis pro nobis te dixisse, suo loco demonstrabitur. Secundo autem loco, exclusis hęreticis, vnam dixisti esse Ecclesiam: sed eam, vbi sit, agnoscere noluisti. Tertio loco, traditores nullis certis personis aut nominibus accusasti. Quarto à te vnitatis lacerati sunt operarij. Quinto, vt minima prætermittam, dixisti de oleo & sacrificio peccatoris. Sed mihi videtur primo loco traditorum & schismaticorum indicandas esse ciuitates, personas, & nomina: vt quæ à te de iis dicta sunt, veros autores & certos reos suos agnoscant. Deinde mihi dicendum est, quæ, vel vbi sit Ecclesia, quæ est vna: quia præter vnam altera non est. Tertio, à nobis mi-

litem non esse postulatum,& ad nos non pertinere, quod ab operariis vnitatis dicitur esse cõmissum. Quarto loco, qui sit peccator, cuius sacrificium repudiat Deus, vel cuius oleum fugiẽdum sit. Quinto, de Baptismate. Sexto, de inconsideratis præsumptionibus & erroribus vestris. Sed priusquàm de rebus singulis aliquid dicam: quod carnem Christi male tractaueris, breuiter ostendam. Dixisti enim, carnem illam peccatricẽ, Iordanis demersam diluuio, ab vniuersis sordibus esse mundatam. Meritò hoc diceres, si caro Christi pro omnibus baptizata sufficeret, vt nemo pro se baptizaretur. Si ita esset, ibi esset totum genus hominum: Illic omne, quod corporaliter natum est: nihil esset inter fideles & vnumquenque gentilẽ: quia in omnibus caro est. Et dum nemo non est qui non habeat carnem, sicut dixisti, caro Christi diluuio Iordanis demersa est, omnis caro hoc beneficiũ consequeretur. Aliud est enim caro Christi in Christo, Aliud vniuscuiusque in se. Quid tibi visum est, carnem Christi dicere peccatricem? vtinã diceres, *Caro hominum in carne Christi*. Nec sic probabiliter dixeris. Quia vnusquisque credens, in nomine Christi baptizatur: nõ in carne Christi, quæ specialiter illi⁹ erat. Addo, quod ei⁹ caro de spiritu sancto cõcepta, inter alios nõ potuit in remissam peccatorũ tingi, quæ nullum videbatur admisisse peccatum. Addidisti, & Iordanis diluuio demersam: satis incõsideratè hoc vsus es

verbo. Quod verbum ſoli Pharaoni, & eius populo debebatur, qui pondere delictorum, tanquam plumbum, ita merſus ſit, vt ibi remãſerit. Chriſti autẽ caro, dum in Iordane deſcendit & aſcendit, demerſa à te dici non debuit. Cuius caro ipſo Iordane ſanctior inuenitur, vt magis aquam ipſa deſcẽſu ſuo mundauerit, quã ipſa mũdata ſit. Etiam illud præterire nõ poſſum: quod te ſubtiliter egiſſe conſidero, vt ad inducendos vel decipiendos animos auditorum, poſt circũciſionis & diluuij deſcriptionẽ, & poſt laudem Baptiſmatis, hæreticos cum erroribus ſuis mortuos, & obliuione iam ſepultos quodãmodo reſuſcitare voluiſti, quorum per prouincias Africanas, non ſolum vitia, ſed etiam nomina videbantur ignota. Marcion, Praxeas, Sabellius, Valentinus, & cæteri, temporibus ſuis à Victorino Pictauienſi, & Zepherino Vrbico, & Tertulliano Carthaginenſi, vſque ad Cataphrygas: & ab aliis adſertoribus Eccleſiæ Catholicæ ſuperati ſunt. Vt quid bellũ cum mortuis geris, quod ad negocium tẽporis noſtri non pertinet? Sed quia ſchiſmatis hodie aliquid, quod probare poſſis in Catholicos, non habes, ideo ad prolixitatẽ ſcripturæ tuę augendã, tot hæreticos cum erroribus ſuis cõmemorare voluiſti. Nunc alia quęſtio eſt. Vt quid à te memorati ſunt illi, apud quos non ſunt Sacramenta, quæ nobis & vobis videntur eſſe cõmunia? Sanitas non flagitat medicinã. De ſe ſecura virtus, forinſecus non quærit auxilia.

Veritas non deſiderat argumenta:ægroti eſt, remedia quærere:inertis & imbecillis eſt, auxilia comparare:Mendacis eſt,argumenta conquirere.Interea dixiſti,apud hęreticos dotes Eccleſię eſſe non poſſe.Et recte dixiſti:ſcimus enim hæreticorum Eccleſias ſingulorũ,proſtitutas ,nullis legalibus Sacramẽtis,& ſine iure honeſti matrimonij eſſe:Quas non neceſſarias recuſat Chriſtus,qui eſt ſponſus vnius Eccleſiæ.Sicut in Cãticis Canticorum ipſe teſtatur. Qui cum vnam laudat,cæteras damnat:Quia præter vnam,quæ eſt vera Catholica,cæteræ apud hæreticos putãtur eſſe:ſed non ſunt . Secundum quod indicat (vt ſupra diximus)in Canticis Canticorum,vnã eſſe columbam ſuam: Eandem ſponſam,electã, Eandem,hortum concluſum, & fontem ſignatum:Vt hæretici ommes neque claues habeant: quas ſolus Petrus accepit,nec anulum,quo legitur fons eſſe ſignatus:nec aliquem illorum eſſe, ad quem hortus ille pertineat, in quo Deus arbuſculas plantat. De quibus hæreticis, quamuis ad præſentem non pertineat cauſam , quod diu locutus es , & ſuffecerat & abundabat.Sed miror , quid tibi viſum eſt,etiam vos ipſos eis adiungere,quos eſſe ſchiſmaticos cõſtat,dum Eccleſiæ dotes & hæreticis ipſis,& vobis ſchiſmaticis denegaſti.Dixiſti enim inter cætera , ſchiſmaticos à vite,velut ſarmenta,eſſe conciſos:deſtinatos pœnis,tanquam ligna arida , gehennæ ignibus reſeruari. Sed video te adhuc ignorare

ſchiſma apudCarthaginem à veſtris principibus factum. Quære harum originem rerum, & inuenies hanc te in vos dixiſſe ſententiam, cum ſchiſmaticis hæreticos ſociaſti. Non enim Cæcilianus exiuit à Maiorino auo tuo: ſed Maiorinus à Cæciliano. Nec Cæcilianus receſſit à Cathedra Petri vel Cypriani, ſed Maiorinus: Cuius tu Cathedram ſedes, quæ ante ipſum Maiorinum originem non habebat. Et cum hæc ita geſta eſſe manifeſtiſſimè conſtet, & vos hæredes eſſe Traditorum & ſchiſmaticorum euidenter appareat: ſatis te miror, frater Parmeniane, cum ſchiſmaticus ſis, ſchiſmaticos hęreticis adiungere voluiſſe: aut ſi ſic tibi videtur, & ita placet, contra illa quæ à te paulo ante ſunt dicta. Dixiſti enim fieri non poſſe, vt in falſo Baptiſmate inquinatus abluat, immundus emundet, ſupplantator erigat, perditus liberet, reus veniam tribuat, damnatus abſoluat. Bene hæc omnia poterunt ad ſolos hæreticos pertinere, quia falſauerunt Symbolum, dum alter dixerit duos Deos, cum Deus vnus ſit: alter patrem vult in perſona filij cognoſci, alter carnem ſubducẽs filio Dei, per quam Deo reconciliatus eſt mundus: Et cæteri huiuſmodi, qui à Sacramentis Catholicis alieni eſſe noſcuntur. Quare pœniteat te talibus hominibus etiá ſchiſmaticos adiũxiſſe. In te enim conuertiſti ſententiæ gladium, dũ æſtimas, quia alteros appetebas. Et non attẽdiſti inter ſchiſmaticos & hæreticos, quam ſit magna

diſtantia. Inde eſt, quod ignoras, & quæ ſit ſancta eccleſia: & ſic omnia miſcuiſti.

Catholicã facit ſimplex & verus intellectus, intelligere ſingulare ac veriſſimum Sacramentum, & vnitas animorum. Schiſma vero, ſparſo coagulo pacis, diſſipatis ſenſib⁹ generatur, liuore nutritur, æmulatione & litibus roboratur, vt deſerta matre Catholica, impij filij dum foras exeunt, & ſe ſeparant (vt vos feciſtis) à radice matris Eccleſiæ, inuidiæ falcibus amputati, errando rebelles abſcedunt. Nec poſſunt nouum aliquid, aut aliud agere, niſi quod iamdudum apud ſuam didicerunt matrem.

Hæretici vero, veritatis exules, ſani & veriſſimi Symboli deſertores, de ſinu Eccleſiæ ſanctæ impiis ſenſibus deprauati contempto quod bene fuerant geniti, vt ignorantes & rudes deciperent, de ſe naſci voluerũt. Et qui iam dudum vitalibus paſti fuerant cibis, corrupte la malæ digeſtionis, in pernicie miſerorum, diſputationibus impiis venena mortifera vomuerunt. Vides ergo, frater Parmeniane, hæreticos à domo veritatis extorres, ſolos habere varia & falſa baptiſmata: Quibus inquinatus non poſſet abluere, immundus emundare, ſupplantator erigere, perditus liberare, reus veniam tribuere, damnatus abſoluere. Bene clauſiſti hortum hæreticis, bene reuocaſti claues ad Petrum, bene abſtuliſti colendi poteſtatem, ne arbuſculas colerent ij, quos ab hortulo & paradiſo Dei cõ-

ſtat alienos. Bene ſubduxiſti anulum iis, quibus aperire non licet ad fontem. Vobis verò ſchiſmaticis quãuis in Catholica non ſitis, hæc negari non poſſunt, quia nobiſcum vera & communia Sacramenta traxiſtis. Quare cum hæc omnia hæreticis bene negẽtur: quid tibi viſum eſt, hæc & vobis negare voluiſſe, quos ſchiſmaticos eſſe manifeſtũ eſt? Vos enĩ foras exiſtis, quãtũ in vobis eſt: Volebã, vt ſoli dãnarẽtur hęretici: quãtũ in te eſt, & iam vos ipſos, cum eis vna ſententia ferire voluiſti. Sed iam, vt ad propoſitum ſingularum rerum ordinem redeamus, Primo loco audi, qui fuerint Traditores, & plenius autores ſchiſmatis diſce. In Aphrica duo mala & peſſima admiſſa eſſe conſtat: Vnum in Traditione, alterum in ſchiſmate: ſed vtraque mala, & vno tempore, & iiſdem autoribus videntur eſſe commiſſa. Debes ergo, frater Parmeniane, diſcere, quod intelligeris ignorare. Nam ferme ante an-
3 nos lx. & quod excurrit, per totam Aphricam perſecutionis eſt deuagata tempeſtas: quæ alios fecerit martyres, alios confeſſores, nõnullos funeſta proſtrauit in morte, latentes dimiſit illæſos. Quid commemorem Laicos, qui tunc in Eccleſia nulla fuerant dignitate ſuffulti? Quid miniſtros plurimos? Quid Diaconos in tertio? q̇d p̃ſbyteros in ſecũdo ſacerdotio cõſtitutos? Ipſi apices & principes omniũ, aliqui Epiſcopi illis tẽporibus, vt damno æternæ vitæ, iſtius incertæ lucis moras breuiſſimas compararent, Inſtrumenta diuinæ legis impiè tradiderunt. Ex

quibus erãt Donatus Maſculitanus, Victor Ruſiccadienſis, Marinus ab aquis Tibilitanis, Donatus Calamenſis, & homicida Purpurius Limatenſis: Qui interrogatus de filiis ſororis ſuæ, quod eos in carcere Milei necaſſe diceretur, cõfeſſus eſt, dicens: *Et occidi, & occido non eos ſolos, ſed & quicunque contra me fecerit.* Et Menalus, qui ne thurificaſſe à ſuis ciuibus probaretur, oculorum dolorem fingens, ad cõfeſſum ſuorum procedere trepidauit. Hi, & cæteri, quos principes tuos fuiſſe paulo pòſt docebimus, poſt perſecutionem apud Cirtam ciuitatem, (quia Baſilicæ necdum fuerant reſtitutæ) in domum Vrbani Cariſi conſederunt die Iduum Maiarum, ſicut ſcripta Nundinarij tũc Diaconi teſtãtur, & vetuſtas membranarum teſtimonium perhibet, quas dubitantibus proferre poterimus. Harum nanque plenitudinem rerum, in nouiſſima parte iſtorum libellorum, ad implendam fidem adiunximus. Hi Epiſcopi interrogante Secundo Tigiſitano, tradidiſſe cõfeſſi ſunt. Et cum ipſe Secundus à Purpurio increparetur, quod & ipſe diu apud ſtationarios fuerit, & nõ fugerit, ſed dimiſſus ſit. Non ſine cauſa dimiſſum fuiſſe, niſi quia tradiderat, iam omnes hæretici cœperunt murmurare. Quorum ſpiritum Secundus metuens, conſilium accepit à filio fratris ſui Secundo minore, vt talem cauſam Deo ſeruaret. Conſulti ſunt, qui remanſerunt, id eſt, Victor Garbiẽſis, Fœlix à Rotario Centurion. Ij dixerunt talẽ-

causam domino debere reseruari. Et dixit Secũdus, *Sedete omnes*. Tunc dictum est ab omnibus, *deo gratias*, & sederunt. Habes ergo Parmeniane frater, qui manifestò fuerint Traditores. Deinde non post lõgum tempus, iidem ipsi, tot & tales, ad Carthaginem profecti Traditores, coniurati homicidæ, Maiorinum (cuius tu Cathedram sedes) post ordinationem Cæciliani ordinauerunt, schisma facientes. Et quoniam Traditionis reos, principes vestros fuisse monstratum est: consequens erit, eosdem fuisse autores schismatis. Quæ res, vt clara & manifesta esse omnibus possit, ostendendum est, ex qua radice sese vsque in hodiernum, erroris protenderint rami. & ex quo fonte riuulus iste maligni liquoris, occulte serpens, vsque in tempora nostra manauerit. Dicendum est, vnde & vbi & à quibus ortum constet hoc alterum malum: quæ conuenerint causæ: quæ fuerint operatæ personæ: qui autores huius mali: qui nutritores: à quibus sint inter partes ab Imperatore postulata iudicia: qui sederint iudices: vbi sit actum Concilium: quæ sint prolatæ sententiæ. De diuisione agitur: & in Aphrica, sicut & in cæteris prouinciis, vna erat Ecclesia, antequàm diuideretur ab ordinatoribus Maiorini: cuius tu hæreditariam Cathedrã sedes. Videndum est, quis in radice cum toto orbe manserit: quis foras exierit: quis Cathedrã sederit alteram: quæ antè non fuerat: quis altare contra altare erexerit: quis ordinationem fece-

rit,ſaluo altero ordinato: quis iaceat ſub ſententia Ioannis Apoſtoli,qui dixit multos Antichriſtos foras exituros:*quia non erant* (inquit) *noſtri: nã ſi noſtri eſſent,mãſiſſent nobiſcũ.* Ergo qui in vno cũ fratribꝰ manere noluit,hæreticos ſecutꝰ,quaſi Antichriſtus foras exiuit. Hoc apud Carthaginem poſt ordinationem Cæciliani factum eſſe, nemo eſt qui neſciat:per Lucillam ſcilicet, neſcio quam,fœminam factioſam,quæ ante concuſſam perſecutionis turbinibus pacẽ,dum adhuc in rranquillo eſſet Eccleſia: cum correptionem Archidiaconi Cæciliani ferre non poſſet, quæ ante ſpiritalem cibum& potum,os neſcio cuius martyris,ſi tamen martyris,libare dicebatur, & cùm præponeret calici ſalutari os neſcio cuius hominis mortui,& ſi martyris,ſed necdum vindicati,correpta,cum confuſione, irata diſceſſit. Iraſcenti & dolenti,ne diſciplinæ ſuccumberet, occurrit ſubito perſecutionis enata tempeſtas. Iiſdem temporibus Fœlix quidam Diaconus, qui propter famoſam,neſcio quam,de Tyranno Imperatore tunc factam Epiſtolam, appellatus eſt,periculum timens,apud Menſurium Epiſcopum delituiſſe dicitur. Quem cùm poſtulatum Menſurius publicè denegaret,relatio miſſa eſt: Reſcriptum venit,vt ſi Menſurius FœlicemDiaconum non reddidiſſet, ad Palatium dirigeretur. Conuentus non leues patiebatur anguſtias. Erant enim Eccleſiæ ex auro & argento quam plurima ornamenta, quæ nec defodere terræ,

5 nec ſecum portare poterat. Quaſi fidelibus, Senioribus commendauit, commemoratorio facto, quod cuidam aniculæ dediſſe dicitur: Ita vt ſi ipſe non rediret, reddita pace Chriſtianis, anicula illa illi daret, quem in Epiſcopali cathedra ſedentem inueniret. Profectus cauſam dixit. Iuſſus eſt reuerti Carthaginem: peruenire non potuit. Tempeſtas perſecutionis peracta, & definita eſt: Iubente deo, indulgentiam mittente Maxentio, Chriſtianis libertas eſt reſtituta. Botrꝰ & Celeſius, vt dicitur, apud Carthaginem ordinari cupientes, operam dederunt, vt abſentibus Numidis, ſoli vicini Epiſcopi peterentur, qui ordinationem apud Carthaginem celebrarent. Tũc ſuffragio totius populi Cæcilianus eligitur. Et manus imponente Fœlice Aptungitano Epiſcopus ordinatur. Botrus & Celeſius de ſpe ſua deiecti ſunt. Breuis auri & argenti ſedenti Cęciliano, ſicut delegatum à Menſurio fuerat, traditur, adhibitis teſtibus. Conuocantur ſupra memorati Seniores, qui faucibus auaritiæ commendatam ebiberant prædam. Cùm reddere cogerentur, ſubduxerunt communioni plebem. Non minus & ambitores, quibus & ordinari non contigit: necnon & Lucilla, quæ iam dudum ferre nõ potuit diſciplinam, cum omnibus ſuis potens & factioſa fœmina, cõmunioni miſceri noluit. Sic tribus conuenientibus cauſis & perſonis, factum eſt, vt malignitas haberet effectum. Schiſma igitur illo tempore confuſæ mulieris iracũ-

dia

dia peperit, ambitus nutriuit, auaritia roborauit: ab iis tribus perſonis contra Cæcilianum cauſæ cõfictæ ſunt, vt vitioſa eius ordinatio diceretur. Ad Secundum Tigiſitanum miſſum eſt, vt Carthaginem veniretur: proficiſcuntur omnes ſupra memorati Traditores: ſuſcepti hoſpitio ab auaris, ab ambitoribus, ab iratis: non à catholicis, quorum petitione Cæcilianus fuerat ordinatus. Interea ad Baſilicã, vbi cum Cæciliano tota ciuitas in frequentia fuerat, nullus de ſupradictis acceſſit. Tunc à Cæciliano mandatũ eſt, *si eſt quod in me probetur, exeat accuſator & probet.* Illo tempore à tot inimicis nihil in illum potuit confingi. Sed de ordinatore ſuo, quod ab iis falſo Traditor diceretur, metuit infamari. Iterum à Cęciliano mandatum eſt, vt ſi fœlix in ſe, ſicut illi arbitrabantur, nihil contuliſſet, ipſi tanquam adhuc Diaconum ordinarent Cæcilianum. Tunc Purpurius ſolita malitia fretus, quaſi & Cæcilianus filius ſororis eius eſſet, ſic ait: *Exeat huc quaſi imponatur illi manus in Epiſcopatu, & quaſſetur illi caput de pœnitentia.* His rebus compertis, tota Eccleſia Cęcilianum retinuit, ne ſe latronibus tradidiſſet. Illo tempore aut reus debebat expelli, aut communicari debuit innocenti. Conferta erat Eccleſia populis plena: erat Cathedra Epiſcopalis: erat altare loco ſuo, in quo pacifici Epiſcopi retro tẽporis obtulerũt, Cyprianus, Lucianus & cæteri. Sic exitum eſt foras, & altare contra altare erectum eſt, & ordinatio illicitè cele-

brata eſt:& Maiorinus, qui Lector in diaconio Cæciliani fuerat, domeſticus Lucillæ, ipſa ſuffragante, Epiſcopus ordinatus eſt à Traditoribus, qui in concilio Numidiæ (vt ſuperius diximus) crimina ſua ſibi confeſſi ſunt,& indulgentiam ſibi inuicem tribuerunt. Manifeſtũ eſt ergo, exiſſe de Eccleſia & Ordinatores qui Tradiderũt, & Maiorinũ, qui ordinatus eſt. Interea de ſuorũ criminũ fonte, qui apud eos multorũ flagitiorũ venis exuberauerat, vnũ Traditionis cõuitiũ in Ordinatorẽ Cæciliani deriuandũ eſſe putauerũt: prouidẽtes quod fama duas res ſimiles vno tẽpore loqui nõ poſſent: vt crimina in ſilentiũ mitterẽt ſua, vitã infamare conati ſũt alienã: Et cũ poſſent ipſi ab innocẽtibus argui, innocentes arguere ſtuduerũt, mittẽtes vbique literas Liliore dictãte cõſcriptas: quas inter cæteros actus habemus in poſterũ. Adhuc Carthagine poſiti præceſſerũt ſe epiſtolis ſuis vt rumoribus falſis cunctorũ auribus inſererẽt mẽdaciũ, ſparſa fama per populos. Et dũ de vno celebrata ſunt falſa, ſupradictorũ veriſſima crimina ſub ſilentio latuerunt. Frequenter ſolet erubeſci de crimine, ſed illo tẽpore nõ fuit cui erubeſceretur: quia præter paucos Catholicos, peccauerãt vniuerſi: & quod imago fuerat innocẽtiæ inter multos nephas admiſſũ, paruũ erat Traditionis facinus, quod per Donatum Maſculitanum & cæteros ſupra dictos cõſtabat admiſſum: Etiam ingens flagitium ſchiſmatis traditioni iunxerũt.

Vides ergo Parmeniane hæc duo crimina tã mala tam grauia Traditionis & schismatis, ad tuos Principes pertinere. Agnosce vel sero incurrisse te in tuos, dũ insectaris alienos. Et cũ priores cõstet operatos esse hoc alterum nefas, & vos iam eos sceleratis vestigiis sequi laboratis: vt quod *illi* priores in titulo schismatis fecerant, & vos iã dudum fecisse & nunc facere videamini. Illi ruperũt suis tẽporibus pacẽ: vos exterminatis vnitatem. De parentibus vestris & de vobis merito dici potest, *Cæcus cæcum si duxerit, vtrique in foueã cadunt*. Oculos patrũ vestrorũ furiosus excæcauerat liuor, & æmulatio vestros orbauit. Schisma summum malum esse & vos negare minime poteritis. Et tamen Dathan & Abyron & Chore, perditos magistros vestros, sine trepidatione estis imitati: nec ponere ante oculos voluistis, hoc malum & verbis Dei esse prohibitum, & admissum grauiter vindicatum. Deinde esse distantiam delictorum, aut remissio testatur aut pœna. Denique inter cætera præcepta etiam hęc tria iussio diuina prohibuit, *Non occides*, *Non ibis post Deos alienos*: & in capitibus mandatorum, *Non facies schisma*. Videamus de iis tribus, quid oportuit puniri, & quid meruit relaxari. Parricidium principale delictum est: & tamen Cain nec re⁹ à Deo percutitur, sed occisus insup vindicatur. In Niniue ciuitate hominũ numero centũ viginti millia sacrilega, quæ deos alienos sequi videbantur: post iracundiam Dei, & nun-

cium Ionæ Prophetæ, Ieiunium parui temporis & oratio indulgentiam meruit. Videamus si aliquid tale consecuti sunt ij, qui populos Dei primitus ausi sunt scindere. Tot millibus virorum Israel, quorum à ceruicibus diuina prouidentia iugum seruile deiecerat, Aaron sanctum vnum præfecerat sacerdotem. sed cũ ministri eius sacerdotium non sibi debitum cõcupiscentes, seducta parte populi illicite inuaderent, ritum imitati sacrorum, ducentos, & quod excurrit, ministros secum perituros, cum thuribulis in fronte seducti populi posuerunt. Deus cui displicet schisma, hoc libenter videre non potuit. Indixerant quodammodo Deo bellum, quasi esset alter Deus, qui alterum acciperet sacrificium. Igitur Deus pro neglectis mandatis iratus est ira magna. Et quod in sacrilegos & parricidam nõ fecerat, in schismaticos fecit. Stabat ministrorum acies & multitudo sacrilega, cum interdictis sacrificiis suis ilico peritura: negatum & subductum est pœnitentiæ tempus, quia non talis erat culpa quæ veniam mereretur. Mãdata est terræ fames: statim fauces suas in populi diuisores aperuit, & contemptores mandatorum Dei, auido ore absorbuit. Intra momenti spacium, ad transglutiendos prædictos terra patuit, rapuit, clausa est. Et ne beneficium de mortis compendio consequi viderentur, dum non essent digni viuere, iis nec mori concessum est: tartareo carcere subito clausi, ante sunt sepulti quã mortui.

Et miramini vobis aliquid tale aſpere factũ, qui ſchiſma aut facitis aut colitis,cum videatis quid magiſtri primi ſchiſmatis pati meruerunt: An quia ceſſat talis modo vindicta, ideo tibi cũ tuis vindicas innocentiã?Deus in ſingulis rebus exẽplorum poſuit formam, vt ſit quod imputet & imitantibus prima peccata : ad exemplum præſens pœna compreſſit, ſecunda iudicio reſeruabit.Quid ad hæc dicturi eſtis,qui ſchiſma, vſurpato Eccleſiæ nomine,& occultè nutritis, &im pudenter defenditis?Sed quia audio aliquos de ſocietate tua, litigãdi ſtudio chartas habere neſcio quas:quærendum eſt,quibus ſit accommodanda fides:quæ cum ratione concordent: quæ cum veritate confabulentur. Veſtræ,ſi ſunt aliquæ,mendaciis fortè videãtur aſperſæ. Noſtras chartas probant & conflictus cauſarum,& contentiones partium,& exitus iudiciorum,& epiſtolæ Conſtantini. Nam quod de nobis dicitis, *Quid Chriſtianis cum regibus?aut quid epiſcopis cum palatio?*Si nota eſt,noſſe reges, vos tota perfundit inuidia.Nam maiores veſtri,Lucianus, Dignus,Naſſutius,Capito,Fidentius,& cæteri Imperatorem Coſtantinum, harum rerum adhuc ignarum,his precibus rogauerunt: quarum exẽplum infra ſcriptum eſt:*Rogamus te ô Conſtantine optime Imperator,quoniã de genere iuſto es,cuius pater inter cæteros Imperatores perſecutionẽ nõ exercuit, & ab hoc facinore immunis eſt Gallia.Nã in Aphrica inter nos & cæteros Epiſcopos contẽtiones ſunt.Pe-*

timus, vt de Gallia nobis iudices dari præcipiat pietas tua. Data à Luciano, Digno, Nassutio, Capitone, Fidentio, & cæteris Episcopis partis Donati. Quibus lectis, Constantinus pleno liuore respondit. In qua responsione & eorum preces prodidit, dum ait: *Petitis à me in seculo iudicium, cùm ego ipse Christi iudicium expectem.* Et tamen dati sunt Iudices, Maternus ex Agrippina ciuitate, Rheticius ab Augustoduno ciuitate, Marinus Arelatensis. Ad vrbem Romam ventum est ab iis tribus Gallis: & ab aliis quindecim Italis. Cōuenerunt in domum Faustæ in Laterano, Constantino iij. & Licinio iij. Coss. vj. Non. Octob. Die sexta feria. Cum consedissent Miltiades Episcopus vrbis Romæ, & Rheticius & Maternus & Marinus Episcopi Gallicani: & Merocles à Mediolano, Florianus à Cæsena, Zoticus à Quintiano, Stemnius ab Arimino, Fœlix à Florentia Tuscorum, Gaudentius à Pisis, Constantius à Fauentia, Proterius à Capua, Theophilus à Beneuento, Sauinus à Terracina, Secundus à Prænestе, Fœlix à tribus tabernis, Maximus ab Ostia, Euandrus ab Vrsino, Donatianus à Foro Claudij. His decem & nouem considentibus Episcopis, causa Donati & Cæciliani in medium missa est à singulis. In Donatum sunt hæ sententiæ latæ: *Quod confessus sit se rebaptizasse, & Episcopis lapsis manum imposuisse: quod ab Ecclesia alienum est.* Testes inducti à Donato, cōfessi sunt, se nō habere quod in Cæcilia-

num dicerent. Cæcilianus omnium ſupra memoratorum ſententiis innocens eſt pronunciatus: etiam Miltiadis ſententia, qua iudiciũ clauſum eſt his verbis. *Cum conſtiterit, Cæcilianum, ab iis qui cum Donato venerunt, iuxta profeßionem ſuam non accuſari: nec à Donato conuictum eſſe in aliqua parte conſtiterit: ſuæ communioni Eccleſiaſticæ integro ſtatu retinendum merito eſſe cenſeo.* Sufficit ergo & Donatum tot ſententiis eſſe percuſſum, & Cæcilianum tanto iudicio eſſe purgatum. Et tamen Donatus appellandum eſſe ab Epiſcopis credidit. Ad quam appellationem Conſtantinus Imperator ſic reſpõdit, *ô rabida furoris audacia: ſicut in cauſis gentiliũ fieri ſolet, appellationem interpoſuerunt.*

Eodem tempore idem Donatus petiit, vt ei reuerti ad Carthaginem contingeret. Tunc à Filumino, ſuffragatore eius, imperatori ſuggeſtum eſt, vt bono pacis Cæcilianus Brixiæ retineretur: & factum eſt. Tunc duo Epiſcopi ad Aphricam miſſi ſunt, Eunomius & Olimpius, vt remotis duobus vnũ ordinarent. Venerũt apud Carthaginẽ: fuerũt per dies quadraginta, vt pronũciarent vbi eſſet catholica. Hoc ſeditioſa pars Donati fieri paſſa nõ eſt. De ſtudio partiũ ſtrepitꝰ quotidiani ſũt habiti: nouiſſima ſentẽtia eorũ Epiſcoporũ Eunomij & Olĩpij talis legitur, vt diceret illã eſſe Catholicã, quæ eſſet in toto orbe terrarũ diffuſa: & ſentẽtiã decẽ & nouẽ Epiſcoporũ, iã dudũ datã, diſſolui non poſſe. Sic com-

municauerunt clero Cæciliani, & reuersi sunt. De iis rebus habemus volumnia actorũ. Quod si quis voluerit, in nouissimis partibus legat. Cũ hæc fierent, Donatus vltrò prior ad Carthaginẽ redit. Hoc audito, Cæcilianus ad suam plebem properauit. Hoc modo iterum renouellatæ sunt partes. Constat tamen Donatum tot sentẽtiis esse percussum, & Cæcilianum innocentem totidem sententiis pronunciatum. Sed quia in ipsa causa, iamdudum in catholica duorum videban tur laborare personæ, & Ordinati & Ordinatoris: postquam Ordinatus in vrbe purgatus est: purgandus adhuc remanserat Ordinator.

Tunc Constantinus ad Ælianum Proconsulem scripsit, vt remotis necessitatibus publicis, de vita Fœlicis Autungitani publice quæreretur. Inducti sunt Claudius Saturianus, curator Reipublicæ, qui fuit tempore persecutionis in ciuitate Fœlicis, & curator præsentis tunc temporis, quãdo causa flagitabatur, Callidius Gratianus, & Magistratus AlfiusCæcilian⁹: sed & Superstationarius perductus, & Ingẽtius scriba publicus. pependit sub metu imminentiũ tormentorum. Responsis omnium nihil tale inuentũ est, quod vitã Fœlicis Episcopi sordidare potuisset. Habẽtur volumina actorũ, in quib⁹ cõ tinẽtur præsentiũ nomina, qui fuerant in causa, Claudij Saturiani curatoris, & Cæciliani Magistratus, & Superstationarij, & Scribæ Ingẽtij, & Solonis Officialis publici ipsius temporis. Post

quorum reſponſa, à ſupra memorato Proconſule hæc pars ſententiæ dicta eſt: *Fœlicem autem religioſum Epiſcopum, liberum eſſe ab exuſtione inſtrumentorum deificorũ manifeſtum eſt, cum nemo in eum aliquid probare potuerit, quod religioſiſsimas ſcripturas Tradiderit vel exuſſerit. Omniũ enim interrogatio ſupra ſcripta manifeſta eſt, nullas ſcripturas deificas, vel inuentas, vel corruptas, vel incenſas fuiſſe. Hoc actis continetur, quod Fœlix Epiſcopus religioſus. illis temporibus, neque præſens fuerit, neque conſcientiam accommodauerit, neque aliquid tale fieri iuſſerit.* Vnde pulſa atque exterſa infamia, cum ingenti laude illo iudicio receſſit. Iam dudũ opinionis incertæ, & inter caligines, quas liuor & inuidia exhalauerat, latere veritas videbatur. Sed etiam omnis ſcriptura memorata, & actorũ voluminibus, & epiſtolis commemoratis aut lectis renouata eſt. Vides frater Parmeniane, in Catholicos Traditorum nomine falſo obiecto, fruſtra eſſe inuentum: mutans videlicet perſonas, & transferens merita clauſiſti oculos, ne parentes tuos reos agnoſceres: aperuiſti eos, vt innocentes & indignos crimini copulares. Omnia pro tempore, nihil pro veritate: vt & de te dixerit beatiſſimus Apoſtolus Paulus: *Quidam autem conuerſi ſunt in vaniloquium, volentes ſe eſſe legis doctores, non intelligentes quæ dicunt, neque de quibus adfirmant.* Paulò antè docuimus, veſtros patres fuiſſe ſchiſmaticos & Traditores: & tu ipſorum hæres, nec ſchiſmaticis, nec Traditoribus parcere volui-

ſti. Iam igitur documentis ſupra memoratis, omnia tela, quæ falſo in alienos iactare voluiſti, veritatis clipeo repulſa, in tuos parentes reciproco ictu vertuntur. Omnia igitur, quæ à te in Traditores & ſchiſmaticos dici potuerunt, veſtra ſunt. Nam noſtra non ſunt, quia in radice manemus, & in toto orbe terrarum cum omnibus ſumus.

LIBER SECVNDVS.


Voniam & qui fuerint traditores oſtenſum eſt, & ſchiſmatis origo ita monſtrata eſt, vt pene oculis perſpecta videatur: etiam hæreſis ab ſchiſmate quid diſtet, oſtendimus: Illud demõſtrare iam proximum eſt (quod nos ꝓmiſimus ſecũdo loco eſſe dicturos) quæ ſit vna Eccleſia, quá columbá & ſponſam ſuá, Chriſtus appellat. Ergo Eccleſia vna eſt, cuius ſanctitas de ſacramentis colligitur: non de ſuperbia perſonarum ponderatur. Ergo hanc vnam colũbam & dilectam ſponſam ſuam, Chriſtus appellat. Hæc apud omnes hæreticos & ſchiſmaticos eſſe non poteſt. Reſtat vt vno loco ſit. Eam tu frater Parmeniane, apud vos ſolos eſſe dixiſti: niſi forte quia vobis ſpecialem ſanctitatem de ſuperbia vindicare contenditis, vt vbi vultis, ibi ſit Eccleſia: & non ſit, vbi non vultis. Ergo vt in particula Aphricæ, in angulo paruę regionis, apud vos eſſe poſſit: apud nos in alia parte Aphri-

cæ non erit. In Hiſpaniis, in Italia, in Gallia, vbi vos non eſtis, non erit. Si apud vos tantummodo eſſe vultis, in tribus Pannoniis, in Dacia, Miſia, Thracia, Achaïa, Macedonia, & in tota Gręcia, vbi vos non eſtis, non erit. Vt apud vos eſſe poſſit, in Ponto, Galatia, Cappadocia, Pamphilia, Phrygia, Cilicia, & in tribus Syriis, & in duabus Armeniis, & in tota Ægypto, & in Meſopotamia, vbi vos nō eſtis, nō erit. Et per tot innumerabiles inſulas, & cęteras prouincias, quę numerari vix poſſunt, vbi vos nō eſtis, nō erit. Vbi ergo erit proprietas Catholici nominis, cū inde dicta ſit Catholica, quod ſit rationabilis & vbique diffuſa? Nam ſi ſic pro volūtate veſtra in anguſtū coarctatis Eccleſiam: ſi vniuerſas ſubducitis gētes, vbi erit illud, quod filius Dei meruit? vbi erit, quod libenter ei largitus eſt Pater, in ſecundo pſalmo dicēs, *Dabo tibi gentes hæreditatē tuam, & poſſeßionē tuā terminos terræ.* Vt quid tale infringitis promiſſum, vt à vobis mittatur quaſi in quendam carcerem latitudo regnorū? Quid tantæ pietati obſtare contenditis? Quid contra Saluatoris merita militatis? Permittite filium poſſidere conceſſa. Permittite patri promiſſa complere. Cur ponitis metas? Cur figitis limites? Cum à Deo patré Saluatori tota terra promiſſa ſit, non eſt quicquam in aliqua parte terrarum, quod à poſſeſſione eius videatur exceptum. Tota eſt donata terra, cum gentibus totius orbis, Chriſto vna poſſeſſio eſt.

Hoc probat Deus, qui ait, *Dabo tibi gentes hæreditatem tuam & possessionem tuam terminos terræ.* Et in septuagesimo primo Psalmo, de ipso Saluatore sic scriptum est, *Dominabitur à mari vsque ad mare: & à fluminibus vsque ad terminos orbis terræ.*

Pater dum donat, nihil excipit: vos vt concedatis vnciam, totam libram auferre conamini. Et adhuc nitimini suadere hominibus, apud vos solos esse Ecclesiam, auferentes meritum Christo: negantes præstitutum à Deo. O vestra ingrata & stulta presumptio! Christus vos cum cæteris in societatem regni cœlestis inuitat, & vt cohæredes sitis, hortatur: & vos eum in hæreditate sibi à patre concessa, fraudare laboratis, dum Aphricæ partem conceditis, & totum terrarũ orbem, qui ei à patre donatus est, denegatis.

Quid mendacem videre vultis spiritum sanctum? qui in quadragesimooctauo Psalmo, Omnipotentis Dei beneuolentiam narrat, dum dicit: *Deus Deorum Dominus locutus est, & vocauit terram, ab ortu solis vsque ad occasum.* Vocata est ergo terra, vt caro fieret, & sicut legitur, facta est, & debet laudes creatori suo.

Denique commemoratur, spiritu sancto hortante, & dicente, in C X I I. Psalmo, dum dicit, *Laudandum nomen domini ab ortu solis vsque ad occasum.* Et iterum in X C V. Psalmo: *Cantate domino canticum nouum.* Si hunc versum solum diceret, possetis dicere, quia vos solos hortatus est spiritus sanctus. Sed vt ostenderet, quia non ad

vos solos dictum est: sed & ad Ecclesiam, quæ vbique est, secutus est, dicens: *Cantate Domino omnis terra: pronunciate in gentibus gloriam ipsius, in omnibus populis mirabilia eius. Pronunciate*, inquit, *in gentibus:* non dicit *in particula Aphricæ, vbi vos estis. Pronũciate*, inquit, *in omnibus populis:* Qui omnes populos dixit, neminem excepit. Et vos solos ab omnibus populis, de quibus hoc mandatum est, separatos vos esse gratulamini. Et vultis vos solos esse totum, qui in omni toto nõ estis. *Laudandum*, inquit, *nomen domini, & à tota terra, & ab ortu solis vsque ad occasum.* Nunquid Pagani extra legales possunt cantare Deo, aut laudare nomen Dei: & non sola Ecclesia, quę in lege est? quam si apud vos tantummodo esse dicitis, fraudatis aures Dei. Si vos soli laudatis, totus tacebit orbis, qui est ab ortu solis vsque ad occasum. Clausistis ora omnium Christianarum gentium: Indixistis silentium populis vniuersis, Deum per momenta laudare cupientibus. Igitur si & Deus debitas sibi laudes expectat, & vt sonent spiritus sanctus hortatur, & totus orbis quod debet, paratus est reddere, ne fraudetur Deus: etiam vos ipsi laudate cum omnibus: aut quia noluistis esse cum omnibus, soli conticescite. Ergo quia probamus eam esse Ecclesiam Catholicam, quæ sit in toto terrarum orbe diffusa, eius iam commemoranda sunt ornamenta: & videndum vbi sint quinque dotes, quas tu sex esse dicis: inter quas Cathedra est prima: vbi nisi

ſederit Epiſcopus, coniungi altera dos non poterit: qui eſt annulus: Videndum eſt, qui & vbi prior cathedra ſederit: ſi ignoras diſce: ſi noſti erubeſce. Ignorantia tibi aſcribi non poteſt. Reſtat ergo vt noueris. Scientem errare peccatum eſt. Nam ignorantibus nonnunquam ſolet ignoſci. Igitur negare non potes, ſcire te in vrbe Roma Petro primo Cathedram Epiſcopalem eſſe collatam: in qua ſederit omnium Apoſtolorum caput Petrus: vnde & Cephas appellatus eſt: in qua vna Cathedra, vnitas ab omnibus ſeruaretur, ne cæteri Apoſtoli ſingulas ſibi quiſque defenderēt: vt iā ſchiſmatic⁹ & peccator eſſet, qui cōtra ſingularē Cathedrā, alterā collocaret. Ergo Cathedra vnica, quæ eſt prima de dotib⁹, ſedit prior Petrus: Cui ſucceſſit Linus, Lino ſucceſſit Clemens, Clementi Anacletus, Anacleto Euariſtus, Euariſto Sixtus, Sixto Theleſphorus, Theleſphoro Iginus, Igino Anicetus, Aniceto Pius, Pio Soter, Soteri Eleutherius, Eleutherio Victor, Victori Zepherinus, Zepherino Calixt⁹, Calixto Vrbanus, Vrbano Pontianus, Pontiano Antherus, Anthero Fabianus, Fabiano Cornelius, Cornelio Lucius, Lucio Stephan⁹, Stephano Sixt⁹, Sixto Dionyſius, Dionyſio Fœlix, Fœlici Eutychian⁹, Eutychiano Caius, Caio Marcellinus, Marcellino Marcellus, Marcello Euſebi⁹, Euſebio Miltiades, Miltiadi Sylueſter, Sylueſtro Marc⁹, Marco Iulius, Iulio Liberi⁹, Liberio Damaſus, Damaſo Siricius hodie, qui noſter eſt ſo-

cius: Cum quo nobis totus orbis cõmercio formatarũ, in vna cõmunionis societate cõcordat. Vestrę Cathedrę vos originẽ reddite, qui vobis vultis sanctã Ecclesiam vindicare. Sed & habere vos in vrbe Roma partem aliquam dicitis. Ramus est vestri erroris, protétus de mendacio, nõ de radice veritatis. Denique si Macrobio dicatur, vbi illic sedeat, nũquid potest dicere, in Cathedra Petri? quam nescio si vel oculis nouit, & ad cuius memoriam non accedit quasi schismaticus, contra Apostolũ faciens, qui ait, *memoriis sanctorum communicantes*. Ecce pręsentes sunt ibi duorum memoriæ Apostolorũ. Dicite si ad has ingredi potuit: ita, vt obtulerit illic, vbi sanctorũ memorias esse constat. Ergo restat, vt fateatur socius vester Macrobius, se ibi sedere vbi aliquãdo sedit Encolpius. Si & ipse Encolpius posset interrogari, diceret, se ibi sedere vbi ante sedit Bonifacius Ballitanus. Deinde si & ipse interrogari potuisset, diceret, vbi sedit Victor Garbiẽsis, à vestris iã dudũ de Africa ad paucos erraticos missus. Quid est hoc quod pars vestra in vrbe Rom. Episcopũ ciuẽ habere non potuit? Quid est, quod toti Afri & peregrini in illa ciuitate sibi successisse noscũtur? non apparet dolus? nõ factio, quæ mater est schismatis? Interea Victor Garbiẽsis, vt hinc prior mitteretur (nõ dico lapis in fontẽ: quia nec valuit puritatẽ Catholicæ multitudinis perturbare) sed quia quibusdam Afris Vrbica placuerat commoratio: & hinc à

vobis profecti videbantur, ipsi petierunt, vt aliquis hinc, qui illos colligeret, mittetur. Missus est igitur Victor. Erat ibi filius sine patre, tiro sine principe, discipulus sine magistro, sequens sine antecedente, inquilinus sine domo, hospes sine hospitio, Pastor sine grege, Episcopus sine populo. Non enim grex aut populus appellandi fuerant pauci, qui inter quadraginta, & quod excurrit, basilicas, locum, vbi colligerent, non habebant. Sic speluncam quandam foris à ciuitate, gradib. sepserunt, vbi ipso tempore conuenticulum habere potuissent: vnde Montenses appellati sunt. Igitur quia Claudianus Luciano, Lucianus Macrobio, Macrobius Encolpio, Encolpius Bonifacio, Bonifacius Victori successisse videntur: si Victori diceretur, vbi sederit, nec ante se aliquem illic fuisse monstraret: nec Cathedram aliquam, nisi pestilentiæ ostenderet. Pestilentia enim morbis extinctos homines ad Inferos mittit. Qui inferi portas suas habere noscuntur, contra quas portas, claues salutares accepisse legimus Petrum, principem scilicet nostrum: Cui à Christo dictum est, *Tibi babo claues regni cælorum, & Portæ inferorum non vincent eas.* Vnde est ergo, quod claues regni vobis vsurpare contenditis, qui cõtra Cathedram Petri, vestris præsumptionibus & audaciis, sacrilegio militatis? Beatitudinem repudiantes, qua laudari meruit, *Qui non abiit in consilio impiorum, & in via peccatorum non stetit, & in Cathedra pe-*

stilentiæ

ſtilentiæ non ſedit. In conſilio impietatis itum eſt à maioribus veſtris,vt diuiderent Eccleſiã. Iuerunt etiam peccatorum viam,dum Chriſtũ partiri conati ſunt,cuius Iudæi nec veſtimenta ſcindere voluerunt : cum Apoſtolus Paulus clamet & dicat,*Nunquid diuiſus eſt Chriſtus?* & vtinam ſi iam malam viam intrauerant,agnito peccato,ſuper ſe reuerterentur,id eſt emendarent,quod errauerant: reuocarent, quam fugauerant pacem: hoc erat de via reuerti. In via enim ambulatur, non ſtatur:Sed quia parentes veſtri. reuerti noluerunt,ipſos conſtat in via peccatorum ſtetiſſe. Quorum greſſus impulerat furor,retentos ligauit pigra diſcordia:Et ne regredi ad meliora potuiſſent,ipſi ſibi ſchiſmatis compedes poſuerũt, vt in errore ſuo pertinaciter ſtarent, ne ad pacẽ, quam deſeruerant reuerti potuiſſent. Nec audierunt ſpiritum ſanctum, dicentem in Pſalmo triceſimo tertio:*Diuerte à malo,& fac bonum* : *inquire pacem, & ſequere eam*: Sed ſteterunt in via peccatorũ ſuorũ.Sederunt etiã in Cathedra peſtilentiæ,quæ(vt ſupra diximus)ſeductos mittit ad mortem.Sed & dum vos parentum errorem colẽtes,ſtudioſe defenditis,hæredes ſceleris eſſe voluiſtis,cum filij pacis vel ſerò eſſe poſſetis: cũ in Ezechiele Propheta ſcriptum ſit, *Extolle vocẽ tuam ſuper filium peccatoris,ne veſtigia patris ſui ſequatur. Quoniam anima patris mea eſt, & anima filij mea eſt. Anima quæ peccat, ſola punitur.* Si diſpliceret vobis quod parentes veſtri peccauerũt,

de admiſſu ſuo ſoli redderent rationem. hoc modo vel vos beati eſſe poſſetis, & laudem de ore Prophetæ percipere, qui ait in Pſalmo primo, *Beatus vir qui non abiit in conſilio impiorum, & in via peccatorum non ſtetit, & in Cathedra peſtilentiæ non ſedit: ſed in lege domini fuit voluntas eius.*

Quid eſt aliud in lege habere voluntatem, niſi diuina præcepta & religioſe diſcere, & cum timore complere? In qua lege ſcriptum eſt, *Pax hominibus in terra bonæ voluntatis.* Et alio loco, *Ponam fundamenta pacis in Sion* Et alio loco, *Videamus quid loquatur dominus: Quoniam loquetur pacem in plebem ſuam.* Et alio loco, *Venit filius Dei, & factus eſt in pace locus eius.* Et alio loco, *Suſcipiant montes pacem populo, & colles iuſtitiam.* Et in Euangelio, *Pacem meam do vobis, pacem meam relinquo vobis.* Et Paulus ait, *Qui pacē ſerit, pacem & metet.* Et in omnibus epiſtolis ſuis: *Pax vobis abundet in nomine patris & filij & ſpiritus ſancti.* Et alio loco, *Quære pacem & conſequaris eam.* Fugata receſſerat pax à patribus veſtris, vos eam, ſicuti à Deo mandatum eſt, non quæritis, quam nec vltro voluiſtis quærere, non oblatam libenter accipere. Quis enim in tot prouinciis, quibus nati eſtis, audiuit? Et ſi aliquis audiuit, quis non veſtrûm miretur errorem? quis non veſtrū facinus damnet? Igitur cum manifeſtum ſit, & ipſa luce ſit clarius, nos cum tot innumerabilibus populis eſſe, & tot prouincias nobiſ-

cum: iam videtis vos in parte vnius regionis positos, & ab Ecclesia vestris erroribus esse separatos, frustra vobis solis hoc nomen Ecclesiæ cum suis dotibus vindicare: quæ magis apud nos sunt, quàm apud vos: quas constat ita sibi connexas & indiuiduas esse, vt intelligatur vna ab altera separari non posse. Etenim numerantur in nomine, sed vno intellectu suo iunguntur in corpore: vt in manu digiti, quos interuallis singulos videmus esse distinctos. Vnde, qui tenet vnum, totos teneat necesse est, cum vnusquisque à paribus separari nõ possit. Adde quod non vnam solam, sed omnes proprie possidemus. Igitur de dotibus suprà dictis Cathedra est (vt supra diximus) prima quam probauimus per Petrum nostram esse, qui ducit ad se angelum. Nisi forte eum vobis vindicantes, habetis in loculis clausum. Mittite illum si potestis, excludat septem angelos, qui sunt apud socios nostros in Asia, ad quorũ Ecclesias scribit Apostolus Ioannes. Cum quibus Ecclesiis nullum communionis probamini habere consortium. Vnde vobis angelum, qui apud vos possit fontem mouere, aut inter cæteras dotes Ecclesiæ numerari. Extra septẽ Ecclesias, quicquid foris est, alienũ est: Aut si inde habetis aliquẽ vnũ, per vnũ communicatis & cæteris angelis, & per angelos memoratis Ecclesiis, & per ipsas Ecclesias nobis. Si ita est, litigiũ perdidistis. Ecce iã apud vos dotes esse non possunt. Non enim spiritũ Dei soli vo-

bis vindicare poteſtis, aut includere, quod intelligitur & non videtur. Sic enim in Euangelio ſcriptum eſt, *Nam ſpiritus Deus eſt, & vbi vult aſpirat, & vocem eius audis, & neſcis vnde veniat & quò eat.* Permittite Deum vnde velit ire, & quò velit accedere: habeat libertatem, qui audiri poteſt, & videri non poteſt. Et tamen ſtudio criminandi libenter blaſphemare voluiſti, vt diceres, Nam in illa Eccleſia quis ſpiritus eſſe poteſt, niſi qui pariat filios gehennæ? Vomuiſti de pectore tuo conuitium, & putaſti adiungendum eſſe de Euangelio teſtimonium, vbi lectũ eſt: *Væ vobis hypocritæ, qui circuitis maria & terras, vt faciatis vnum proſelytum, & cum inueneritis, facitis eum filium gehennæ dupliciter, quàm vos eſtis.* Si hoc conuitium faciendum erat, quod non licet: quamuis ſine cauſa fiat, vtinam aliquis ex veſtro numero hoc dixiſſet: & tamen te hoc dixiſſe ſatis admiror, id falſo in alterum dicere, ex quo, ſi ordinationem tuam conſideres, poſſis & erubeſcere.

Commemoraſti enim lectum eſſe in Euangelio, *Væ vobis hypocritæ, qui circuitis maria & terras, vt faciatis vnum proſelytum*, hoc eſt, vt muretis alicuius ſectam. Tu quidem cuius ſectæ fueris neſcio: Tamen importune à te dictum eſſe æſtimo, quod te iam forte huius dicti pœniteat. Nunquid nos aliquas peragrauimus terras? Nũquid nos aliqua circumiuimus maria? Nunquid nos ad peregrinos acceſſimus portus? Nunquid

nos aliquem adduximus Hiſpanum & Gallum? Aut nos ordinauimus ignorantibus peregrinũ? Nam & fontem conſtat vnam eſſe de dotibus, vnde hæretici non poſſunt vel ipſi bibere, vel alios potare. Quia ſoli, ſigillum integrum (id eſt Symbolum Catholicum) non habentes, ad fontem verum aperire non poſſunt. Nam cum in Canticis canticorum ſcriptum eſt, *Sit vmbilicus tuus, vt crater tornatilis*: Vmbilicum altare affirmare conatus es. Si vmbilicus membrum eſt in corpore, inter dotes eſſe nõ poteſt, quod membrum eſt. Si ornamentum eſt, pars corporis non eſt.


Reſtat iam vt dotes quinque eſſe videantur. Quæ dotes, cum ſint Eccleſiæ Catholicæ (quæ eſt in tot prouinciis ſupra memoratis) etiã apud nos hîc in Aphrica deeſſe non poſſunt. Intelligite vel ſero, vos eſſe filios impios, vos eſſe ramos fractos ab arbore, vos eſſe abſciſſos palmites à vite, vos eſſe riuum conciſum à fonte. Non enim poteſt eſſe origo riuus, quia paruus eſt, & non de ſe naſcitur: aut arbor à ramo concidi, cum arbor fundata ſuis radicibus gaudeat, & ramus ſi fuerit exectus areſcat. Iam ne vides frater Parmeniane, iam ne ſentis, iam ne intelligis, te argumentis tuis contra te militaſſe? Cum probatum eſt, nos eſſe in Eccleſia ſancta Catholica, apud quos & Symbolum Trinitatis eſt: & per Cathedrã Petri, quæ noſtra eſt, & cæteras dotes apud nos eſſe, etiam ſacerdo-

tium, quod in nobis annullare visus es in excusatione erroris & liuoris vestri, dum post nos rebaptizaris: & post socios vestros in peccato detectos, hoc non facitis. Dixisti enim, quod si sacerdos in peccato sit, solæ possint dotes operari. Igitur, quia docuimus & quid sit hæresis, & quid sit schisma, & quid sit Ecclesia, & quid sancta Ecclesia: & huius sanctæ Ecclesiæ est constituta persona, & hanc sanctam esse Catholicam, quæ in toto sit orbe terrarum diffusa: Cuius membra & nos inter alios sumus: Cuius dotes apud illam vbique sunt. Deinde in primo libro probauim⁹, ad nos non pertinere traditionis inuidiam, & hoc crimen etiam à nobis esse damnatum. Iam illud mihi volo respōdeas, Cur de solis Ecclesiæ dotibus loqui voluisti, & de sanctis eius membris ac visceribus tacuisti: quæ sunt procul dubio in Sacramentis & in nominibus Trinitatis. Cui concurrit fides credentium, & professio, quæ apud acta conficitur Angelorum, vbi miscentur cœlestia & spiritalia semina, vt sancto germine noua possit renascentium indoles procreari: vt dum Trinitas cum fide concordat, qui natus fuerat sæculo, renascatur spiritaliter Deo. Sic fit hominum pater Deus, sancta sic fit mater Ecclesia. Hæc omnia intelligo à te ideo non esse nominata, ne in iis omnis ratio Baptismatis agnosceretur. Vbi nihil sibi operarius, qui homo est, vindicet: quod vos facitis. Ideóque ad solas dotes te conferre

voluiſti, quas velut manu apprehenſas, aut a-qua concluſas, Catholicis denegans, vobis ſolis eas fruſtra vindicare conatus es. Cum agatur de regeneratione,cum agatur de homine innouando,nulla à te credentium fides, nulla profeſſio nominata eſt. Dum vis de ſolis dotibus loqui,omnia hæc,ſine quibus ſpiritalis illa natiuitas reparari non poteſt, in ſilentio remiſiſti. Et cum dotes ad ſponſam, non ſponſa ad dotes pertineat:ſic ordinaſti dotes, quaſi ipſæ videantur generare:non viſcera,quæ intelliguntur plus poſita in Sacramentis, quam in ordinamentis. Nec illud prætereo, quod ore tuo & ſenſu noſtro Eccleſiam Paradiſum eſſe dixiſti: quæ res ſine dubio vera eſt. In quo horto Deus plantat arbuſculas. Et tamen Deo diuitias ſuas denegatis, cuius hortum in anguſtias cogitis,dum vobis ſolis immerito omnia vindicatis. Vtique plantationes Dei ſunt diuerſa ſemina per diuerſa præcepta.Iuſti,continentes, miſericordes, & virgines, ſpiritalia ſunt ſemina:harum rerum arbuſculas in Paradiſum deus plantat. Concedite deo,vt hort⁹ eius ſit lõge lateque diffuſus.Quid illi negatis Oriẽtis & Septẽtrionis, etiam Occidẽtis Prouinciarũ omnium,& innumerabilium Inſularũ populos Chriſtianos?Contra quos,vos ſoli pauci,rebelles eſtis,& cum quibus nullũ cõmunionis conſortium poſſidetis.Iam & mendacium veſtrum hoc loco iuſte damnari poteſt, quo quotidie à vobis ſacrificia condiũtur. Nam

quis dubitet,vos illud legitimum in Sacramentorum mysterio pręterire non posse?offerre vos Deo dicitis pro Ecclesia,quæ vna est:hoc ipsum mendacij pars est,vnam te vocare, de qua feceris duas. Et offerre vos dicitis pro vna Ecclesia, quæ sit in toto terrarum orbe diffusa. Quid si vnicuique vestrûm dicat Deus, *Quid offeres pro tota,qui non es in tota*? Si nos vobis displicemus, quid vobis fecit Antiochia ciuitas?quid Arabia prouincia? Vnde probamus venientes, à vobis esse rebaptizatos. In vno tibi solo, Parmeniane frater,ingrati esse non possumus, Quod Ecclesiam nostram,id est Catholicam, quæ continetur toto orbe terrarũ, quamuis ab ea sis alienus, laudare voluisti, numerando dotes: In quarum tamen numero errasti,& in dicendo, quia ipsa est hortus conclusus, & fons signatus, & vnica sponsa. Hoc nos de nostro dicimus. Nam tu de alieno locutus es. Quicquid de laudibus Ecclesię dicere potuisti,nos priores eadem loquimur. Traditores vobiscum & ipsi damnamus, eos videlicet, quos si meminis, in primo libro demonstrauimus: & cum sit nobis cum vniuerso orbe communio, & cum vniuersis prouinciis nobiscum, sic iam dudũ duas Ecclesias comparare voluisti, quasi sola habeat Africa Christianos,in qua vitio vestro duę vidẽtur partes effectæ. Et dum immemor factus es Christi, dicentis,*Vnam esse sponsam suam*:tu in Africa non dixisti duas esse partes, sed duas Ecclesias

Certe vna eſt,quæ voce Chriſti meruit indicari, qui ait: *Vna eſt columba, vna eſt ſponſa mea*. Et tu huius vocis oblitus, ad inuidiam Catholicis faciendam,his locutus es verbis, *Neque enim Eccleſia dici poteſt quæ cruentis morſibus paſcitur, & ſanctorum ſanguine & carnibus opimatur*. Certa membra ſua habet Eccleſia, Epiſcopos,Preſbyteros, Diaconos, miniſtros,& turbam fidelium. Dicite cui generi hominum in Eccleſia noſtra hoc poſſit adſcribi,quod obiicere voluiſti? Specialiter nomina aliquem miniſtrum,oſtẽde aliquem Diaconũ nomine ſuo. Indica hoc ab aliquo factũ eſſe preſbytero. Proba hoc Epiſcopos admiſiſſe. Doce aliquẽ noſtrûm cuiquã inſidiatũeſſe. Quis noſtrũ quẽquã perſecutus eſt? quẽ à nobis perſecutũ eſſe,aut dicere poteris aut ꝓbare? Sed quia tibi vnitas diſplicet: Hoc ſi crimẽ putas, ar guenos Theſſalonicenſibus,Corinthiis,Galatis, Septem Eccleſiis,quæ ſunt in Aſia, cõmunicaſſe. Si nefas tibi videtur, aut ſi reatum putas memoriis Apoſtolorum & ſanctorum omnium communicaſſe: hoc nos feciſſe, non ſolum non negamus, ſed etiam gloriamur. Sed vt oſtendã, partẽ veſtram (vt dixiſti) cruentis morſibus paſtam,Chriſtianorum ſanguine opimatam: à principio ſuo veſter rabidus commemorandus eſt furor: iam veſtra retexẽda impietas, iam ſtultitia demonſtranda. In quo prius eſt oſtendere, erubeſcendam lætitiam veſtram,& gaudia criminoſa,quod vobis à priſtini erroris libertate rediſſe



cõtigerit. Recẽſete tẽpora, diſcutite rationes rerũ, diſſimilia vota, & perſonas diuerſas attẽdite. Redeat in memoriã Cõſtantinus imp. Chriſtianus: quẽ famulatũ exhibuerit Deo, quę habuerit vota, vt remotis ſchiſmatibus, intermortua omni diſſenſione, ſub toto cœlo filios ſuos gaudẽs, in vno videret ſancta mater Eccleſia. Reddiderat vnam communionem, maritis vxores, parentibus filios, fratribus fratres. Quibus rebus Deus ſe lætari teſtatur, dum dicit, *Ecce quam bonum & quam iocundum, habitare fratres in vnum.* Etenim cũ Africanos populos & Orientales, & cæteros tranſmarinos, pax vna cõiungeret & ipſa vnitas, repræſentatis omnibus membris corpus Eccleſiæ coagularet: dolebat hoc diabolus, qui ſemper de fratrum pace torquetur. Illo tẽpore ſub Imperatore Chriſtiano, deſertus in Idolis, tãquã incluſus, latebat in templis. Hoc eodem tempore duces & principes veſtros merita relegauerãt ſua. In Eccleſia nulla fuerant ſchiſmata, nec Paganis licebat exercere ſacra ſacrilega: Pax Deo placita apud omnes Chriſtianos populos habitabat: diabolus mœrebat in templis, vos in regionibus alienis.

Deinde alter vt omnibus notum eſt, ſecutus Imperator, vobiſcum vota ſiniſtra concipiens, ex famulo Dei factus eſt miniſter inimici, Apoſtatã ſe edictis ſuis teſtatus eſt. Quem precibus rogaſtis, vt reuerti poſſetis. Quas preces, ſi vos negatis miſiſſe, nos legimus. Nec difficultatem

præbuit, quem rogaſtis.ire præcepit pro voto ſuo,quos intellexerat ad diſturbandam pacem cum furore eſſe venturos.Erubeſcite ſi vllus eſt pudor. Eadem voce vobis libertas eſt reddita, qua voce Idolorum patefieri iuſſa ſunt templa. Eiſdem pene momentis veſter furor in Africam reuertitur, quibus diabolus de ſuis carceribus relaxatur. Et nō erubeſcitis,qui vno tempore cum inimico communia gaudia poſſidetis! Veniſtis rabidi, veniſtis irati, membra laniantes Eccleſiæ: ſubtiles in ſeductionibus, in cædibus immanes, filios pacis ad bella prouocantes. De ſedibus ſuis multos feciſtis extorres, cum conducta manu venientes, Baſilicas inuaſiſtis, multi ex numero veſtro per loca plurima (quæ ſub nominibus dicere longum eſt) cruentas operati ſunt cædes, & tam atroces,vt de talibus factis, ab illius temporis iudicibus relatio mitteretur. Sed interuenit & occurrit iudiciū Dei,vt ille,qui vos iam dudū redire iuſſerat,Imperator prophanus& ſacrilegus,moreretur,qui perſecutionē,vobis prouocantibus,iam miſerat aut mittere diſponebat. Operara eſt apud loca ſupradicta in Catholicos trucidatio. Memoramini per loca ſingula, qui fuerinr veſtri diſcurſus. Nónne de numero veſtro fuerunt Fœlix Diabenſis, Ianuarius Flamen Piſtenſis, & cæteri, qui tota celeritate cucurrerunt ad caſtellum Lemellenſe: vbi cum contra importunitatem ſuam viderent Ba-

ſilicam clauſam, præſentes iuſſerunt comites ſuos,vt aſcenderent culmina,nudarent tecta,iactarent tegulas.imperia eorum ſine mora completa ſunt: & cum altare defenderent Diaconi Catholici tegulis plurimi cruentati ſunt,duo occiſi ſunt. Primus filius Ianuarij,& Donatus filius Nini,vrgentibus & præſentibus Coëpiſcopis veſtris ſupra memoratis:vt ſine dubio de vobis dictum ſit, *Veloces pedes eorum ad effundendum ſanguinem*. De qua re Primoſus,Epiſcopus Catholicus loci ſupra memorati,in concilio veſtro apud Theueſtinam ciuitatẽ queſtus eſt, & querelas eius diſſimulanter audiſtis. Ecce à vobis factum eſt,quod dixiſti,Eccleſiam non eſſe,quę cruentis morſibus paſcitur:& aliud ſunt,milites miſſi,aliud Epiſcopi ordinati.Quod contra nos inuidioſe loquimini, ab aliis factum eſt, non à nobis.Quod dicitis non debuiſſe fieri,vos feciſtis.Commemoraſtis & B. Apoſtolum Paulum dixiſſe, *ſine ruga & ſine ſorde Eccleſiam eſſe debere.* Epiſcopis veſtris iubentibus & præſentibus, ſuper altare Catholici diaconi occiſi ſunt. Similiter & apud Carpos nõ tibi vidẽtur inexpiabiles ſordes?In Mauritaniæ ciuitatibus,vobis inſtantibus,quaſſatio populi facta eſt. Mortui ſunt in vteris matrum,qui fuerant naſcituri. Non tibi videtur ruga,quæ non poſſit ſvllis ſatisfactionibus tẽdi aut explanari?Quid tale à nobis admiſſum eſt?nos expectamus vindicem Deum. Et inuidiá facitis Macario, qui ſi aliquid aſperè fe-

cit pro vnitate, leue videri poterit: dum vos pro dissensione tanta mala, acerba, cruenta & hostilia feceritis. Quid commemorẽ Thipasam Cæsariensis Mauritaniæ ciuitatem? Ad quam de Numidia Vrbanus Formensis, & Fœlix Idicrensis, duæ faculæ, incensæ liuoribus, cucurrerunt: qui & eorum in pace positorum animos perturbantes: nonnullorum officialium & fauore & furore iuuante, & Athenio præside pręsente cũ signis, Catholica frequentia exturbata & cruentata, de sedibus suis expulsa est: lacerati sunt viri, tractæ sunt matronæ, infantes necati, abacti sũt partus. Ecce vestra Ecclesia, Episcopis ducibus, cruentis morsibus pasta est. Post hoc etiam aliud addidisti, *Quantum vult consumat edacitas vulturum, tamen maior est numerus columbarum*. Vbi est, quod vulgo dicitur, *Memoriam custodem habere oportet mendacem?* Oblitus es, quod paulo ante dixisti, Ecclesiam vnam columbam Christi in Canticis canticorum dictã. Si vna est apud vos Ecclesia, vna est columba: Quid est, quod dicere voluisti, *Numerus maior est columbarum?* Et quod vobis leue videtur, facinus immane commissum est. Vt omnia sacrosancta supra memorati vestri Episcopi violarent, iusserunt Eucharistiam canibus fundi: non sine signo diuini iudicij. Nam iidem canes accensi rabie, ipsos dominos suos, quasi latrones, sancti corporis reos, dente vindice, tanquam ignotos & inimicos laniauerunt. Ampullam quoque Chrismatis per

fenestram, vt frangerent, iactauerunt. Et cũ casum adiuuaret abiectio, non defuit manus angelica, quæ ampullã spiritali subuectione deduceret proiecta casũ sentire nõ potuit. Deo muniẽte, illęsa inter saxa cõsedit. Et possent ista nõ fieri, si mandata Christi in memoria haberetis, qui ait, *Ne dederitis sanctũ canibus, neque miseritis margaritas ante porcos, ne conculcent pedibus suis eas, & conuersi elidant vos.* Quid tale ab operariis Vnitatis fieri potuit? vnde nobis Catholicis vanam inuidiam facere laboratis. Inde reuertentes Vrbanus Formensis & Fœlix Idicrensis, inuenerũt matres, quas de castimonialibus fecerunt mulieres. Ecce quales, frater Parmeniane, Episcopos celas: & cum pro tuis erubescere debueras, Catholicos innocentes accusas. Interea supra memoratus Fœlix inter crimina sua, & facinora nephanda, ab eo compressam puellam, cui mitram ipse imposuerat, à qua paulo antè pater vocabatur, npharie incestare minime dubitauit. Et quasi de peccato sanctior fieret, inde velociter properauit. Sic Donatum annorum septuaginta Episcopum hominem, innocentem spoliare ausus est Episcopali nomine & officio & honore. Venit schismaticus ad Catholicum: ad innocentem reus, ad Dei sacerdotem sacrilegus, incestus ad castum, ad Episcopum iam non Episcopus: sed de placito & de coniuratione vestra securus, vestris legibus & decretis armatus: manus, quas paulò antè peccata graua-

uerant, capiti innocentis iniecit: & de illa lingua auſus eſt ferre ſententiam, quæ iam nec ad pœnitentiam agendam vel idonea videbatur. Ecce, quales, frater Parmeniane defendis: ecce, pro qualibus iam dudum dotes operari dixiſti. Etiam vos ipſi, qui ſancti & innocentes videri ab hominibus vultis, dicite, vnde eſt iſta ſanctitas, quam vobis licentius vſurpatis? quam Ioannes Apoſtolus profiteri non audet, qui ait, *Si dixerimus, quia peccatū non habemus, nos ipſos decipimus, & veritas in nobis non eſt*. Hoc qui dixit, ſapienter ſe ad Dei gratiam reſeruauit. Eſt enim Chriſtiani hominis, quod bonum eſt, velle: & in Deo, quod bene voluerit, currere: ſed homini non eſt datum, perficere: vt poſt ſpacia, quæ debet homo implere, reſtet aliquid Deo, vbi deficienti ſuccurrat: quia ipſe ſolus eſt perfectio, & perfectus ſolus Dei filius Chriſtus. Cæteri omnes ſemi-perfecti ſumus. Quia noſtrum eſt velle, noſtrum eſt currere: Dei, perficere. Vnde Beatus Apoſtolus Paulus ait: *Neque volentis neque currentis, ſed ad Dei gratiam pertinentis*. Nam & à Chriſto ſaluatore noſtro, perfecta ſanctitas non eſt data, ſed promiſſa. Denique ſic ait, *sācti eritis, quia & ego ſanctus ſum*. Solus eſt ſanct⁹ & perfectus. Deniq; nō dixit, *ſancti eſtis*: ſed, *ſancti eritis*, dixit. Vnde eſt ergo, ꝙ vobis perfectā ſanctitatē de ſuperbia vindicatis? niſi vt appareat, quia vos ipſos decipitis, & veritas in vobis nō eſt. Ioānis

ſocij eſſe noluiſtis. Cum enim ſeducitis aliquos, promittitis, vos indulgentiam peccatorum eſſe daturos: & cum vultis donare peccata, veſtram profitemini innocentiam: & remiſſionem peccatorum ſic datis, quaſi nullum habeatis ipſi peccatum. Non eſt iſta præſumptio, ſed deceptio: nec veritas, ſed mendacium. Etenim inter vicina momenta, dum manus imponitis & delicta donatis, mox ad altare conuerſi, dominicam orationem prætermittere non poteſtis. Et vtique dicitis, *Pater noſter, qui es in cœlis, dimitte nobis debita & peccata noſtra.* Quid vocaris, dum peccata confiteris tua? Si ſanctus es, cum dimittis aliena? hoc modo & vos ipſos decipitis, & veritas in vobis non eſt. Sed vt apparet, hoc vobis dictat nutrix veſtra Superbia: quam Chriſtus in Euangelio teſtificatur: qui & ſi nomina veſtra non dixit, per ſimilitudinem tamen veſtros mores oſtendit. Sic enim ſcriptum eſt: *Dicebat Ieſus hãc ſimilitudinem, propter eos qui ſe ſanctos putant, & contemnunt cæteros.* Hoc de vobis dictum eſſe, ipſa res euidenter oſtendit: dum vos quaſi ſanctos extollitis, & nos manifeſte apertéque contemnitis. *Duo* (inquit) *aſcenderunt in templum adorare, vnus Phariſæus, & alter Publicanus.* Phariſæus tumidus, ſuperbus, inflatus, talis, quales & vos videmus. Non humiliato corpore, non inclinata ceruice: ſed erecta facie, & tumenti pectore, *Gratias tibi* (inquit) *Deus, quia nihil peccaui.* Hoc eſt dicere Deo, *non habeo, quod ignoſcas.* Hò inſanus furor,

furor,hò punienda & damnáda ſuperbia.Deus paratus eſt ignoſcere, & reus feſtinat indulgentiam recuſare.Publicanus humilis, hominem ſe eſſe cognoſcens,ſic rogauit,dicens, *Propitius eſto mihi peccatori*: Sic iuſtificari meruit. Sic ſuperbia in Phariſæo, magiſtro veſtro,de templo, damnata deſcendit.Meliora inuenta ſunt peccata cũ humilitate, quàm innocentia cum ſuperbia. Deinde cum vobis traditionis & ſchiſmatis grauia peccata non deſint,inſuper & ſuperbos eſſe gratulamini. Nunc quoniam erubeſcenda gaudia veſtra probauimus,& furor veſter tot locis oſtenſus eſt: reſtat de profunda impietate veſtra aliquid dicere.Nam omnia, quæ à vobis aut facta ſunt,aut dicta,quis poterit explicare? Sic cũcta malignitate quadam ordinaſſe vos conſtat, vt in vna ſpecie operis, ſpecies alias impleretis: vt dum preſbyter aut Epiſcopus deijcitur, ſic populus caperetur. Quomodo poſſet turba hominum ſtare, quæ rectorem ſuum eliſum eſſe conſpiceret? Non aliter,quam quocumque caſu,paſtore occiſo, lupi graſſantur. Exorcizaſtis & lauiſtis ſine cauſa parietes:vt hoc nequitiæ genere ſubrueretis ſimpliciſſimorum hominum mentes.Talibus conſiliis veſtris, nonnullorum animi iugulati ſunt. Et ſub nube ſimplicitatis, obcæcato lumine,vt miſeros ſterneretis,ſagittas de pharetra pectoris veſtri, ſeductionibus præmiſiſtis:vt de vobis ſpiritus ſanctus per Dauid Prophetam in Pſalmo x. prædixerit, *Quoniam*

ecce peccatores intenderunt arcum: parauerunt ſagittas in pharetra, ad ſagittandos in obſcuro rectos corde. Quid à vobis minus factum eſt? Veſtris conſiliis ſagittati ſunt innocentes, exarmati fideles, honore nominis ſui ſpoliati ſunt Sacerdotes. O impietas inaudita, quem iugulaueris inter pœnitentiam & tormenta ſeruare. In comparatione operis veſtri, latronum leuior videtur immanitas. Vos viuum facitis homicidium: latro iugulans dat de morte compendium. Paupertate ſenſus ſui circumuenti ſunt, quos decipere potuiſtis. Perfecti enim fuerant illi, opere ſcilicet Dei, qui in eius nomine fuerant ordinati. Et vos contra opus Dei hoſtiliter militantis, diuinum opus malitiæ vectibus deſtruentes. Apparet ergo de vobis dictum eſſe in x. Pſalmo. *Quoniam quæ tu perfeciſti, ipſi deſtruxerunt.* Fecit vos ſuperbos impietas veſtra: ſed accuſat vos proſpiciens de cœlo iuſtitia. Et iniqua vos gerentes error hominum laudat, vt de vobis in ix. Pſalmo dixerit ſpiritus ſanctus, *Quoniam laudatur peccator in deſideriis animæ ſuæ: & qui iniqua egerit, benedicetur.* Quid iniquius, quam exorcizare ſpiritum ſanctum? altaria frangere? Euchariſtiam animalibus proijcere? Et vt in errorem vos veſter populus mittat, laudando fœlices appellat: & bene nominant, & per vos iurant, & perſonas veſtras iam pro Deo habere noſcuntur. Solet Deus ad probandã fidem in iuratione ab hominibus no-

minari. Sed cum per vos iuratur, iam apud vestros de Deo & Christo silentium est. Si ad vos diuina migrauit de cœlo religio, quia per vos iuratur nemo vestrorū langueat: nolite mori: imperate nubibus: pluite, si potestis: vt per vos plenius iuretur, & de Deo sileatur. Nam & prioribus sæculis, vt templa fabricarentur, & Idola fierent, quid vestro populo diabolus potuit amplius facere? Nihil aliud, nisi vt de Deo taceretur, dum per errorem homines de solo diabolo loquebantur. O sacrilegium impietati commixtū, dum homines per vos iurantes libenter auditis, & vocem Dei auribus non admittitis vestris. Qui in ciiij. psalmo sic ait, *Ne tetigeritis vnctos meos neque in prophetas meos manum miseritis*. Vnctos autem esse & reges & sacerdotes, & libri Regnorū indicant. Et Dauid in Psalmo cxxxij. sic ait, *sicut vnguentum quod descendit in barbam Aaron*. Et tamē vos contra easdem vires conati estis præcepta contemnere: quibus, qui dominum timent, mandata conantur implere. Docete, vbi vobis mandatum est radere capita sacerdotum, cùm econtrario sint tot exempla proposita, fieri non debere. Saul antequam peccaret, vngi meruit: post vnctionem non leuiter offendit. Hoc Deus cum videret, propter oleum non tangendū, volens exemplū proponere, pœnitentiā suā professus est. Sic enim legitur dixisse dominum, *Pœnitet me vnxisse Saul in Regem*. Et vtique potuit Deus oleū quod dederat auferre.

Sed cum voluit docere non debere contingi oleum etiam in peccatore, ipsi qui dederat, pœnitentiã gessit. Igitur Deus, si, vt te doceret, quod dedit auferre non potuit, per quod noluit: tu quis es, qui auferas quod non dedisti? & qui parare debebas aures ad audiendum, parasti nouaculam ad delinquendum. Et cum possetis esse filij Dei, filij hominum esse voluistis: & ad infigẽdum morsum honoribus alienis, dentes vestros in sagittas & arma vertistis: linguas acuistis in gladios. Implestis quod de vobis in Psalmo lvj. scriptum est; *Filij hominum, dentes eorum* arma & sagittæ, *& lingua eorum gladius acutus*. Ergo linguas vestras acuistis in gladios, quas mouistis in mortes, non corporum, sed honorum. Iugulastis non membra, sed nomina. Quid prodest, quia viuunt homines, & occisi sunt honores à vobis? valent quidem membris, sed erepta portant funera dignitatis. Extendistis enim manum, & super omne caput mortifera velamina prætendistis: vt cũ sint (sicut supra dixi) quatuor genera capitum in Ecclesia, Episcoporum, Presbyterorum, Diaconorum, & fidelium: nec vni parcere voluistis: euertistis animas hominum. Hos actus vestros dolet Deus, in Ezechiele propheta cum dicit, *Va facientibus velamen*, hoc est, imponentibus manum *super omnem ætatem ad euertendas animas*. Inuenistis pueros: de pœnitẽtia sauciastis, ne aliqui ordinari potuissent. Agnoscite vos animas euertisse. Inuenistis fideles antiquos, feci-

ſtis pœnitentes. Agnoſcite vos animas euertiſſe. Inueniſtis Diaconos, Preſbyteros, Epiſcopos: feciſtis Laicos. Agnoſcite vos animas euertiſſe. Socius & comes veſter iam dudum fuerat, cui nũc manus inferre conatus es. pariter currebatis: fac illum peccaſſe, cũ peccatũ non eſſe conſtet. Iacebat vt æſtimas: ſi Apoſtolum legiſti, tu vide cui ſtes, & ille cui iaceat: Si ſeruus es, dominũ recognoſce, & intellige, quia nõ tibi iacebat, qui tecum paulo ante currebat. Quid in poteſtatẽ alienã irruis? Quid temerarius Dei tribunal aſcẽdis? Et cũ ipſe ſis reus, in alterũ audes ferre ſententiam? Et legiſti, Qui ſtat, domino ſtat ſuo: Et qui iacet, domino ſuo iacet. Potẽs eſt autẽ dominus eius, ſuſcitare eũ. Tu qui es, qui de ſeruo alieno iudices? Oleum ſacerdoti à Deo collatum, non debuiſſe vos tangere, à puero Dei Dauid diſcere debuiſtis, qui ſic per Samuel vngitur, vt Sauli ꝗ iã dudũ datũ fuerat, minime tolleretur. Denique vel cum Deo iubẽte vel euentu procurãte, vna eos ſpelunca cõcluderet. venerat in poteſtatem pueri Dauid Saul, qui peccauerat. Videtur non videns, ideo quod à maiori lumine (vt fieri aſſolet) in caligine clauſi aëris, alterũ iuxta ſe videre non potuit. Innumerabiles antiquũ Regẽ ſequebantur exercitus: ſed ipſe rex in poteſtatẽ venerat alienam. Occaſionem victoriæ Dauid habebat in manibus: incautum & ſecurũ aduerſariũ, ſine labore poterat iugulare: & ſine ſanguine & conflictu multorum, poterat bellum mu-


tare in cædẽ. Et pueri eius & occasio suadebãt: Ad victoriã opportunitas hortabatur. Stringere iam cœperat ferrũ: ire iã cœperat armata manus hostiles in iugulos. Sed obstabat plena diuinorum memoria mandatorum: hortantibus se pueris & occasionibus contradicit, tanquam & hoc diceret: *Sine causa me victoria prouocas: frustra me occasio in triumphos inuitas*. Volebam hostem vincere: sed prius est diuina præcepta seruare. *Non*, inquit, *mittam manus in vnctum domini*. Repressit cum gladio manum: & dum timuit oleũ, seruauit inimicum. Et cum compleret obseruantiam, vindicauit occisum. Vos nec Deum timetis, nec fratres agnoscitis: in corde liuoris acuistis nouaculas linguæ: & diuina præcepta calcãtes, miserorum properastis in capita: vt in captiuitatem cæcos & imperitos populos, iugulatis ducibus, traheretis. Esuritis honores innocentiũ sacerdotum. Vnde furori vestro tanta fames innata est, vt guttura vestra sepulchra patentia feceritis. Vnicuique sepulchro sufficit vnum funus, & clauditur: gutturi vestro honorum funera minime sufficiunt, & adhuc patent, dum aliquos quæritis deuorare. Vt merito de vobis dictum sit: *Sepulchrum patens est guttur eorum*. Nam & de maledictione præsumitis, cum scriptum sit, *Benedicite & nolite maledicere*. Quisquis cõtra vestram voluntatem aliquid fecerit, intentatis terrores, maledicta prætenditis. Et quia aliqui homines, plus mali mereri possunt, quam

boni: quicquid iudicium Dei aut peccati meritum fecerit, amaris vestris maledictionibus vindicatis: merito, quia de vobis dictum est, *Os eorum maledictione, & amaritudine plenum est.* Gloriamini, quod vobis maledicentibus, aliqui homines mori potuerunt. Certe non licet occidere. An ideo vos putatis innocentes, quia ferro vsi non estis? Innocentem se & venenarius iudicet, si in solo ferro est homicidium. Non sibi videatur reus, qui alterũ subducto cibo necauerit. Innocentem se iudicet, qui spirandi prohibita facultate, suffocauerit viuere cupientem. Necis multa sunt genera, sed vnum nomen est mortis. Maledictionibus tuis cum fiducia hominẽ mortuum protestaris. Quid interest an gladio ferias, an lingua percutias? indubitanter homicida es, si per te mortuus fuerit qui viuebat. Quisquis talis ex vobis est, frustra se Christianũ aut sacerdotem Dei profitetur: qui lenitatem Dei non curat cum scriptum sit, Deus mortem non fecit, nec lætatur in perditione iustorum. Credo vos obliuisci non posse, quid per loca aliqua feceritis, cũ eos, qui legem Dei prædicabant, id est, Prophetas, velletis occidere contra iussionem Dei dicentis, *Et in Prophetas meos manum ne miseritis.* Deuterium, Partenium, Donatum, & Getulicũ, Dei Episcopos, linguæ gladio iugulastis, fundentes sanguinem non corporis, sed honoris. Vixerũt postea homines, sed à vobis occisi sunt in honoribus Dei sacerdotes. Multis notum

eſt & probatum, perſecutionis tempore Epiſcopos aliquos, inertia à confeſſione Dei delapſos thurificaſſe, & tamen nullus eorum qui euaſerunt, aut manum lapſis impoſuit, aut vt genua figerent, imperauit. Et facitis vos hodie poſt vnitatem, quod à nullo factum eſt poſt thurificationem: quia ſcriptum eſt, *Ne tetigeritis vnctos meos, neque in Prophetas meos manum miſeritis*. Oleum ſuum defendit Deus: quia ſi peccatum eſt hominis, vnctio eſt tamen diuinitatis. *Ne tetigeritis* (inquit) *vnctos meos*. Ideo, ne dum peccatum hominis percutitur, & oleũ, quod Dei eſt, feriatur. Iudicio ſuo Deus ſeruauit rem ſuam, & tamen vos paſſim irruiſtis in alienam, corrumpentes omnium fœlicitatem. Nã quæ maior infœlicitas, quam Dei ſacerdotes viuere, nec, eſſe quod fuerant? matronæ, pueri ſimul & virgines, à vobis coactæ, nullo interueniente peccato, ſalua innocentia & pudicitia, vobis docentibus pœnitentiam gerere didicerunt. Nunquid minor eſt infœlicitas? contritas ſexu vexaſtis ætates? Vere de vobis dictum eſt, *Contritio & infœlicitas in viis eorum, & viam pacis non cognouerunt: Non eſt timor Dei ante oculos eorum*. Indixiſtis pœnitentiam plebibus. Nec enim acta eſt ab aliquo, ſed à vobis exacta: nec æqualibus ſpaciis temporum, ſed egiſtis omnia pro perſonis, alter anno toto, alter menſe, alter vix tota die, imperãtibus vobis pœnitẽtiã geſſit. Si vnitati conſentire (vt vultis) peccatum eſt, ſi

eſt ſimilis culpa:quare non eſt æqualis pro eodē reatu pœnitentia?Dubium non eſt, eſſe vocatū populum credentium, Iſrael, id eſt, qui mente Deum videat,& tamen has plebes coëgiſtis flectere & inclinare ceruices,Et ſerie capitum iuncta,maſſam pœnitentium facere.Has plebes dolet Deus per Ezechielē,dicens,*Væ filiabus Iſrael, quæ ſarciunt ceruicalia*, vt ſupponant ſub cubito & ſub manu.Vtique ſub cubito & ſub manibus veſtris, cum ſuper earum capita velamina pœnitentiæ tenditis. Quæ impietas veſtra & furor oſtenſus eſt,& ſuperbia demonſtrata:etiam ſtultitia fuerat reuelanda:ſed hanc in ſexto libro demonſtrabo.

LIBER TERTIVS.



SAtis,vt arbitror,in ſecundo libello de Eccleſia quæ ſponſa eſt Chriſti, & de eius dotibus, & de hæreditate diximus Saluatoris: conſequens eſt, primo ſchiſmaticorum errores oſtendere. Deinde, quæ fuerit cauſa, vt vnitas fieret.Tertio, quæ fuerit,vt miles mitteretur armatus.Ab operariisvnitatis multa quidem aſperè geſta ſunt, ſed ea ad quid imputatis Lentio, Macario,vel Taurino? imputate maioribus veſtris: qui(ſicut in Propheta ſcriptū eſt) vt vobis ſtupeſcerent dentes; ipſi vuas acidas comede-

runt. Illis primo, qui populum Dei diuiserunt, & Basilicas fecerunt non necessarias. Deinde Donato Carthaginis, qui prouocauit, vt vnitas proximo tempore fieri tentaretur. Tertio Donato Bagaiensi, qui insanam collegerat multitudinem, à qua ne Macarius violentiam pateretur, ad se, & ad ea, quæ ferebat tutanda, armati militis postulauit auxilium. Venerũt tunc cũ pharetris armigeri, repleta est vnaquæque ciuitas voci ferantiũ: nunciata vnitate, fugistis oẽs. Nulli dictũ est, *nega Deũ.* Nulli dictũ est, incẽde testamẽtũ. Nulli dictũ est, *aut th⁹ pone*, aut *Basilicas dirue.* Istæ enim res solent Martyria generare. Renunciata est vnitas sola: fuerãt hortamẽta, vt De⁹ & Christ⁹ eius, à populo in vnũ cõueniente, pariter rogaretur. Nullus erat primit⁹ terror. Nemo viderat virgã: nemo custodiam: sola (vt supradiximus) fuerant hortamẽta. Timuistis oẽs, fugistis, trepidastis: vt pro certo de vobis dictũ sit, quod in Psalmo scriptum est, *Trepidauerunt vbi non erat timor.* Fugerunt igitur omnes Episcopi cum Clericis suis, aliqui sunt mortui. Qui fortiores fuerunt, capti longe relegati sunt. Et tamen horum omnium nihil actum est cum voto nostro: nihil cum consilio, nihil cum conscientia, nihil cum opere. Sed gesta sunt omnia in dolore Dei, amare plorantis, & in vltionem aquæ, quam cõtra interdictum iterum mouistis: traducentes ad vos aquam antiquæ piscinæ: sed nescio an cum illo pisce, qui Christus intelligitur: qui in le-

ctione Patriarchæ legitur in Tigride flumine præhensus, cuius fel & iecur tulit Tobias, ad tutelam fœminæ Sarrę, & ad illuminationem Tobię non videntis: Eiusdem piscis visceribus Hasmodeus dæmon à Sara puella fugatus est (quę intelligitur Ecclesia) & cęcitas à Tobia exclusa est. Hic est piscis, qui in baptismate per inuocationem fontalibus vndis inseritur, vt quæ aqua fuerat, à pisce etiam piscina vocitetur. Cuius piscis nomen secundum appellationem græcam, in vno nomine per singulas literas turbam sanctorum nominum continet, ἰχθὺς, quod est Latinè, IESVS CHRISTVS DEI FILIVS SALVATOR. Hanc vos piscinam, quę in omni catholica per totum orbem terrarum, ad vitã generis humani, salutaribus vndis exuberat: traduxistis ad voluntatem vestram, & soluistis singulare Baptisma, quo Baptismate homines muri facti sunt ad tutelam: & fecistis quasi alteros muros, nullum nouum ædificium facientes: non potuistis construere, nisi dirueretis. Et quale potest esse ædificium, quod de ruina construitur? Hanc rem per Esaiam Prophetam Deus dolet, cum dicit filiam sui generis esse contritam: genus Dei est, non habere genus, qui ex se est, & manet in æternitate. Similis est & aqua, quã legimus. in cuius aquę iniuria, indicat Deus lachrymas suas quas vos fecistis: quas testatur nulla posse consolatione siccari, cum ad vos loquitur, dicens, *Missum me facite, amare plorabo:* Nemo

poterit consolari in contritione filiæ generis mei. Hoc loco defenditur innocētia nostra, cum Deus cū dolore iracundiam vobis indicat suam: dum & causas prodit, & rationes ostendit. Denique nō ait, in Sion, sed in vna eius valle sunt celebrata: Non in illo monte Sion, quem in Syria Palestina à muris Hierusalē paruus disterminat riuus. In cuius vertice, est non magna planicies, in qua fuerant septem Synagogę, vbi Iudæorum populus conueniens, legem, per Moysen datam, discere potuisset: vbi nulla lis audita est, nec ab aliquo celebratum iudicium, nec aliqua est illic ab vllo iudice lata sententia: quia locus erat doctrinæ, non cōtrouersię. Post doctrinam, si quid agendum erat, intra muros Hierusalem agebatur. Inde scriptum est in Esaia Propheta, *Ex Sion prodiet lex, & verbum domini de Hierusalem.* Non ergo in illo monte Sion Esaias aspicit vallem, sed in monte sancto, qui est Ecclesia: qui per omnem orbem Romanum, caput tulit sub toto cœlo. In quo monte à Deo patre filius Dei regem se constitutum esse, gratulatur in Psalmo secundo, dicens, *Quoniam regem constituit me super Sion montem sanctum suum*: vtique super Ecclesiā, cuius rex & sponsus & caput est. Non in illo mōte, vbi non illę sunt portæ, quas diligit Deus, sed in monte Ecclesiæ, qui Sion spiritaliter appellatur. Cuius Ecclesiæ portas introeunt innocentes, iusti, misericordes, continentes, & virgines. Quas portas commemorat spiritus sanctus

in Psal.lxxxv.dum dicit, *Fundamenta eius in montibus sanctis: diligit dominus portas Sion* : non illius corporalis montis, vbi iam nullæ sunt portæ : & post victorias Vespasiani Imp. vix antiquarum restant indicia ruinarum. Est ergo spiritalis Sion Ecclesia, in qua à deo patre rex constitutus est Christus: quæ est in toto orbe terrarum: In quo est vna Ecclesia Catholica. Nam Sion Ecclesiam esse & alio loco sanctissimus Dauid Propheta testatur, dicens, *Lauda Deum tuum Sion, qui confortauit seras portarum tuarum, benedixit filiis tuis in te.* Per singulas prouincias totius orbis valles singulas intelligimus montis. & dum non in toto monte videt Esaias, sed in vna valle, hoc est, in sola Africa. In qua sola cum sufficerent templa Dei quæ fuerant, alia facere voluerunt principes vestri. in qua sola deiecti sunt muri vt fierent muri: & aqua sanctæ piscinæ transuersa est, & nouitas contra antiquitatem à vobis instituta est. Hoc totum Deus in vallem montis Sion, & interrogat & increpat, dicens, *Vt quid hoc factum est vobis? ideo, quoniã ascendistis in tecta superuacanea. Vnaquæque ciuitas repleta est vociferantiũ. Vulnerati in te non vulnerati gladio: & mortui in te, non mortui in bello : in errore sunt à minimo vsque ad maximum. Errantes in montibus omnes principes tui, in fugam conuersi sunt : Et qui capti sunt, grauiter alligati, & fortiores tui longe fugati sunt. Missum me facite, amare plorabo. Nemo me poterit consolari in contritione filiæ generis mei. Et ascen-*

dent Elamitæ cum Pharetris: Elamitæ latina lingua dicuntur chori castrorum. & secutus est dicens, *Penetralia vestra deferentur ad publicum, & secreta domus Israel nudabuntur.* Hoc in Africa factum est, & totum hoc quare factum est, indicauit Deus, dum vobis imputat dicens, *quoniam conuertistis aquam antiquæ piscinæ ad ciuitatem vestram, & deiecistis muros Hierusalem, vt faceretis alteram munitionem, & constituistis aquam inter duas munitiones: & ad piscinam antiquam attendere noluistis, nec ad eum, qui ab initio creauit illam.* Iam vides frater Parmeniane, ad vos redundare omnia, à quorum principibus harum rerum omnium seminata est causa. Deinde ad Donatum Carthaginensem, cuius veneficio videtur vnitatis negocium esse commotum. In quo ostendam operarios eius non pro voluntate nostra, nec sua malitia aliquid fecisse, sed prouocantibus atque impellentibus causis; quas Donatus Carthaginis leuitate sua cõstituit, dum magnum se videri contendit. Quem enim latet prȩter te, quia peregrinus es, & potuerunt tibi falsa narrari: aut quis negare potest, rem, cui tota Carthago principaliter testis est, Imperatorem Constantẽ, Paulum & Macarium primitus non ad faciendam vnitatem misisse, sed cum eleemosynis: quibus subleuata per Ecclesias singulas possit respirare, vestiri, pasci, gaudere paupertas. Qui cum ad Donatum, patrem tuum, venirent, & quare venerant, indicarẽt: ille solito furore succensus,

in hæc verba prorupit: *Quid eſt Imperatori cum Eccleſia?* & de fonte leuitatis ſuæ, multa maledicta effudit: non minus quam in Gregorium aliquãdo, ad quem ſic ſcribere minime dubitauit: *Gregori macula Senatus, & dedecus Præfectorum,* & cætera talia: cui Donato Pręfectus patientia Epiſcopali reſcripſit. Harum epiſtolarum exemplaria multorum ore vbique cantãtur. Iam tunc meditabatur, contra præcepta Apoſtoli Pauli, Poteſtatibus & Regibus iniuriam facere, pro quibus, ſi Apoſtolum audiret, quotidie rogare debuerat. Sic enim docet B. Apoſtolus Paulus, *Rogate pro Regibus & poteſtatibus, vt quietam & tranquillam vitam cum ipſis agamus.* Non enim Reſpu. eſt in Eccleſia, ſed Eccleſia in Rep. eſt, id. eſt, in Imperio Romano. Quod Libanum appellat Chriſtus in Canticis Canticorum, cum dicit, Veni ſponſa mea, veni, à Libano, id eſt, de Imperio Romano, vbi & ſacerdotia ſunt, & pudicitia, & virginitas, quæ barbaris Gentibus non ſunt: & ſi eſſent, tuta eſſe non poſſent. Merito Paulus docet, orandum eſſe pro Regibus & Poteſtatibus: etiam ſi talis eſſet Imperator, qui gentiliter viueret. Quantò quod Chriſtianus, quantò quod Deum timens, quantò quod religioſus, quantò quod miſericors, vt ipſa res probat? Miſerat enim ornamenta domibus Dei, miſerat pauperibus eleemoſynam, nihil Donato. Cur ergo inſaniuit? cur iratus eſt? cur quod miſſum fuerat, repudiauit? Et cum illi qui miſſi fuerant,

dicerent,se ire per prouincias singulas,& volentibus accipere,se daturos:ille dixit, vbique se literas pręmisisse,ne id quod allatum fuerat, pauperibus alicubi dispensaretur. O, consulere miseris! O, prouidere fuerat pauperibus! O,peccatoribus subuenire! Clamat Deus,dicens: *Ego sum qui feci pauperem & diuitem*: Non quia non potuit & pauperi dare. Sed si ambobus daret: peccator,quà sibi succurreret, inuenire non posset. Denique sic scriptum est: *Quemadmodũ aqua extinguit ignem,sic eleemosyna extinguit peccatum.* Certe iam apud deum sunt ambo, & qui dare voluit, & qui obstitit,ne daretur. Quid si iam dicat Deus Donato, *Quid vis fuisse Constantem? Si innocentem, quare ab innocente accipere noluisti? Si peccatorem,quare non permisisti dare, propter quẽ feci pauperem?* Sub hac interrogatione qualis futurus est? quid de leuitate & furore laborauit tantis pauperibus impedire? Carthagini principatum se tenuisse crediderat, & cum super Imperatorem non sit nisi solus Deus,qui fecit Imperatorem,dum se Donatus super imperatorem extollit, iam quasi hominum excesserat metas, vt se,vt Deum,non hominem æstimaret, non verendo eum,qui post Deum ab hominibus timebatur. Denique eum per Ezechielem increpat spiritus sanctus dum ad Principem Tyri, id est,Principem Carthaginis, per prophetam his loquitur verbis, *Fili hominis, dic aduersus Principẽ Tyri,hæc dicit dominus Deus,quia exaltatum est cor*

tuum:

tuum, & dixisti; Ego sum Deus. Tyrum Carthaginem esse, primo Esaias probat, in quo legitur visio super Tyrũ. Et sequitur. *Vlulate naues Carthaginis.* Deinde Tyrum Carthaginem ipsam esse etiam mundanæ literæ protestantur: & si sit alia ciuitas, quę hoc nomine nuncupetur, nihil in alia videtur factum, quod apud Carthaginem cõstat admissum. *Loquere* (inquit Deus) *aduersus Principem Tyri.* Dum Deus ad Principem Tyri loquitur, non aduersus ſecularem aliquem regẽ dicit esse loquẽdum, nec ad multos, sed ad vnũ, hoc est, ad Donatum Episcopum. Neque enim fas erat Prophetam Ezechielem, quem proximè nominaui, nisi Episcopo eum comparare, qui sibi (vt diximus) principatum Carthaginis vindicabat: qui exaltauit cor suum, & ab hominibus sibi superior videbatur: & sub se omnes etiam socios suos, habere voluisset: de quorum oblationibus nunquam est dignatus accipere. In qua re media est fides, & deus Christus eius, & querelæ multorum, quibus in ipsa societate hanc iniuriam faciebat: vt solus secretò nescio quid ageret, & postea cæteris perfunctorie misceretur. Hoc modo exaltatũ est cor eius: vt sibi iam non homo, sed Deus fuisse videretur. Deniq; in ore populi raro est appellat⁹ Episcopus, sed Donat⁹ Carthaginis dicebatur. Et merito princeps Tyri, id est, Carthaginis, appellari & increpari meruit, quia prim⁹ Episcoporũ, quasi plus esset ipse quã cęteri: & dum nihil humanũ voluit habere,

exaltauit cor ſuum : non ſicut hominis,ſed ſicut cor Dei: dũ à cęteris hominib⁹ aliquid plus eſſe cupiebat. Ad quem Deus ſequitur dicens, *Dixiſti, ego ſum Deus.* Ideo, quãuis non ſit vſus hac voce: tamen aut fecit aut paſſus eſt, quod defectũ huius vocis impleret. Extulit cor ſuũ, vt nullum hominem ſibi comparandum arbitraretur: & de tumore mentis ſuæ altior ſibi viſus eſt eſſe. quia quicquid eſt ſupra homines, iam quaſi Deus eſt. Deinde cũ Epiſcopi Deo debeant famulari, tantum ſibi de epiſcopis exigit, vt eum non minori metu omnes venerarentur, quàm Deũ. Hoc eſt, quod ſibi Deus viſus eſt. Et cum per ſolum Deũ ſoleant homines iurare, paſſus eſt homines per ſe ſic iurare, tanquam per Deũ. In quo ſi vnuſquiſque hominũ errauerat, ipſe prohibere debuerat: cum non prohibuit, Deus ſibi viſus eſt. Deinde cum ante ipſius ſuperbiã, omnes, qui in Chriſto crediderãt, Chriſtiani vocarentur, auſus eſt populum cũ Deo diuidere: vt qui illum ſecuti ſunt, iam non Chriſtiani vocarẽtur, ſed Donatiſtæ: & ſi quando ad eum aliqui ex aliqua Africana prouincia veniebãt, nõ quęrebat illud, quod humana ſemper exigit cõſuetudo, de pluuiis, de pace, de prouentu anni aliquid interrogare: Sed illico ad ſingulos quoſque venientes hæc erant verba, *Quid apud vos agitur de parte mea?* Quaſi iam verè populum cum deo diuiſerat, vt intrepidè ſuam diceret partem. Nam à temporibus eius, & vſque in hodiernum, ſi quando

de rebus Ecclesiasticis in iudiciis publicis aliqua celebrata est actio: Interrogati singuli, sic apud acta locuti sunt, vt dicerent se de parte esse Donati: de Christo tacuerunt. Et quid de Clericis dicam, cum legantur preces (quarum in primo libro fecimus mentionem) iam dudum ad Constantinum missę & subscriptæ, quę Episcoporum nomina continebant, sic, *datæ à capitone & Nasucio, Digno, & cæteris Episcopis partis Donati.* Et postulabant vtique contra Episcopos, qui dum non erant in parte Donati, in Christi Catholica habitabant. Et dum Episcopus inter coëpiscopos suos non fuit, nec homo inter homines esse voluit, constat, quod extulit cor suum, & Deus sibi fuisse videbatur. Nam cum & ordinatores tui, quorum nomina frater Parmeniane, bene nosti, & vbi fuerint non ignoras, & quid vel à quo petiuerint, & qualem rogauerint vt redirent, & tecum venire potuissent, & nos didicimus cùm easdem preces quas dederunt, apud Africanos iudices allegarent: in quibus infra scriptum est, *Datæ ab Episcopis partis Donati.* Hic iam quid responsuri sunt in illo imminēti diuino iudicio, qui in hoc sæculo alio modo confessi sunt, non se esse de Ecclesia Christi? qui libenter professi sunt dę parte fuisse se Donati: cum in Euangelio scriptum est, Christo dicente, Qui me confessus fuerit coram hominibus, *confitebor eum coram patre meo*: Isti Donatum confessi sunt, non

Christum. Et ne parua sit ista probatio quam ad ipsius personam pertinere manifestum est, accedit ad illud testimonium, quo supra memorata increpatio clausa est, *Quod dixit illum deus non in terra moriturum.* Et ita factum esse omnibus notum est. Habitabat in domo Dei, & erat in corde maris. Vbique mare, seculum legimus, cum esset ipse non tantum in amore aliquorum Christianorum; sed propter scientiam mundanarum literarum, erat etiam in corde maris, id est, in amore seculi. Sed & de scientia sua sapiẽs sibi visus est. Sed hanc sapientiam eius euacuauit Deus, dum dicit, *Nunquid sapientior tu quam Daniel?* Meritò & bene eius sapientia humiliata est, qua putauit, se Daniele esse sapientiorem, in repudiandis muneribus Regis, dum accipere noluit, quod ab Imperatore Christiano missum esse videbatur. Et visus est sibi aut Daniel nouus, aut sapientior Daniele: quia & ipse Daniel aliquando à Baltassar Rege, cùm cogeretur accipere munera, id est, anulum, torquem & cætera, dixisse legitur, *Dona tua tecum sint Rex.* Et sapienter respondit, & conuitia Regi non fecit, & quod offerebatur non damnauit, sed distulit: Non quo modo Donatus, qui & conuitia Constanti, quanta potuit, dixit, & quod ab eo pauperibus missum fuerat, repudiauit. Sed Daniel sanctus sapiens inuẽtus est, vt munera oblata illa die non acciperet. Illud enim quod ab eo petebatur, adhuc in cœlo erat: & insipiẽtis esset,

huius rei quaſi mercedem accipere, quam nondum habuit in poteſtate. Idcirco munera oblata, illa die ad tempus accipere noluit. Denique cum ei Deus oſtenderet, quod Regi ſupra dicto indicaret Baltaſſari retulit. Et quod iam dudum repudiaſſe viſus eſt, poſtea libenter accepit. Merito increpat Deus Principem Tyri, Donatum, cum dicit: *Nunquid tu ſapientior quam Daniel?* Sed ô quam longe eſt præſumptio Donati à perſona Danielis? Quod enim Baltaſſar dabat, Danieli dabat, non pauperibus: quod Conſtans Chriſtianus Imperator tunc miſerat, pauperibus tranſmiſerat, non Donato. Denique ait, *Sapientes te non docuerunt ſapientiam ſuam*, quia illud à Salomone diſcere noluiſti, quod ait, *Abſconde panem in corde pauperis, & ipſe pro te rogabit.* Quia etiam illud ab ipſo Daniele diſcere noluit quod dedit Nabugodonoſor conſilium, quo modo ſatisfaceret qui offenderat Deum. *Et tu* (inquit) *audi Rex conſilium meum, & placeat tibi. Peccata tua eleemoſynis redime & iniuſtitias tuas in miſeratione pauperum.* Daniel Regi peccatori & ſacrilego faciendas eleemoſynas ſuadet: Donatus, qui increpari meruit, Conſtanti Imperatori Chriſtiano, ne miſericors eſſet, obſtitit. Ideo increpatur, quod eum ſapientes non docuerunt ſapientiam ſuam. Quicquid à Rege miſſum fuerat, per ſe dari paſſus non eſt. Vnde conſtat, Donatum omnium malarum fontem fuiſſe cauſarum. Quicquid

itaque in vnitate facienda aſperè potuit geri, vides frater Parmeniane cui debeat imputari. A nobis Catholicis petitum militem eſſe dicitis. Si ita eſt, quare in prouincia Proconſulari tunc nullus armatum militem vidit? veniebant Paulus & Macarius, qui pauperes vbique diſpungerent, & ad vnitatem ſingulos hortarentur. Et cum Bagaienſem ciuitatem proximarent, tunc alter Donatus (ſicut ſupra diximus) eiuſdem ciuitatis Epiſcopus, impedimentum vnitati & obicem venientibus ſupra memoratis opponere cupiens, pręcones per vicina loca & per omnes nundinas miſit Circumcelliones, Agoniſticos nuncupans, ad prędictum locum vt concurrerẽt, inuitauit: Et eorum illo tempore concurſus eſt flagitatus, quorum dementia paulo antè ab ipſis Epiſcopis impie videbatur eſſe ſuccenſa. Nam cum huiuſmodi hominum genus ante vnitatem per loca ſingula vagarentur: Cum Maxido & Faſir, ab ipſis inſanientibus *ſanctorum duces* appellarentur: nulli licuit ſecurum eſſe in poſſeſſionibus ſuis: debitorum chirographa amiſerant vires: nullus creditor illo tempore exigendi habuit libertatem. Terrebantur omnes literis eorum, qui ſe ſanctorum duces fuiſſe iactabant: Et ſi in obtemperando eorum iuſſionibus tardaretur aduolabat ſubito multitudo inſana, & præcedente terrore, creditores periculis vallabãtur. Et qui pro præſtitis ſuis rogari meruerãt, metu mortis humiles impellerentur in preces.

Festinabat vnusquisque debita etiã maxima perdere : Et lucrũ cõputabatur,euasisse ab eorũ iniuriis. Etiam itinera nõ poterant esse tutissima. Quot dñi de vehiculis suis excussi ante mãcipia sua dominorũ locis sedentia,seruiliter cucurrerũt? Illorũ iudicio & imperio inter dños & seruos conditio mutabatur. Vnde cũ vestræ partis Episcopis tunc inuidia fieret,Taurino tunc Comiti scripsisse dicũtur,huiusmodi homines corrigi in Ecclesia nõ posse: mãdauerunt,vt à supradicto Comite acciperent disciplinã. Tunc Taurinus ad eorum literas, ire militem iussit armatũ per nundinas,vbi Circumcellionum furor vagari consueuerat. In loco Octauensi occisi sunt plurimi, detruncati sunt multi: Quorũ corpora vsque in hodiernũ,per dealbatas aras aut mẽsas poterunt numerari. Ex quorum numero cum aliqui in Basilicis sepelire cœpissent,Clarius presbyter in loco Subbulensi, ab Episcopo suo coactus est,vt insepultam faceret sepulturã. Vnde proditum est,mandatum fuisse fieri, quod factum est quando nec sepultura in domo Dei exhiberi cõcessa est. Eorũ postea cõualuerat multitudo. Sic inuenit Donatus Bagaiẽsis,vnde cõtra Macariũ furiosam conduceret turbã. Ex ipso genere fuerunt qui sibi percussores sub cupiditate falsi martyrij in suã perniciẽ conducebãt. Inde etiam illi,qui ex altorũ montium cacuminibus viles animas proiicientes , se præcipites dabant. Ecce ex quali numero sibi Episcopus

alter Donatus, cohortes effecerat. Hoc metu deterriti illi, qui prope theſauros ferrent, quos pauperibus erogarent: inuenerunt in tanta neceſſitate conſilium, vt à Sylueſtro Comite armatum militem poſtularent: non per quem alicui vim facerent, ſed vt vim, à Donato ſupra memorato Epiſcopo diſpoſitam, prohiberent. Hac ratione factum eſt, vt miles videretur armatus. Iam quicquid ſubſecutum eſt, videte, cui debeat ac poſſit aſcribi. Furebant illic vocatorum infinita millia populorum: pro quibus & annonam competentem conſtat fuiſſe præparatam: de Baſilica quaſi publica fecerunt horrea: expectantes vt venirent, in quos furorem ſuum exercere potuiſſent: & facerent quicquid illis demẽtia ſua dictaſſet, niſi præſentia armati militis obſtitiſſet. Nam cum ante venturos milites, metatores (vt fieri ſolet) mitterentur, contra Apoſtoli præcepta competenter ſuſcepti non ſunt: *Qui ait, Cui honorem, honorem: Cui vectigal vectigal: Cui tributum tributum. Nemini quicquam debueritis.*

Qui miſſi fuerant, cum equis ſuis pręoccupati ſunt ab iis, quorũ nomina flabello inuidiæ ventilaſti. Ipſi magiſtri fuerant iniuriæ ſuæ: & quid pati poſſent, ipſi pręrogatis iniuriis docuerũt. Reuerſi ſunt vexati milites ad numeros ſuos, & quod duo vel tres paſſi fuerant, vniuerſi doluerunt. Commoti ſunt oẽs: iratos milites retinere

nec eorum præpositi valuerunt. Sic admissum est, quod inuidiam vnitati factam esse memorasti. Hæc & cætera gesta & suas causas habent, & quas ostendi personas obnoxias. Hoc nos nec vidimus quidem, sed vobiscũ audiuimus. Si auditus facit reos: tenemus vos socios, quia similiter audiuimus. Si à facto auditus immunis est: quod ab aliis, vobis prouocantibus, factum est, nobis non debet imputari. Querelam per ordinem deponitis sub Leontio, sub Vrsatio, iniuriatos esse quàm plurimos sub Paulo & Macario: aliquos necatos à sequentibus: nescio quos ad tempus esse proscriptos. Quid hoc ad nos? quid ad Ecclesiã catholicã pertinet? Quicquid obiecistis, vos fecistis. A Deo commendatã noluistis libenter excipere vnitatem, chariorem æstimantes hæreditatem schismatis, quam præcepta præpositi saluatoris. Arguistis operarios vnitatis: ipsam vnitatem improbate si potestis. Nã æstimo vos nõ negare, vnitatem summũ bonum esse. Quid nostra, quales fuerint operarij, dummodo quod operatum est, bonum esse constet? Nam & vinum à peccatoribus operariis & calcatur & premitur: Et sic inde Deo sacrificiũ offertur. Oleum quoque à sordidis, & nõnulis male viuentibus, & immunda loquẽtibus conficitur: Et tamen in sapore, in lumine, etiam in sancto Chrismate simpliciter erogatur. Operarios vnitatis malos fuisse dicitis: Forte cum voluntate Dei, cui nonnunquam placet etiam quod ab

ipſo potuit prohiberi. Nam quædam mala malè fiunt: Quædam mala bene fiunt. Malum male latro facit: malum bene iudex facit, dum vindicat quod latro peccauit. Nam hæc Dei vox eſt, *Non occides*. Et ipſius vox eſt: *Si inuentus fuerit homo, dormiens cum muliere habente maritum, occidetis vtroſque.* In primo libro Regnorum vnus Deus, & duæ diuerſæ voces. Denique dum Phinees, filius ſacerdotis adulterum cum adultera inueniret, leuauit cum gladio manũ, & inter duas voces Dei dubius ſtetit: Hinc ad illum ſonabat, *Non occidas*: Inde ſonabat, *occidetis vtroſque.* Si feriret, peccaret: Si non feriret, delinqueret. Elegit melius peccatum, vt percuteret. Et forte non defuerãt, qui huius rei vindicem quaſi homicidam notare voluiſſent. Sed vt oſtenderet Deus, aliqua mala bene fieri, Locutus eſt dicens, *Phinees mitigauit iram meam*, & placuit Deo homicidiũ, quia vindicatũ eſt adulteriũ. Quid ſi & modo Deo placuit, ꝙ paſſos vos eſſe diciris, ꝗ vnitaté cũ toto orbe terrarũ, & cũ memoriis Apoſtolorũ quæ Deo placita eſt, habere noluiſtis. Inuitus cogor hoc loco etiã illorum, quorũ nolo, hominum facere mentionem, quos vos inter martyres ponitis: per quos, tãquam per vnicam religionem, veſtræ communionis homines iurant. Quos quidem velem ſilentio prętererire, ſed ratio veritatis ſe ſileri non patitur: Et ex ipſis nominibus contra vnitatem inconſiderate latrat inuidia, & aſpernantes aliqui accuſandam aut

fugiendam æſtimant vnitatem, quod Marculus & Donatus dicantur occiſi & mortui. Quaſi omnino in vindictam Dei nullus mereatur occidi. Nemo erat lædendus ab operariis vnitatis, ſed nec ab Epiſcopis mandata diuina contemni debuerant: Quibus præceptum eſt, *Quære pacem, & conſequaris eam.* Et iterum, *Quam bonum & quam iocundum habitare fratres in vnum.* Et iterum, *Fœlices pacifici, quia ipſi filij Dei vocabuntur.* Hoc qui nec libenter volebant audire, nec deuotè facere voluerunt, quicquid potuerunt pati, ſi occidi malum eſt, mali ſui ipſi ſunt cauſa. Sed arguendus (vt dicitis) vobis videtur eſſe Macarius, quod ſine voluntate Dei æſtimatis eum hoc facere non potuiſſe. Habetis huiuſmodi reos antiquos: Accuſate primo Moyſen, ipſum legiſlatorem: Qui cum de Syna monte deſcenderet, propè, nec dum propoſitis tabulis legis, in quibus ſcriptum erat, *Non Occides*, tria milia hominum vno momẽto iuſſit occidi. Macarium differte pauliſper, Phineem filium ſacerdotis, quem paulo antè memoraui, in iudiciũ prouocate: ſi tamẽ inueneritis pręter Deũ aliquẽ iudicẽ. Nã ꝙ accuſatis in pſona ipſi⁹, à Deo laudatũ eſt ꝙ in zelo Dei factũ eſt. Supprimite interim voces, quib⁹ in Macariũ dictat inuidia. Recurrite primò ad Heliã ꝓphetã, q in riuo Cyſõ, cũ pareret volũtati Dei, quadraginta & quadringẽtos occidit. Sed forte dicitis, illos

merito occiſos::iſtos indigne. Nunquam ſequitur vindicta, niſi eius anteceſſerit cauſa. Vindicauit (vt diximus) Moyſes, vindicauit Helias, vindicauit Phinees.

Vindicauit Macarius. Si nihil offenderant, qui occiſi eſſe dicuntur, ſit Macarius rèus, in eo quod ſolus nobis neſcientibus, & vobis prouocantibus fecit. Quare nobis ſit inuidia, cum aliena ſint facta? Et in vobis eſt cauſa, quia propter vos, qui foris fuiſtis, quamquam & nunc foris eſſe videamini, veniſſe dicitur: non propter nos, q intus habitamus, & nunquã de radice receſſimus. Sed quia ſupra memoratas perſonas per ordinẽ dixim⁹, videam⁹ quare Moyſes tria milia hominũ iuſſit occidi: quare Phinees duos, & quare Elias quadringentos & quinquaginta: quare Macarius duos, quorum nomina quotidie (vt ſupra dixi) flabello inuidiæ ventilatis. Omnes conſtat in eos vindicaſſe, à quibus iuſſio diuina contẽpta eſt. Nam, *Non tibi facies ſculptile*, Dei vox eſt: Et, *non facies adulterium*, eiuſdem Dei vox eſt: *Non ſacrificabis Idolis*, Idẽ Deus locutus eſt. *Et nõ facies ſchiſma: & quære pacem, & conſequaris eam:* eiuſdem præceptum eſt. Temporibus Moyſi populus Iſrael caput vituli coluit, quod illis ſacrilega flamma conflauit: ideo tria milia hominum occidi meruerunt, quia Dei vox videbatur eſſe contempta. Phinees adulteros vno ictu percuſſit: laudari à Deo meruit: quoniam diuinorum præceptorum contemptores occidit. Et

quadringenti & quinquaginta, quos Elias occidisse legitur, ideo occisi sunt quia contra iussionem Dei, per quod falsi vates erant, Dei præcepta contempserant.

Et illi, quorum nominibus Macarium criminatis, nec à falsis vatibus longe sunt. Quia vos Deus dixit futuros esse falsos vates, quod proximo loco probaturi sumus: & dum pacem noluerunt recipere, nec in vno cum fratribus habitare, contra præcepta & voluntatem Dei pertinaciter obstiterunt. Ergo videtis à Moyse, & Phinee, & Elia, & Macario, similia esse facta, quia ab omnibus vnius Dei præcepta sunt vindicata. Sed video vos hoc loco tempora separare, vt alia fuerint ante Euangelium, alia post Euãgeliũ: In quo potestis dicere, quia scriptum est, vt à Petro iam gladius conderetur, quo auriculam serui sacerdotis abstulerat, quo seruum poterat quasi deuotus Petrus occidere: sed Christus pati venerat, non defendi. Et si cogitatum suum Petrus impleret in passione Christi, videtur seruus vindicari, non populus liberari. Nam & Macarius, gladium à Petro vagina conditum non eduxit. Hoc probat Deus, dum ad vallem Sion loquitur dicens, *Vulnerati in te, non vulnerati gladio.* Aut probate aliquem illo tempore gladio esse percussum. Deinde ait: *mortui in te, non mortui in bello.* Quare debetis attendere, ne temerariũ sit, eos martyres appellare, qui Christianorum nullum senserunt bellum. Non

enim tale aliquid factum aut dictum est, quod in bello Christianorum dici aut fieri solitum est. Quod bellum persecutio dicitur, quæ operata est sub duabus bestiis ex illis quatuor, quas Daniel de mari ascendentes aspexit. Prima fuit vt Leo. Hæc erat persecutio sub Decio & Valeriano. Secunda vt Vrsus, alia persecutio, quæ fuit sub Diocletiano, & Maximiano. Quo tempore fuerunt & impij iudices, bellum Christiano nomini inferentes. Ex quibus in prouincia Proconsulari (ante annos lx. & quod excurrit) fuerat Annulinus, in Numidia Florus. Omnibus notũ est, quid eorum operata sit artificiosa crudelitas. Sæuiebat bellum Christianis indictum: in templis dæmoniorum diabolus triumphabat: immundis fumabant aræ nidoribus. & quia ad sacra sacrilega venire nõ poterat, vbicunque thus ponere cogebatur. Omnis locus templum erat ad scelus. inquinabantur prope moriẽtes senes: ignorans polluebatur infantia: à matribus parui liberi portabantur ad nefas: parentes incruenta paricidia facere cogebantur. Alij cogebantur tẽpla Dei viui subuertere, alij Christum negare, alij leges diuinas incẽdere, alij thura ponere. Horum aliquid à Macario factum esse, nec vos ipsi cõfingere poteritis. Sub persecutore Floro, Christiani Idolorum cogebantur ad templa. sub Macario pigri compellebantur ad Basilicam. Sub Floro dicebatur, vt negaretur Christus & Idola rogarentur. Contra sub Macario com-

monebantur ommes vt Deus vnus pariter in Ecclesia ab omnibus rogaretur. Si supra memoratos videri martyres vultis, probate illos amasse pacem, in qua prima sunt fandamenta martyrij: aut dilexisse deo placitam vnitatem, aut habuisse cum fratribus charitatem. Nam omnes Christianos, fratres esse & in primo libello probauimus, & in quarto procul dubio probaturi sumus. Quos dicitis debere appellari martyres, quia noluerunt fratres agnoscere, nullam habuerunt charitatem. Nec dicatur ad excusationem, quia Traditoribus communicare noluerunt: cum manifestissime probatum sit eosdem ipsos filios fuisse traditorum. Nulla igitur est excusatio, quia charitatem illos non habuisse manifestissime constat, sine qua nullum vel nominari potest, vel esse martyrium: sine qua maxima & imperiosa virtus caret effectu: sine qua nihil valet omnium scientia linguarum: sine qua nihil potest etiam societas angelorum, Apostolo Paulo dicente, *si habeam in me potestatē imperandi montibus, vt transferāt se de locis in loca, & loquar omnium gentiū linguis, etiā, angelorū, & corpus meum flāmis tradā, & charitatem in me non habeā, nihil sum: sed ero aramētum tinniēs in deserto*, vt pereat vocis op⁹, vbi nullus occurrit auditus. Si tāta res, si B. Paulus, si vas electionis, quāuis cū imperiosa virtute & angelorū societate, pronunciat se nihil esse, nisi charitatē habuerit: videte, an non dicantur martyres,

ſed aliquid aliud appellari mereantur, qui charitatis deſertores pro eadem deſertione pati aliquid potuerunt. Gaudet totus orbis de vnitate Catholica, præter partem Africæ, in qua incendium de ſcintilla conflatum eſt. Ab operariis Vnitatis querimini neſcio quæ eſſe commiſſa. Hoc non queritur Italia, non Gallia, non Hiſpania, non Pannonia, non Galatia, non Græcia, non cum tot prouinciis ſuis Aſia. Quia nihil illic fuerat emendandum, nullus illuc miſſus eſt emendator: quia nihil illis fuerat ſciſſum, nullus illuc miſſus eſt (vt ita dixerim) ſartor. & hic in Africa iam dudum populo in vnitate manente, veſtis fuerat ſana: æmula manu inimici diſciſſa eſt. Pendebant quodammodo panni de vna veſtis origine, & de vna radice venientes. Vt quid ſe pars parti anteponit? aut quid ſupra alterum pannum alter pannus extollit, cum meliorem ſe probare non poterit? Quid enim, ſi dicat contemptus pannus, *Quid te tantum extollis? In oue pares creuimus: In manibus conficientium ſimul fuimus? apud lotorem, pariter mundati ſumus? Inimicus nos voluit ab inuicem ſcindere. Aduerſarius pulchritudinem noſtram voluit deformare. In parte veſtis adhuc vnum ſumus, ſed in diuerſa pendemus*. Quod enim ſciſſum eſt, ex parte diuiſum eſt, non ex toto conciſum. Et merito, quia nobis & vobis Eccleſiaſtica vna eſt cõuerſatio: & ſi hominum litigant mentes, non litigant Sacramenta. Denique poſſumus & nos dicere, *pa-*

res

res credimus, & uno sigillo signati sumus: Nec aliter baptizati quàm vos. Nec aliter ordinati quam vos. Testamentum diuinum legimus pariter: vnum Deum rogamus. Oratio dominica apud nos & apud vos vna est, sed scissura (vt supra diximus) facta partibus hinc atque inde pēdentibus, sartura fuerat necessaria. Et tamen huius rei artifex aut operarius, dum vult vestem in antiquam faciem reuocare, vicina fila compungit. Displicet tibi sartor, qui scissuram, dum sanat, vulnerat. Ille tibi magis displiceat, q̄ fecit, vt sartor peccare potuisset. Et, Quę in vos ab operariis vnitatis dicitis esse commissa: aut ad parētes vestros pertinent, quorum causa facta sunt: aut ex voluntate dei descendunt. Nos tamen inde alieni sumus. Quid si quamuis aspera, tamen (vt dixi) cum voluntate dei videntur esse commissa? Legimus enim in Ezechiele Propheta Parietem dealbatum, cui Deus comminatus est tempestatem, pluuiam & lapides petrobolos, & accusationes. *Erunt* (inquit) *falsi vates qui ædificent ruinosum parietē, dicentes, pax pax: Et vbi pax?* Recordamini, quo modo à vobis iā dudum matris Ecclesiæ membra ab inuicem distracta sunt. Non enim vnamquamque domum semel seducere potuistis. Sed aut iuit vxor, & resedit maritus: aut parentes seducti sunt, & filij sequi noluerunt: aut stetit frater, sorore migrante: persuasionibus vestris diuisa sunt corpora & nomina pietatis. Et non potuistis prætermittere, quod legitimum est. Vtriquē dixistis, *pax*

vobiscum: Cum Deus contra, *pax, & vbi pax?* hoc est dicere, *quid salutas, de quo non habes? quid nominas? Quod exterminasti, salutas de pace qui non amas, Hi* (inquit) *ædificant ruinosum parietem*, Domus Dei vna est. Qui foras exeuntes, partem facere voluerunt, parietem fecerunt, non domum: quia non est alter Deus, qui alteram domum inhabitet. Ideo parietem fecisse dicuntur falsi vates, in quo si ianua fuerit collocata: quicunque intrauerit, foris est. Nec lapidem habere angularem vnus paries potest, qui lapis est Christus, duos in se suscipiens populos: vnum de gentibus, alterum de Iudæis: qui nodo pacis iungit vtrunque parietem. Nam quot commoda habet domus, tot incommoda paries. Domus inclusa custodit, tempestatem retundit, pluuiam diffundit, latronem aut furem aut bestiam non admittit: Sic & Ecclesia Catholica omnes filios pacis gremio & sinu suo complectitur. Cõtra paries, qui est ædificatus ruinosus, nec lapidẽ angularem sustinet, & ianuam sine causa habet, nec inclusa custodit: pluuia vdatur, tempestatibus cæditur: nec potest arcere latronem, nec venientem prohibet furem. Paries enim res de domo est, sed domus non est. Et pars vestra quasi Ecclesia est, sed catholica non est. *Et dealbant* (inquit) *eum*, hoc est, quod vos solos sanctos æstimatis. Querimini vos sine nobis aliqua esse passos. ergo constat vos solos aliqua passos. Quia aliud est tempus pacis, aliud persecutionis. Si persecu

tioné putatis:dicite, quid vobiſcum paſſæ ſunt vniuerſæ prouinciæ, in quibus eſt Eccleſia Catholica? Sed quia vindicta fuit, non perſecutio, ſolus paries paſſus eſt. Cui Deus interminatus eſt tempeſtatem, pluuiam, & lapides petrobolos & accuſationes. Sic enim locutus eſt, *Quid ædificaſtis ruinam? quid dealbaſtis? quid lauiſtis? Hoc contra voluntatem meam eſt, dicit dominus*. Diſplicent vobis tempora neſcio cuius Leontij, Vrſatij, Macarij, & cæterorum. Emédate voluntatem Dei, ſi poteſtis: Qui dixit, *contra parietem exurgam cum ira mea, & immittam tempeſtatem nimiam, & pluuiam diluentem, & lapides, petrobolos, & percutiam parietem ruinoſum, & diſſoluentur compagines eius*. Sed ne quis veſtrûm dicat, ſi vnitas bonum eſt, quare totiés facta durare nó potuit? quia ſic res ipſa à Deo eſt ordinata, qui comminatus eſt tempeſtatem, pluuiam, lapides & accuſationem. Et iſtæ quatuor res non poterant vno tempore fieri. Fuit primo tempeſtas, agitatus eſt paries, ſed nó cecidit, vt haberet pluuia, vbi operaretur. Secuta eſt pluuia, vdatus eſt paries, ſed non maduit, vt haberent lapides, vbi operarentur. Poſt pluuiam ſecuti ſunt lapides, diſperſus eſt: ſed fundamentis ſuis ſe iterum reparauit. Iam tria peracta ſunt: debétur vobis accuſationes. Sed quomodo & quádo, nouit ille, cui placuit de vobis iſta nunciare. Et ne aliquis de hoc intellectu dubitaret, Deus addidit, dicés, *Non ſunt quæ dico de luto aut de pariete, ſed de falſis*

Prophetis, qui ſeducunt populum meum. Hoc verbo, *ſeducunt,* videte cui parti competat. Nobiſcum erant omnes, nobis abſentibus irruiſtis: & vt haberetis quos habere deſideraſtis, non potuiſtis niſi ſeducere. Et quæ ſint verba ſeductionis veſtræ, omnibus notum eſt. Veſtrum eſt dicere: *Attendite poſt vos:* veſtrum eſt dicere, *redimite animas veſtras:* veſtrum eſt dicere hominibus fidelibus & Clericis, *eſtote Chriſtiani.* Sed cum dicitis, *Attendite poſt vos,* contrà Euangelium facitis, vbi dictum eſt, *Nemo tenens manicam aratri, poſt ſe attendens, intrabit regna cælorum.* Et vultis ſcire quid meruit, qui poſt ſe attendit, & qui ante ſe? Recordamini Sodomorum fugitiuos, Loth & vxorem eius, quæ poſt ſe attendit, in ſtatuam ſalis mutata eſt: Qui ante ſe proſpexit, euaſit. Quid eſt ergo quod dicitis, *Attēdite poſt vos?* Nam & cum dicitis, *Redimite animas veſtras:* vnde illas emiſtis, vt vendatis? Quis eſt neſcio qui angelus, qui nundinas facit animarum? Cum dicitis, *Redimite, animas veſtras* redemptori renunciatis, cum ſolus Chriſtus ſit redemptor animarum quas ante eius aduentum diabolus poſſidebat? has ſanguine ſuo Chriſtus ſaluator noſter redemit, Apoſtolo dicente, *Empti eſtis precio magno.* Conſtat enim ſanguine Chriſti omnes redemptos. Chriſtus non vendidit quos redemit. Animæ emptæ a Chriſto non potuerunt vendi, vt poſſint, ſicut vultis, a vobis iterum redimi. Aut quomodo poteſt vna anima duos do-

minos habere? At nunquid eſt alter redemptor? Qui prophetæ nunciauerunt alterum eſſe venturum? quis Gabriel iterum ad alteram Mariam locutus eſt? Quæ virgo iterum peperit? Quis virtutes nouas aut alteras fecit? Si nullus eſt præter vnum qui redimit animas omnium credẽtium, quid eſt quod dicitis, *Redimite animas veſtras?* Iã illud quale eſt, quod hominibus Chriſtianis etiã Clericis dicitis, *Eſtote Chriſtiani?* Et cum admiraculo quodam vnicuique dicere. Cai Sei aut Caia Seia, adhuc paganus es aut pagana? Eum, qui ad Deum, ſe conuerſum eſſe profeſſus eſt, paganum vocas? Eum qui a nobis vel a vobis in nomine noſtro vel veſtro, ſed in nomine Chriſti tinctus eſt, paganum vocas? Sunt enim qui a vobis baptizati ſunt, ad noſtram communionẽ poſtea trãſierunt. Paganum vocas eum, qui Deũ patrem per filium eius ante aram rogauerit? Quicunque enim crediderit, in nomine patris & filij & ſpiritus ſancti credidit. Et tu eum Paganum vocas poſt profeſſionem fidei? Si aliquid Chriſtianus (quod abſit) vnuſquiſque deliquerit, peccator dici poteſt. Paganus iterum eſſe nõ poteſt. Sed hæc omnia vultis nullius eſſe momenti. At ſi tibi conſenſerit, quem ſeducis: vnus conſenſus & manus tuæ porrectio, & pauca verba, iam tibi Chriſtianum faciunt de Chriſtiano: & ille vobis videbitur Chriſtianus, qui quod vultis fecerit, non quem fides adduxerit. Et ſi ſeductioni veſtræ Paulo tardius

fuerit accommodatus adſenſus,etiam illa vobis argumenta non deſunt:quibus facile etiam nolentibus,quod vultis,ſuadere poſſitis:dum dicitis,auditum eſſe ex ore eorum, qui iam dudũ in veſtro collegio fuerãt, *Quod qui guſtaret aut acciperet de ſacrificio aduẽtãtis vnitatis, de ſacro guſtare videretur*. Nõ negamus ab aliquibus eſſe hæc dicta,quos cõſtat poſtea tota ſecuritate feciſſe,vnde paulò antè populos deterrebãt:ſed alia ratio exegit has voces,alia inuitauit iñ factum. Nam vt hæc dicerent qui feruntur iſta dixiſſe, opinio falſa, eorum aures & omnium populorum oppleuerat. Dicebatur enim illo tempore vẽturos eſſe Paulum & Macarium,qui intereſſent ſacrificio,vt cum altaria ſolenniter aptarentur, proferrent illi imaginem,quam primo in altari ponerent: ſic ſacrificium offerretur. Hoc cum acciperent aures, perculſi ſunt & animi, & vniuſcuiuſque lingua in hæc verba commota eſt, vt omnis qui hoc audierat,diceret, *Qui inde guſtat, de ſacro guſtat*. Et recte dictum erat,ſi talem famam ſimilis veritas ſequeretur. At vbi ventum eſt à ſupradictis, nihil tale viſum eſt,ex eo quod fuerat paulo antè mentita fama:nihil viderunt oculi Chriſtiani quod horrerent. Nihil probauit aſpectus ex iis quibus perturbatus erat auditus. Viſa eſt puritas, & ritu ſolito ſolẽnis cõſuetudo perſpectaeſt. Cũ viderent diuinis ſacrificiis,nec mutatũ quicquam,nec additũ,nec ablatũ,Pax à Deo cõmẽdata,volẽtibus placuit. Quare nullus

eorum debet argui, qui de collegio vestro ad pacem transitum fecit. Qui fuerant sinistra opinione turbati, simplici ac pura veritate firmati sunt. Nec dicantur de amaro fecisse dulce, aut de dulci amarum. Amaritudo, quæ de falsitate videbatur fuisse nũciata, in sinu opinionis resedit ac remansit: veritas perspecta oculis, dulcedinem suã in se habens, à falsæ opinionis limitibus separata est. Ergo nec de amaro factum est dulce, nec de dulci amarũ: quia & aliud & extra est, quod est visum. Et longe fuerat, quod videbatur auditum.

LIBER QVARTVS.



Te nobis, frater Parmeniane, de petito milite frustra calũniã factam esse, aperte dilucidéque monstratum est. Etiã illud disce quod dixisti de oleo & sacrificio peccatorũ, ad vos poti⁹ pertinere. Nõ enim ille debet esse peccator, quem vos volueritis. Nam & nos vestram præsumptionem possumus imitari, & dicere, vos esse peccatores. Sed facite, vt ex vtraque parte nullus nostrum humano iudicio alterum damnet. Dei est, nosse reum, illius ferre sententiam. Taceamus omnes homines. Solus Deus iudicet peccatorem: cuius sacrificium sit Canina victima, & cuius oleũ vngi desideranti ingerat metum. Huius rei apertissi-

mam veritatem, Parmeniane frater, agnoſce: ſi tamen hoc nomen fraternitatis, frequenter a me dictum, libenter audire dignaris: fac, vt tibi ſit faſtidioſum, tamen nobis eſt neceſſarium: ne forte iuxta tot probationes huius nominis, tacendo rei eſſe videamur. Si enim tu non vis eſſe frater, ego eſſe incipio impius, ſi de nomine iſto tacuero. Eſtis enim fratres noſtri, & nos veſtri, Propheta dicente, *Nonne vos vnus Deus creauit, & vnus pater genuit?* Non enim poteſtis non eſſe fratres, cum omnibus dictum ſit, *Dei eſtis, & filij altiſsimi omnes*. Et vos & nos ſumus qui præceptum accepimus, in quo dictum eſt, *Ne vocetis vobis quenquam patrem in terris. quia vnus eſt pater veſter in cælis, ſaluator noſter Chriſtus*. Solus natus eſt filius Dei: ſed & nos & vos filij vno modo facti ſumus, Sicut in Euangelio ſcriptum eſt, *Venit filius Dei: quotquot eum receperunt, dedit eis poteſtatē, vt filij Dei fierent*. Nos & facti ſumus & dicimur: vos & facti eſtis & non dicimini, quia pacifici eſſe non vultis, nec audire ipſum filium Dei dicentem, *Fælices pacifici, quia ipſi filij Dei vocabuntur*. Chriſtus veniens, Deū & hominē reuocauit in pacē, & fecit ambos vnum: tollēs mediū ſepē parietis. Vos nobiſcū, id eſt, cū fratribus veſtris, pacē habere nō vultis. Non enim poteſtis nō eſſe fratres, quos iiſdem Sacramentorum viſceribus vna mater Eccleſia genuit: quos eodem modo adoptiuos filios Deus pater excepit. Vnde

huius temporis præſcius Chriſtus,quia futurum erat,vt à nobis hodie diſcordaretis, talia dedit orandi mandata,vt vel in oratione vnitas remaneret,vt preces iungerét,quos diſcrepaturæ fuerant partes. Oramus pro vobis,quia volumus & vos pro nobis:& cum non vultis,aut dicat vnuſquiſque veſtrũ,*pater meus,qui in cœlis es: & panem meũ quotidianũ da mihi hodie:Et dimitte mihi pecca ta,quomodo & ego debitori meo.* Igitur ſi quæ mãdata ſunt mutari nõ poſſunt,Videtis nos non in totum ab inuicé eſſe ſeparatos, dum & nos pro vobis oramus,volentes:& vos pro nobis oretis, & ſi nolentes. Vides,frater Parmeniane, ſancta germanitatis vincula inter nos & vos, in totum rumpi non poſſe.Iam peccator quærendus eſt, cuius potuit vel oleũ timeri, vel ſacrificiũ repudiari. Ceſſet humana ſuſpicio: vtriuſque partis prę̃ſumptio ſileat:quis ſit peccator,ſolus iudicet Deus.Legimus quadrageſimo nono Pſalmo ſub ſecundo diapſalmate, Spiritum Sanctum dixiſſe,*Peccatori autem dixit Deus.* Hoc loco aduertenda eſt tota mentis intentio,& videndum, quis ſit peccator.Si enim poſtquam lectum eſt, *Peccatori autem dixit Deus*: verba huiuſmodi ſequerentur,vt diceret,*Tuliſti arma,proceſſiſti de caſtris, ſtetiſti contra hoſtes in acie* :timendum erat militi, quia potuit ipſe videri peccator. Aut ſi diceret, *cõparaſti merces,peregrinatus es,egiſti nundinas,lucri cauſa quod emeras, vẽdidiſti* : timendũ erat negociatori, quia potuit ipſe videri peccator. Aut ſi

diceret, *fabricasti nauem instruxisti funibus, ornasti velis, opportunos, vt nauigares captasti ventos*: timẽdum erat nautæ, quia potuit ipse videri peccator. Aut post quam lectum est. *Peccatori autem dixit Deus*: si sequerentur hæc verba, dissensio & schisma tibi displcuit. Concordasti cum fratre tuo, & cum vna Ecclesia quæ est in toto orbe terrarum. Communicasti septẽ Ecclesiis & memoriis Apostolorum: amplexus es vnitatem. Si hæc subsequens lectio contineret, nobis timendum erat, nos esse potius peccatores. Cum autẽ dicit Deus, *Ad quid exponis iustitias meas, & assumis testamentum meum per os tuum? Tu autem contempsisti disciplinam, & abiecisti sermones meos retro: Sedens aduersum fratrem tuum, denotabas, & aduersus filium matris tuæ ponebas scandalum. Videbas furem, & currebas cum eo, & cum adulteris portionẽ tuam ponebas.* Hęc ad vos dicta sunt omnia. Excusate vos ab his omnibus, si potestis. A vobis enim contempta est disciplina. vt quid recitas testamentum, qui testamentum non seruas, in quo descripta est disciplina, quam seruare non vultis? Non enim potestis dicere, vos eam seruare, contra quam militatis. Deus dicit, *Quære pacem, & consequaris eam.* Tu repudiasti pacem, Non est contemnere disciplinam? Item in Psalmo cxxxij. legitur, *Ecce quam bonum est & iocundum, habitare fratres in vnum.* In vnum habitare cum fratribus non vis, Non est contemnere disciplinam? Christus dicit in Euangelio, *Qui semel*

locutus est, non habet iterum necessitatem lauandi. Tu rebaptizando iterum lauas. Non est contemnere disciplinam? Deus dicit, *Ne tetigeritis Christos meos, neque in prophetas meos manum miseritis*: vos tot sacerdotes Dei honoribus expoliastis. Non est contemnere disciplinam? Christus dicit, *inde scio quia discipuli mei estis, si vos inuicem diligatis.* Vos odio nos habetis, fratres vtique vestros. Nec Apostolos imitari voluistis, à quibus etiam negator dilectus est Petrus. Non est contemnere disciplinam? exponis iustificationes Dei, & assumis testamentū per os tuum. Quomodo disputas, Quęre pacem,. cum tu non habeas pacem? Testamentū recitas, & testamentum non seruas.

Electi estis, qui sedentes populum doceatis, & detrahitis nobis, vtique fratribus vestris: quoniam (sicut supra dixi) vna nos mater Ecclesia genuit, vnus nos Deus pater excepit. Et tamen scandala contra nos ponitis, mandando singulis ne nos salutent, ne à nobis dignationem accipiant. Considerate verba superbiæ vestræ. Considerate tractatus, considerate mandata, actus quoq; vestros reuoluite. Inuenietis oleum vestrum timuisse, quū rogabat. Nullus vestrum est, qui non conuitia nostra suis tractatibus misceat, Qui non aliud initier, & aliud explicet. Lectiones dominicas incipitis, & tractatus vestros ad nostras iniurias explicatis. Profertis Euangelium, & facitis absenti fratri conuitium. Auditorum animis infunditis odia, inimi-

citias docendo ſuadetis. Hæc omnia dicendo, contra nos ſcandala ponitis. Ergo vnicuique veſtrum dictum eſt, *Sedens aduerſus fratrem tuum denotabas, & aduerſus filium matris tuæ ponebas ſcandalum.* Dum peccatorem arguit, & ſedentem increpat Deus, ſpecialiter ad vos dictum eſſe conſtat, non ad populum, qui in Eccleſia non habet ſedendi licentiam. Vides ergo proculdubio vobis imputari debere, cum dicit Deus: *Sedens aduerſus filium matris tuæ, ponebas ſcandala.* Vnam matrem nos habere iam toties comprobaui. Nec vos negare poteſtis, qui contra nos ſcandala ponitis, dum aliqui veſtrum & non intellectas proferunt lectiones: vt auferant etiam illud, quod inter omnes homines ſolet eſſe cõmune, ſalutationis videlicet officium. Nam & vos ipſi aliqui in perfunctoria ſalutatione oſcula ſolita denegatis. Et docentur multi, ne *Aue* dicant cuiquam noſtrum. Et videntur ſibi hoc de lectione, ſed non intellecta, mandare: Ignorantes, de quibus Apoſtolus hoc dixerit, *Cum his nec cibum capere, Aue illi ne dixeritis. Serpit enim eorum ſermo velut Cancer.* Dixit hoc de hæreticis, quorum cœperat illis temporibus vitioſa eſſe doctrina: Qui ſubtili ſeductione verborũ, morbis obſcure ſerpentibus corrumperent fidei ſanitatem. Vt Marcion, qui ex Epiſcopo Apoſtata factus, inducebat duos deos, & duos chriſtos. Vt Hebion, qui argumentabatur patrem paſſum eſſe, non filium. Vt Valentinus, qui conabatur

carnem Christo subducere. Horum est sermo, qui habuit Cancrum ad fidei membra vexanda. Talis sermo est & Corpiani hæretici, qui negabat debere esse martyria: sed venena sua sibi seruet, ne eorum relatio auditorum intellectus simplices vel leuiter vexet. Huius igitur sermo est, qui vitandus est, ne serpat sicut cancer. Dictum est hoc & de Arrio, qui conabatur docere filiũ dei ex nullis substantiis factum esse, non ex deo natum: cuius doctrina, nisi Nicæno Concilio à trecentis decem & octo Episcopis dissiparetur, pectora multorum sicut Cancer intrauerat. Dictum est hoc & de Photino præsentis temporis hæretico, qui filium dei ausus est dicere, tantummodo hominem fuisse, non Deum. Potuit hoc & de vobis dici, quia vester sermo animis & auribus aliquorum non leuem intulit Cancrum. Vester enim sermo est, quem ad pacis filios habetis: dum dicitis, periistis: *attendite post vos*, periit anima vestra quam diu vos tenetis? Sic fecistis de fidelibus pœnitentes: Sic mortificastis in sacerdotibus honores. Ecce & vester sermo est, qui serpit velut Cancer hodie, vt salutationes & conuictus prohibeatis. Noster sermo quid tale facere potuit? qui simplici doctrina filios pacis retinemus: Non alienos seducimus, nec quenquam exterminamus. Manifestum est igitur, vos contra nos quotidie scandala ponere: & longũ est, percurrere omnes modos, quibus nobis detrahitis, & omnia genera quibus scandala poni-

tis. Nam & cum dicit, *Videbas furem, & currebas cum eo*: de qua re hoc putatis dictum esse? Nunquid de subducto vestimento, aut de inuolato gremio, aut de aliquibus rebus, quæ ablatæ vel lucra vel damna inter homines faciunt? Equidé sunt & ista prohibita: sed in hac lectione illa furta increpat deus, quæ sibi sunt facta. Quæritis quæ furta sint Deo facta? apud vos inueniuntur. Possessio Dei, est turba fidelium, ex qua quotidie fur diabolus cupit aliquid inuolare: In quouis Christiano aut Christiana vult vel mores ex aliqua parte corrumpere, & si non totum hominem, sed quodcunq; de homine rapere. Talem furem cum videatis contra nos vim facere, vestris operibus adiuuistis. Nam neminem fugit, quod omnis homo qui nascitur, quamuis de parentibus Christianis nascatur, sine spiritu mundi esse non possit, quem necesse sit ante salutare lauacrum, ab homine excludi & separari. Hoc exorcismus operatur, per quem spiritus immundus depellitur, & in loca deserta fugatur. Fit domus vacua in pectore credentis, fit domus munda: intrat Deus & habitat, Apostolo dicente, *Vos estis templum Dei, & in vobis Deus habitat*. Et cum Deo vnusquisque plenus sit, de quo fur diabolus aliquid inuolare contendit: vos rebaptizando exorcizatis hominem fidelem, & dicitis Deo habitanti, *Maledicte exi foras*: vt compleatur quod à Deo dictum est, per Prophetam Ezechielem, *Et maledicebant mihi in populo meo, pro-*

pter plenam manum hordei & bucellam panis, vt occiderent animas, quas non oportuit mori. Audit ergo Deus iniurias non sibi debitas, & huiusmodi habitaculum deserit: Et homo, qui Deo plenus in Ecclesiam intrauerat, egreditur vas inane. Diabolus qui volebat quasi fur aliquid inuolare, adiutus operibus vestris, videt totum suum factum esse, vnde volebat paululum aliquid tollere. Ergo de vobis dixit Deus, *Videbas furem & currebas cum eo.* Denique in Euangelio sic scriptũ est, *Cum autem Deus deseruerit hominem, remanet vas inane: spiritus autem immundus errans per loca deserta, ieiunus dicet, Domus mea vacua est: hoc est dicere, qui me excluserat, exclusus est. Reuertar illuc & habitabo. Et adducit secum alios septem sauiores, & habitabit illic, & erunt hominis illius peiora nouissima, quàm quæ fuerunt prima:* Hoc est, *videbas furem, & concurrebas cum eo, Et cum mœchis particulam tuam ponebas.* Hæreticos dicit mœchos, & mœchas Ecclesias illorum: quas aspernatur & repudiat Christus, in Canticis canticorum, quasi dicat, *Quid mihi colligitis non necessarias? vna est dilecta mea, vna est sponsa mea, vna est columba mea, id est, Catholica*: In qua & vos cum esse possetis, rebaptizando inter mœchos particulam habere voluistis. Et quoniam vos esse peccatores, diuino testimonio manifestissime comprobatũ est: etiam illud ostensum est, tua auxilia contra te militasse. In auxilium enim adduxeras prophetam, in quo lectum est, *Sacrificium peccatoris, quasi*

qui victimet canem. Iam peccatores vos esse, si pudor est vllus, cum dolore cognósce. Etiam illud disce, cuius vox sit, *Oleum peccatoris non vnget caput meum.* Tu enim non intellexisti, cuius hæc vox sit, vtiq; Christi, qui necdum vnctus fuerat, cum rogaret, vt oleum peccatoris non impinguaret caput eius. Hæc tu non intelligens, dixisti, Quia Propheta timuit oleum peccatoris, à Samuele iam dudum puer vnctus fuerat. Qui cantabat, non fuit ratio vt iterum vngeretur: Ergo vox est Christi dicentis, *Oleum peccatoris non vnget caput meum.* Preces sunt, non iussiones: Desideria sunt, non præcepta. Nam si iussio esset, diceret, Oleum peccatoris non vngat caput meum. Vox est ergo fili Dei iam tunc metuentis oleum peccatoris, incurrere, id est, cuiusque hominis: quia nemo non est peccator, nisi solus Deus. Ideo filius eius timuit oleũ hominis, quia fœdum erat, vt deus ab homine vngeretur. Ideo deprecatur patrem, vt non vngatur ab homine, sed ab ipso Deo patre. Petit ergo filius: videam9 an concesserit pater. Hoc spiritus sanctus indicat & manifestat in Psalmo xliiij. vbi ait ad ipsum filium, *Vnget te dominus deus tuus oleo exultationis aliter à consortibus tuis.* Consortes fuerant Iudæorum Sacerdotes & Reges, quos singulos vnctos ab hominibus constat. Sed quia filius à patre, Deus à Deo, erat vngẽdus, secundũ quod filius petiit, & spiritus promissa nunciauit, compleuit pater in Iordane. Quò, cum venisset filius Dei,

Dei, ſaluator noſter, à Ioanne oſtenſus eſt his verbis, *Ecce agnus Dei. Hic eſt, qui tollit peccata mũdi.* Deſcendit in aquam, non quia erat quod in Deo mundaretur, ſed venturum oleum, aqua debuit antecedere, ad myſteria initianda & ordinanda, & implenda baptiſmatis lotus cum in Ioannis manibus haberetur, ſecutus eſt ordo myſterij, & compleuit pater, quod rogauerat filius, & quod nunciauerat ſpiritus ſanctus. Apertum eſt cœlum Deo patre vngente, ſpiritale oleum ſtatim in imagine columbæ deſcendit, & inſedit capiti eius, & perfudit eum, vnde cœpit dici Chriſtus, quando vnctus eſt à Deo patre. cui ne manus impoſitio defuiſſe videretur, vox audita eſt Dei de nube dicentis, *Hic eſt filius meus, de quo bene ſenſi, hunc audite.* Hoc eſt igitur quod lectum eſt, *Oleum peccatoris non vnget caput meum.* Rationem veritatis, frater Parmeniane, vel ſero addiſce, quoniam nunc tempus eſt inueniſti diſcẽdi. Et illud quod in Salomone Propheta lectum eſſe dixiſti: *Filios adulterorum inconſummatos*, & ſpuria vitulamina altas radices dare non poſſe. Hoc & ſimpliciter dictum eſſe intelligi poteſt. Vnde ſi figuram facias, veros adulteros excuſaſti. Sed fac, vt figuraliter dictum ſit, hoc de hæreticis dictum eſt, apud quos ſunt Sacramentorum falſa cõnubia: & in quorum thoris iniquitas inuenitur: vbi in exterminium fidei corrupta ſunt ſemina. Dum Valentinus filiũ Dei in phantaſmate, non in carne fuiſſe conten-

dit,fidem ſuam ſuorúmque corrupit. Natiuitatis eorum ſemen exterminatum eſt,qui non crediderunt filium Dei in carne natum de virgine Maria,& paſſum in carne. Nam & illud quod in Hieremia Propheta te legiſſe commemoraſti,exhorruiſſe cœlum quod duo maligna populus Dei fecerit, vt derelinquerent fontem aquæ vitæ,& foderent ſibi lacus detritos,qui nõ poſſent aquam continere.Legiſti quidem , ſed vt ſe res habet,intelligere noluiſti:ſtudio criminandi ad conuitium Catholicorum cuncta cõponens, multum ad arbitrium tuum declinare conatus es. Si enim putas per Prophetas ſic dicta eſſe omnia , vt ad tempora noſtra pertineant:excuſa tu Iudæos,de quibus hæc dicta eſſe conſtat, qui dimiſerunt Deum viuum, Deum verum,Deum qui illis beneficia præſtitit.Et fecerunt ſibi Idola,hoc eſt,lacus detritos , qui non poſſunt aquã continere.Ideo perennis maieſtas exundat. Sicut in fonté , aqua largiter defluentibus venis exuberat.Idola vero ſi non fiant,non ſunt,& lacus niſi fodiatur , ſinus capaces habere non poteſt. Lacus ſine arte & ferramentis cauari non poteſt: Nec Idolum ſine artifice fieri poteſt : In Idolis virtus naturalis nulla eſt , ſed hominum errore adiungitur & applicatur, Eſtimatur in Idolo virtus.Quæ illic nata non eſt,lacus eſt arte detritus : cuius fabrica vexatio eſt.Hoc eſt quod dixit Deus , Duo mala feciſſe populum ſuum , quia ſe reliquerat fontem aquæ viuæ , &

effoſſos & detritos ſibi fecerat lacus. Etenim Iudæorum populus deſeruerat veram, quam nõ nouerat maieſtatem : & Idolorum inquinatam ſecutus fuerat religionem. Hoc eſt quod dolet Deus. Hoc eſt quod dicit cœlum exhorruiſſe. Nam & per Eſaiam idem Dei dolor eſt, dum in hoc duo teſtatur Elementa, dum ait, *Audi cœlum & percipe auribus terra. Filios generaui, & exaltaui: ipſi autem me dereliquerunt.* Quare non de hac lectione aliquid, frater Parmeniane, dixiſti? An quia hic non eſt aqua nominata? Intelligeris enim ſtudio criminandi ſic palpaſſe legem, vt vbicunque aquam ſcriptam legeris, præſtigiis quibuſdam ad inuidiam colligeras, & euerriculo quodam malitiæ argumentorum intexto, ad te omnia quæ ſunt bona traxiſti. Nam qualis eſt tuus intellectus in hoc capitulo Hieremiæ, cum clamaret Deus ſe deſertum eſſe, & ſic effoſſos lacus? pro ſe iraſcitur, non pro re ſua. Aqua enim Baptiſmatis res Dei eſt, non Deus. Quare vides, te ſine cauſa feciſſe conuitium: & fingens pro arbitrio tuo, quod voluiſti, vt Taurinum & Macarium lacerares, perdidiſti, quod ſapiens videris, dũ ſenſus tuos inuidia deprauauit, & intelligendi tibi aditus clauſit. Probatum eſt ergo, te non contra nos, ſed contra vos dixiſſe, quod ante dictum eſt de oleo & ſacrificio peccatoris.

LIBER QVINTVS.



QVi fuerint Traditores & auctores schismatis, in primo libro manifestissimis documentis ostendimus. & apud nos esse vnam & veram Ecclesiam catholicã secundo mõstrauimus. Tertio verò probauimus, quæ aspere facta esse dicuntur, ad nos minime pertinere, & vos magis peccatores esse, indicio diuino docuimus. Iam de baptismate hoc loco dicendum est: in qua re, quæ nunc agitur quæstio, tota consistit, quod baptisma vestra violauit audacia, dũ id voluistis iterare, quod semel mandauit Christus. Quod nec tu negas, frater Parmeniane, quia in principio tractatus tui, multa contra vos pro nobis, quæ sunt nostra, dixisti. Commemorasti enim in comparatione baptismatis, semel factũ esse diluuium. Et vnam Circumcisionem fuisse apud populum Iudæorum.

Et cum hæc initio dictionis tuæ latè tractaueris, in processu tractatus tui horum immemor factus es, inducendo duas aquas, & de aqua vera & falsa dicturus, principium sermonis tui insipienter perstruens ordinasti: Infirmando, confirmas sancti Baptismatis vnionem. De Circuncisione Iudaica, quasi fundamenta iactare voluisti, quod baptisma Christianorũ in Hebręorum Circuncisione fuerat adumbratum. Defendisti Catholicã dum impugnas. Etenim in pro-

greſſu tractatus tui,alterum te inanire profeſſus es,vt alterum replere videreris. Extra hæreticorum baptiſmata,dum dicis alterum & alterum, licet diuerſa oſtendere conatus ſis , non poſſis negare : quia duo ſunt, ex quibus dum conaris auferre alterum, laboraſti vt de ſecundo quaſi primum facere videreris. Circuncißio ante aduentum baptiſmatis in figura præmiſſa eſt, & à te tractatum eſt, apud Chriſtianos duas eſſe aquas.Ergo & apud Iudæos duas Circunciſiones oſtende, alteram meliorem, peiorem alteram. Hoc ſi quæras , non poteris inuenire. Abrahæ proſapia,qua Iudęi cenſentur, hoc ſigillo ſe inſigniri gloriatur. Ergo talis debet veritas ſequi, qualis eius imago præmiſſa eſt. Nam & Deus, qui voluit oſtendere rem ſingularem poſtea eſſe debere,non de auricula, non de digito voluit aliquid tolli : ſed ea pars corporis electa eſt deperire,vt ſemel ablatum,ſalutare in illis faciat ſignum, quod non poteſt iterum fieri. Semel enim factum ſeruat ſalutem:Si iterum fiat, poteſt afferre perniciem.Sic & Baptiſma Chriſtianorum,Trinitate confectum, confert gratiam: Si repetatur,facit vitæ iacturam. Quid igitur tibi placuit, frater Parmeniane,rem ſingularem proponere, & contra hanc,licet diuerſa , duo baptiſmata comparare : Vnum verum, alterum falſum ? Sic enim poſtea diſputaſti, duas aquas eſſe,cum vobis vnam vindicans veram , nobis mendacem aſcribere voluiſti.

Post hoc & Cataclysmi fecisti mentionem. Erat quidem imago baptismatis, vt inquinatus totus orbis, demersis peccatoribus, lauacro interueniente, in faciem pristinam mundaretur. Sed qui postea dicturus eras, extra hæreticorum morbidos fontes esse, etiam aliam aquam, id est, mendacem, contra veram: vt quid Cataclysmum (quod semel fuit) commemorare voluisti? Si ita est, ostẽde prius duas Arcas non similes, & duas Columbas dispares, diuersos ramos ore suo portantes, si aquam veram & falsam probaturus es. Aqua igitur sola & vera illa est, quæ non de loco, non de persona, sed de Trinitate condita est. Et quia dixisti, & aquam esse mendacem, etiam hoc disce, vbi eam poteris inuenire. Apud Praxeam Patripassianum, qui ex toto filium negat, & patrem passum esse contendit: cum sit filius Dei veritas, sicut ipse testatur dicens, *Ego sum ianua & via, & veritas*. Ergo si filius Dei est veritas, vbi ipse non est, mendacium est. Cum apud Patripassianos non est filius, non est nec veritas: Et vbi veritas non est, ibi est aqua mendax. Quare vel sero desine confingere crimina, & quod in Patripassianos dictum est, in Catholicos noli transferre. Nunc quoniam manifeste monstratum est, à nobis & pro nobis dici potuisse, quod de diluuio & Circuncisione locutus es: Consequens est ostendere, quomodo laudem baptismatis ita dixeris, vt in ea multa pro nobis & pro vobis, aliquid tamen & contra vos. Pro

vtriſque illud eſt, quod & nobis commune eſt: ideo & vobis,quia ex nobis exiſtis. Denique & apud vos & apud nos vna eſt Eccleſiaſtica conuerſatio,communes lectiones:eadem fides: ipſa fidei Sacramenta,eadem myſteria. Bene igitur laudaſti baptiſma. Quis enim fidelium neſciat, ſingulare baptiſma,virtutum eſſe vitam, criminum mortem,natiuitatem immortalem, cœleſtis regni comparationem,innocentiæ portum, peccatorum(vt & tu dixiſti) naufragium. Has res vnicuique, non eiuſdem rei operarius, ſed credentis fides & Trinitas præſtat.Deinde quęris,quid in laude baptiſmatis contra vos dixeris? Audi,ſed prius eſt fatearis, quod omnes negare minime poteritis. Dicitis enim Trinitatem pro nihilo haberi,vbi non interfuerit veſtra pręſentia.Si nobis derogatis,vel deum reueremini,qui in Trinitate prior eſt:Qui cum filio ſuo & ſpiritu ſancto omnia operatur & complet, etiam & illic vbi non fuerit humana perſona. Tu vero, frater Parmeniane, in laude aquæ de Geneſiorum lectione dixiſti,aquas primum viuas animas ædidiſſe: nunquid ſua ſponte eas generare potuerunt?nunquid non & illic fuerat tota Trinitas?vtiq; & illic fuerat Deus pater,qui iubere dignatus eſt,qui dixit,*Educant aquæ natantia & volatilia &c.*Quod ſi ſine operante fieret quod factum eſt,diceret Deus, *Educite aquę.* Ibi erat ergo filius Dei qui operabatur. Ibi erat ſpiritus ſanctus,ſicuti lectum eſt,*Et ſpiritus Dei ſuperfere-*

batur super aquas.Nihil illic video quartũ, nihil minus à tribus,& tamen natum eſt quod Trinitas operata eſt: Et non ibi fuiſtis: aut ſi ſine vobis nihil debet licere Trinitati, reuocate piſces in originẽ: iam volãtes aues fluctibus mergite, ſi vobis abſentib⁹ nihil debet Trinitas operari. Cũ ergo dixeris & vnũ fuiſſe diluuiũ, & Circuncisionẽ repeti nõ poſſe: Et nos docuimus cœleſte munus vnicuiq; credẽti à Trinitate cõferri, non ab homine: Et quid vobis viſum eſt, nõ poſt nos, ſed poſt Trinitatem, Baptiſma geminare? Cuius de Sacramento non leue certamen innatum eſt, & dubitatur, An poſt Trinitatem in eadem Trinitate hoc iterum liceat facere. Vos dicitis, *licet*: Nos dicimus, *non licet*. Inter *licet* veſtrum, & *non licet* noſtrum, nutant & remigant animæ populorum. Nemo vobis credat, nemo nobis: omnes contentioſi homines ſumus.

Quærendi ſunt iudices: Si Chriſtiani, de vtraque parte dari non poſſunt: quia ſtudiis veritas impeditur. Deforis quærendus eſt iudex: Si paganus, non poteſt noſſe Chriſtiana ſecreta. Si Iudæus, inimicus eſt Chriſtiani baptiſmatis: Ergo in terris de hac re nullum poterit reperiri iũdiciũ, de cœlo quęrendus eſt iudex. Sed vt quid pulſamus ad cœlum, cum habeamus hic in Euãgelio teſtamẽtum? Quia hoc loco recte poſſunt terrena cœleſtibus cõparari: tale eſt, quod quiuis hominum habẽs numeroſos filios. His, quamdiu pater præſens eſt, ipſe imperat ſingulis: non

eſt adhuc neceſſarium teſtamẽtum. Sic & Chri-ſtus, quam diu præſens in terris fuit (quamuis nec modo deſit)pro tempore quicquid neceſſa rium erat, Apoſtolis imperauit. Sed quo modo terrenus pater, cum ſe in confinio ſenſerit mor-tis, timens ne poſt mortem ſuam, rupta pace, li-tigent fratres, adhibitis teſtibus, voluntatem ſuã de pectore morituro trãsfert in tabulas diu du-raturas, Et ſi fuerit inter fratres contentio nata, non itur ad tumulum, ſed quæritur teſtamentũ: Et qui in tumulo quieſcit, tacitis de tabulis lo-quitur viuus. Is, cuius eſt teſtamentum, in cœlo eſt. Ergo voluntas eius, velut in teſtamento, ſic in Euangelio inquiratur. Etenim præſentia, quæ modo facitis, iam futura conſpexerat Chriſtus. Denique cũ lauaret pedes diſcipulis ſuis, ſic ait: Petro filius Dei, *Quod ego facio, tu neſcis, Scies au-tem poſtea.* Dicendo, *Scies poſtea,* hæc tempora deſignabat. Ergo inter cæteros teſtamenti titu-los, hunc titulum de aqua conſtituit. Cum laua-ret pedes diſcipulis ſuis, tacentibus cęteris, ſi ta-ceret & Petrus ſolam fecerat formam humilita-tis nihil pronunciauerat de Sacramento baptiſ-matis. Sed cum Petrus recuſat, nec pedes ſibi la-uari permittit, negat illi Chriſtus regnum, niſi accepiſſet obſequium. Sed cum cœleſtis regni mentio fieret, à quo pars corporis petebatur ad obſequium, totum corpus obtulit ad lauacrum. Nunc adeſtote ommes turbæ, & ſinguli Chri-

ſtiani populi, Quid liceat, diſcite: dum prouocat Petrus, Chriſtus docet: Qui dubitat, diſcat. Chriſti enim vox eſt, *Qui ſemel lotus eſt, non habet iterum neceßitatem lauandi:* Et de eo lauacro pronũciauit, quod de Trinitate celebrandum eſſe mãdauerat: nõ de Iudæorum aut hæreticorum, qui dum lauant, ſordidant: ſed de aqua ſancta, quæ de trium nominum fontibus inundat. Sic enim ipſe dominus Chriſtus præcepit dicendo, *Ite, baptizate omnes Gentes in nomine patris & filij & ſpiritus ſancti.* De hoc lauacro dixit, *Qui ſemel lotus eſt, non habet iterum neceßitatem lauandi.* Qui ſemel dixit, prohibuit iterũ fieri. Et de re locutus eſt non de perſona. Nam ſi eſſet diſtantia, diceret, *Qui ſemel bene lotus fuerit.* Sed dum non addidit verbum, *bene,* indicat quia quicquid in Trinitate factum fuerit, bene eſt. Inde eſt, quod ſimpliciter à vobis venientes excipimus, cum dicit. *Non habet neceßitatem iterum lauandi.* Hæc ſententia generalis eſt, non ſpecialis. Nam ſi Petro hæc dicerentur, diceret Chriſtus: *qui ſemel bene lotus eſt non habet neceßitatem iterum lauandi.* Ideo quotiens à vobis baptizatus aliquis, ad nos tranſitum voluerit facere, venientem hoc magiſtri exemplo tota ſimplicitate ſuſcipimus. Abſit enim, vt iam lotum reuocemus ad fontem: Abſit, vt in ſpiritum ſanctum peccemus: cui facinori & præſenti & futuro ſæculo indul-

gentia denegatur: Absit, vt iteremus, quod semel est: aut duplicemus quod vnum est. Sic enim scriptum est, Apostolo dicente, *Vnus Deus, vnus Christus, vna fides, vna tinctio.*

Denique vos, qui baptisma quasi libenter Duplicare contenditis: si datis alterum baptisma, date alteram fidem: Si datis alteram fidem date & alterum Christum. Si datis alterum Christum, date alterum Deum. Vnum Deum esse negare non potestis, ne in Marcionis foueas incidatis. Ergo Deus vnus est: de vno Deo vnus est Christus. Qui rebaptizatur, iam Christianus fuerat, Quomodo dici potest iterum Christianus? Vna fides hoc loco, ab hæreticorum erroribus & ab eorum varia fide, fides vnica separatur. Et iam vobis præscribitur, qui post semel, iterum facitis, totum ponendo in dotibus, nihil in Sacramentis. Cum hoc nomen fidei pertineat ad credentem, non ad operantem; Quocunque enim interrogante, qui credidit, Deo credidit: Et post illius vnum *credo*, tu exigis alterum *credo*. Deinde sequitur vnum baptisma, vt quia quod vnum est, sanctum est, per quod vnum est: non solum ab hæreticorum prophanis & sacrilegis baptismatibus separetur, sed ne duplicetur quod vnum est, aut iteretur quod semel est. In hoc Sacramento baptismatis celebrando, tres esse species constat, quas & vos, nec augere, nec

minuere, nec prætermittere poteritis. Prima ſpecies eſt in Trinitate, Secunda in credente, Tertia in operante. Sed non pari libramine ponderandæ ſunt ſingulæ. Duas enim video neceſſarias, & vnam quaſi neceſſariam. Principalem locum Trinitas poſſidet, ſine qua res ipſa non poteſt geri: hanc ſequitur fides credentis. Iam perſona operantis vicina eſt, quæ ſimili autoritate eſſe non poteſt. Duæ priores permanent ſemper immutabiles & immotæ: Trinitas enim ſemper ipſa eſt: fides in ſingulis vna eſt: vim ſuã ſemper retinẽt ambæ. Perſona vero operantis, intelligitur duabus priorib⁹ ſpecieb⁹ par eſſe nõ poſſe, ideò ꝙ ſola eſſe videatur mutabilis. Inter nos & vos vultis eiuſdẽ perſonæ eſſe diſtantiã: & ſanctiores vos æſtimantes, ſuperbiã veſtrã non dubitatis anteponere Trinitati: cum perſona operantis mutari poſſit, Trinitas mutari non poſſit.

Et cum ab accipientibus baptiſma deſiderari debeat, vos deſiderandos eſſe proponitis. Cum operantes inter alios ſitis, oſtendite qualem in eodem myſterio locum habeatis, & an ex eodẽ corpore eſſe poſſitis: Baptiſmatis vnicum nomẽ eſt: cui ſubeſt proprium corpus: cui corpori certa ſunt membra: quibus nec addi nec auferri aliquid poteſt. Inter quæ membra: ſi & eligendus operarius inuenitur, totum corpus ad operantem pertinet. Hæc omnia huius corporis membra, & ſemper & ſemel ſecum ſunt, & mutari nõ

poſſunt. Operarij vero quotidie mutantur & locis, & temporibus, & perſonis. Neque enim vnus homo eſt, qui ſemper aut vbique baptizat in hoc opere. Iam dudum alij fuerunt, Modo alij, Poſtea alij futuri ſunt: Operarij mutari poſſunt, Sacramenta mutari non poſſunt.

Cum ergo videatis, omnes qui baptizant, operarios eſſe, non dominos, & Sacramenta per ſe eſſe ſancta, non per homines, quid eſt, quod vobis tantum vindicatis? Quid eſt quod apud vos ſolos munus principale eſſe dicitis? Quid eſt, quod Deum muneribus ſuis excludere contenditis? Concedite Deo præſtare quæ ſua ſunt. Non enim poteſt munus ab homine dari, quod diuinum eſt. Si ſic putatis, & prophetarum voces, & Dei promiſſa inanire contenditis, quibus probatur quia Deus lauat, non homo. Adeſt contra vos Dauid Propheta, qui ait in Pſalmo. 50. *Lauabis me & ſuper niuem dealbabor.* Item in eodem Pſalmo. *Deus laua me ab iniuſtitia mea, & à delicto meo munda me. Laua me,* dixit: nō dixit *elige per quem lauer.* Et Eſaias Propheta ſic dixit, *Quoniam abluet dominus ſordes filiorum & filiarum Sion.* Non dixit: *lauabunt me, qui ſe ſanctos putant.* Dignamini vt vel Prophetę vos vincant, vel ſic agnoſcite quia non lauat homo, ſed Deus. Quam diu dicitis, qui nō habet quod det, quomodo dat? Videte Deum eſſe datorem: Videte Deum vnumquenque mundare. Sordes enim

& maculas mentis lauare non poteſt, niſi qui eiuſdem fabricator eſt mẽtis. Aut ſi putatis, quia lauacrum veſtrum eſt, dicite, qualis eſt ipſa mẽs, quæ per corpus lauatur: aut quam habet formã: aut quo loco in homine habitet. Hoc homini ſcire negatum eſt. Ergo quomodo putas, quia lauas qui neſcis quale ſit quod lauas? Dei eſt mundare, non hominis: ipſe per Prophetam Eſaiam promiſit ſe loturum, dum ait, *Et ſi fuerint peccata veſtra velut coccum, vt niuem inalbabo. Inalbabo* dixit, non dixit, *faciam inalbari.* Si hoc deus promiſit, quare vos vultis reddere, ꝙ vobis nec ꝓmittere licet, nec reddere, nec habere? Ecce in Eſaia ſe ꝓmiſit deus inalbare peccatis affectos, nõ per hominẽ. Reuertimini ad Euãgelium: Videte, quid in ſalute generis humani ſit pollicitus Chriſtus. Cui cum mulier Samaritana aquam negaret, tunc à filio Dei dictum eſt, quod præſcribat præſumptionibus veſtris, *Aquam* (inquit) *quam ego do, qui biberit, non ſitiet in æternum. Aquam quam ego do*, inquit, non dixit, quam dederint qui ſe ſanctos putant, ſicut vos vobis videmini: ſed ſe dixit daturum. Ipſe eſt ergo qui dat: ipſius eſt, quod datur: Quid eſt quod vobis tota importunitate vindicare contenditis?

Cum hanc rem cumulet Ioannes Baptiſta, qui præcurſor venerat ſaluatoris, cum multos tingeret in pœnitentia & remiſſa peccatorum, nunciauit filiũ Dei eſſe venturum. Cuius verba hæc ſũt, *Ecce venit qui vos baptizat.* Et tamẽ non legi-

m' post Ioãnẽ Christũ aliquẽ baptizasse. Quod ergo dixit, *Qui vos baptizat*, & veniẽs Christus illo tẽpore post Ioannẽ neminẽ tinxit: promissũ erat tẽporibus nostris, vt ipse daret, quod hodie datur: secundum quod ait, *Aquam quam ego do qui biberit, non sitiet inaeternum*. Nam & discipuli Ioannis, cum dicerent magistro suo, Ecce quem baptizasti, baptizat? Baptizabat quidem, sed per manus Apostolorum, quibus leges baptismatis dederat. Denique lectum est alio loco, *Nam ipse neminem baptizauit, sed discipuli eius*. In hac re omnes discipuli eius sumus, vt nos operemur, vt ille det qui se daturum esse promisit. Et tamen cum Ioannes infinita milia hominum baptizaret, iam Christo praesente operabatur seruus, & vocabat dominus, antequam baptizandi daret formam. Peractum est non modicum tempus, milia hominum in pœnitentia & remissione tincta sunt peccatorum. Sed nemo tinctus fuerat in trinitate: nemo adhuc nouerat Christum: Nemo audierat esse Spiritum sanctum. At vbi venit tempus plenitudinis, certo tempore dedit leges baptismatis filius Dei, Et dedit viam qua iretur ad regna cœlorum, Dum praecepit dicens, *Ite, docete omnes gentes, baptizantes eas in nomine patris & filij & spiritus sancti*. Ex ea die oportuit fieri quod mandatũ est. Ante tẽpus noluit emendare quod operatũ est, ne licentiã rebaptizãdi daret. quãuis alterũ fuerit baptisma Ioannis, & alterũ sit Christi

baptiſma Ioannis ante leges plenum voluit eſſe, quod non erat plenum. Et tamen ſupra memorata millia hominum, quia in Deo crediderant, quamuis ignorarent filium Dei & ſpiritum ſanctum, regnum cœlorum eis denegari nõ potuit. Inde eſt vox filij Dei dicentis, *A diebus Ioãnis vſque in hodiernum, regnum dei vim patitur. Et qui vim faciunt, diripiunt illud:* Ideo dixit, vim patitur, quia adhuc baptizabat Ioannes. Denique, quia alterum tempus erat ante præcepta, alterũ poſt præcepta. Qui poſt præcepta in nomine ſaluatoris baptizati ſunt, in regnum legibus intrauerunt: Qui ante præcepta, ſine lege vim fecerunt, ſed excluſi non ſunt. Ergo ante præcepta, baptiſma Ioannis, cum eſſet imperfectum, pro perfecto iudicatũ eſt ab eo, cui nemo iudicat. Et quia quaſi limes quidam fixus eſſet iuſſionis inter tempora antecedentia & ſequentia: Cum apud Epheſum baptizarentur aliqui baptiſmate Ioannis poſt præcepta, hos videns Beatiſſimus Paulus interrogauit, An accepiſſent ſpiritũ ſanctũ: Dixerunt ſe illi neſcire, an eſſet ſpiritus ſanctus. Et dixit illis, vt poſt baptiſma Ioannis acciperent ſpiritum ſanctum. Sic enim baptizati erant, quemadmodum multi à Ioanne fuerãt baptizati. Sed q ante leges baptizati ſunt, ad indulgentiam pertinuerunt, quia præſens fuerat, qui indulgentiam daret: & non erãt ex toto rei, qui legibus non fuerant occupati. Hi verò, qui apud Epheſum poſt leges, Ioannis baptiſmate baptiſzati

zati fuisse legũtur, post leges in Sacramẽto errauerãt: quia iam introductũ fuerat baptisma Domini, & exclusum fuerat serui. Et ideo, quia post mandata diuina, legibus debuerãt ire in regnũ, non per violentiam (iam enim terminũ temporis fixerat Christus, dicendo, *A diebus Ioannis vsque in hodiernum.*) Post hodiernum iam non licebat ꝙ heri licuerat. Quare nolite vobis blãdiri de dicto Apostoli Pauli, qui non post personá operarij interrogauit, sed post rem: cui res non personna displicuit: Denique baptisma saluatoris iussit, vt discerent, qui non nouerant, quia nõ ipsum sed aliud acceperant. Vos vero quid imitamini? si res potuistis mutare, recte feceritis: si tamen de lege aliquid faceretis. Paulus dixit, *in quo baptismate baptizati estis?* Et dixerunt, *Ioãnis*: persuasit eis, vt baptismaChristi acciperent. Vos non dicitis, quid accepistis, sed à quo accepistis: Et insectamini in personas hominum, & vultis iterare quod semel est. Qui baptizati erãt apud Ephesum, crediderant in pœnitentia & remissione peccatorum: Recte illis dictum est, vt baptizarentur in nomine patris & filij & spiritus sancti. Vos vero quid mutatis in hominibus, qui iam dixerunt se credidisse in nomine patris & filij & spiritus sancti: Siue ipsum interrogatis, siue aliud, conuincamini, necesse est peccare vos: Siue aliud interrogetis quod iussum non est, siue hoc velitis facere, quod iam factum est. Redeo nunc ad illud vestrum quod dicitis, Qui nõ

habet quod det, quomodo dat? Vnde hæc vox est? De qua lectione recitari potest? Vox est de vico, nō de libro collecta. Qui non habet quod det, quomodo dat? Hæc verba scripta in lege non sunt. Nam si (vt vultis) homo dat, Deus vacat. Et si Deus vacat, & apud vos est omne ꝙ dandum est, ad vos sit conuersio: quos baptizatis, in nomine vestro tingantur. Erubescite, Beato Paulo clamante, & suam gratulationem profitente: *Nunquid in nomine meo baptizati estis?* Ille gaudet quod duos solos & vnam domum baptizauerit. Et vos populos rebaptizare cōtenditis, & peccasse vos & peccare gaudetis, dicentes, *Quid dat, q nō habet ꝙ det?* cui creditur ipse dat ꝙ creditur nō per quē creditur. Deniq; sub Ioāne infinita multitudo hominū baptizata est, probate Ioannem aut accepisse aut habuisse quod daret. Illo autem operante dabat deus, qui dando non deficit. Et nunc operantibus cunctis humana sunt opera, sed Dei sunt munera. Iā illud quā ridiculum est, quod quasi ad gloriam vestram à vobis semper auditur, *Hoc munus baptismatis, est dantis, non accipientis:* Et vtinam hoc de Deo diceretis, qui huius rei dator est. Sed quod stultū est, vos dicitis esse datores. Si ita est, & nos & vos teneamus singulos Gētiles: vos, qui vos sanctos diciris, interrogate cū quē tenetis, an renūtiet diabolo & credat domino: Et ille dicat, *Nolo.* Contra, nos peccatores (vt vultis i) nterrogemus alterum Gentilem an renunciet diabolo &

credat Deo &c. Et dicat, *renuncio & credo*. Cum vos tingatis nolentem, nos volentem: dicatur, quis eorum poſſit ad Dei gratiam pertinere. Vtique ſine dubio ille conſequitur qui credit, nō ille, pro cuius voluntate (vt dicitis) ſanctitas veſtra ſuccedit. Operarios vos vel ſero cognoſcite. Aut ſi in operario eſt res ipſa, & non in ſe, hoc ſibi vindicent & aliqui homines in artibus ſuis, vt quia ſic prouocatis ad res diuinas, etiam artes comparemus humanas. Cum precioſus inficitur color, natura ſæpe cōuertitur. Dum conuectione vellus candidū purpuraſcit, Sic alba lana regalem tranſit in purpurā. Quomodo Catechumenus in fidelem? Vtique dū incipit eſſe quod non erat, definit eſſe quod fuerat: Lana & colorem mutat & nomen. Et homo & vocabulum mutat & mentem. Conſiderata ſunt effecta, retractanda ſunt efficientia. Dicis à te datum eſſe, ꝙ homo fidelis effectus eſt. Si hoc totum meum eſt, dicat & operarius purpurę, quod precioſum colorem in ſuis manibus habeat: non procuret precioſa pigmēta ex Oceano multis ignota, quibus tincta vellera, per colorem promoueantur in admirabilē dignitatē: non admixto ſanguine piſcis, purpurā ſolo tactu conficiat. Igitur vt operarius iſte per tactū ſolū dare colorē non poteſt, ſic nec operarius baptiſmatis, ex ſe ſine Trinitate dare aliquid poteſt. Tale eſt hoc, vnde modo certamen eſt. Nam in quo baptizarentur gē-

tes, à saluatore mandatum est: per quem baptizẽtur, nulla exceptione, discretum est. Non dixit Apostolis, *vos facite alij non faciant*. Quisquis in nomine patris & filij & spiritus sancti baptizauerit, Apostolorum opus impleuit. Denique lectum est in Euangelio, Ioanne dicente, *Magister, vidimus quendam in nomine tuo expellentem dæmonia, & prohibuimus eum, quia non sequitur nobiscũ*. Sic Christus ait, *Nolite prohibere, qui enim non est contra vos, pro vobis est*. Nam & ipsis mandatũ est sic vt opus esset illorum sanctificatio Trinitatis, nec in nomine suo tingerent, sed in nomine Patris, & filij, & Spiritus sancti. Ergo nomen est quod sanctificat, nõ opus. Intelligite vos vel sero operarios esse, non dominos. Et si Ecclesia vinea est & vites sunt homines & ordinati cultores. Quid in dominium patrisfamilias irruistis? Quid vobis, quod Dei est, vindicatis? Quid vultis vestrum esse totum, vbi nec partem poteritis habere? Nã propter tumorẽ vestrum, quo in nos intumescitis, increpat Corinthios Beatissimus Paulus: in se & Apollo actus nostri temporis conformat, *Ne alter in alterum* (inquit) *intumescat*. Vt ostenderet, quia hoc totum Sacramentum Baptismatis Dei est, vt illic sibi nihil vindicet operarius, sic ait: Ego plantaui, Apollo rigauit. Id est, de Pagano catechumenum feci, Ille catechumenum baptizauit: Sed vt cresceret quod plantatum aut irrigatum est, Deus fecit. Nam & quiuis hodie volens vi-

neam paſtinare, operarium placita mercede conducit: qui curuato dorſo & deſudatis lateribus, ſinus terræ faciat, vbi deponat electa plantaria, & aquam calcatis ſcrobibus ſuperducat: Scrobem fodere, & plantaria ponere poteſt: aquam inducere poteſt, imperare, vt teneat non poteſt. Eſt enim hoc ſolius Dei, de medullis palmitum producere radices coaleſcentes in terram, & gemmantes oculos, incrementa frondium prouocare. Denique Beatus Apoſtolus Paulus, vt veſtram præſumptionem tumorémque compeſceret, ne ſe æſtimet operatius baptiſmatis, aut habere dominiũ, aut de tanto iſto munere particulam ſibi aliquam vindicare: indicans, quia totum Dei eſt, ſic ait: Neque qui plantat, neque qui rigat, eſt aliquid, ſed ſolus Deus, qui ad incrementa perducit. Operarij inter alios eſtis intrante ſole, hoc eſt, finito ſæculo poteſtis, in die retributionis, nobiſcum de mercede contendere. Nolite vobis Maieſtatis dominium vindicare. Nam ſi ita eſt, vindicent ſibi & miniſtri, qui menſæ Dominicæ famulantur, vt pro humanitate exhibita, ab inuitatis gratulatio eis referatur. Chriſti vox eſt inuitantis, *Venite benedicti patris mei*: veniunt gentes ad gratiam. Exhibet ille qui inuitare dignatus eſt: miniſteriũ exercet turba famulorum. Non famulantibus, ſed paſcenti referendæ ſunt gratiæ. Vos nobiſcum comminiſtri ſitis: inuerecunde totum vobis conuiuij do-

minium vindicatis: cum ſe & cæteros beatiſſimus Paulus famulos cum humilitate fateatur. Ne quis putaret, in ſolis Apoſtolis aut Epiſcopis, ſpem ſuam eſſe ponendam, ſic ait, *Quid eſt enim Paulus, vel quid Apollo? Vtique miniſtri eius, in quem credidiſtis*. Eſt ergo in vniuerſis ſeruientibus non dominiũ, ſed miniſterium. Vides ergo frater Parmeniane, ex tribus ſpeciebus ſupra memoratis, illam primò tripartitam eſſe immotã, inuictam & immutabilem: & operantis temporariam eſſe perſonam. Reſtat iam de credentis merito aliquid dicere: Cuius eſt fides, quã filius Dei & ſanctitati ſuæ antepoſuit & Maieſtati. Nõ enim poteſtis ſanctiores eſſe, quãChriſt⁹ eſt. Ad quẽ cũ mulier illa veniret, cui⁹ filia erat mortua & rogaret vt ſuſcitaretur, nihil ꝓmiſit de virtute ſua, ſed poſt fidem interrogat alienã, vt ſi mulier crederet, pro matris credulitate, filia ſurgeret. Si non crederet, virtus filij Dei feriata ceſſaret. Interrogatur mulier: Reſpondit ſe credere fieri poſſe quod rogabat. Iubetur ire, redit ad domum mulier, inuenit puellam viuam, quam dimiſerat mortuam. Non ruit in oſcula, non properauit in amplexus, ſed redit vt ſaluatori gratias ageret. Et vt oſtenderet filius Dei, ſe vacaſſe, fidem tantum modo operatam eſſe, *Vade* (inquit) *mulier in pace, fides tua te ſaluauit*. Vbi eſt quod dicis, *Dantis eſt, non accipientis*? Quid vobis videtur & Centurionis fides? cuius puer cum male haberet, ſaluatorem petiit, vt ab eo mortem repelleret. Iam Chriſtus pereuntem ve-

niebat ad puerum, ſic eum Cẽturio tenuit, indignitatem tecti ſui confeſſus, quod filius Dei totus non deberet intrare, ſed ſuam virtutem mittere, qua puer fugata morte, reuiuiſcere potuiſſet. Non fortitudo Centurionis, & non ſapientia laudata eſt, ſed fides. *Et curatus eſt puer in illa hora.* Certe dantis eſt, non accipientis. Multa ſunt huiuſmodi in Euangelio de fide perfecta, ſed vel tria complenda ſunt fidei teſtimonia. Quid vobis videtur & illa mulier, quæ de ſecreto cauſæ fœminarum, cum per annos duodecim laboraret, & omnem ſubſtantiam ſuam in medicos erogaſſet: cum videret à filio Dei tantas celebrari virtutes, proceſſit in turbam, videt medicum, videt & populum: cogebat illam dolor, vt medicinam peteret: pudor impediebat ne cauſam ſuã corã maſculis indicaret. Inuenit conſilium tacita fides: *Mittam* (inquit) *manum meam, & tangam fimbriam veſtimenti eius, & ſana fiam.* Nemine vidente inter turbas, manum miſit, tetigit & ſanata eſt. Nec auſa eſt indicare, quod auſa non fuerat petere. Sed ne fructus fidei apud ignorantes latere videretur, ſic ſaluator ait, *Quis me tetigit?* Mirati ſunt diſcipuli eius, dicentes, *Turbæ te comprimunt: & dicis quis me tetigit?* Et Chriſtus, *Quis me* (inquam) *tetigit? ſenſi enim à me exiſſe virtutem.* Sic mulier cõfeſſa eſt, ſe tetigiſſe, & ſanatã eſſe. Iã dudum pro filia mater petiit, pro puero Cẽturio poſtulauit: Hoc loco nec mulier petiit, nec Chriſtus promiſit, ſed

fides tantum quantum præſumpſit, exegit: Certe dantis eſt, non accipientis. Nam quod ad amplificandos tractatus tuos, frater Parmeniane, Naaman Syrum, quaſi immaturam quandā duriſſimorū naſcentium vulnerū maſſam, diu deſcribere voluiſti, quid hoc ad præſentem pertinet cauſam? Bene hoc diceres, & longa oratione recte vti potuiſſes: ſi inuenires aliquem catechumenum ſcabroſiſſimis moribus, qui gereret duriſſimam mentem: qui leniſſimam gratiam aquæ ſalutaris accipere detractaret. Bene hominis innouationem verbis à te dictis oſtenderes. Bene veternoſam naturalem duritiam in infantilem carnem immutari ac molliri poſſe mōſtrares. In hoc vero negocio, quod inter partes, tempore præſente tractatur, vt quid à te talis commemorata eſt lectio? In qua non legitur aliquis illum leproſum Syrum vel iuſſione Heliſæi lauiſſe, vt merito denuo melius lauaretur. Quod & ſi fieret, nec ſic vobis occurreret, quod recte imitari poſſetis. Non enim legitur ille prius lauiſſe in fluminibus Syriæ, aut ab aliquo lotus eſſe, & nihil profeciſſe. Nā & ſi hoc legeretur, non ad Heliſæi laudē, qui non lauit, ſed conſiliū dedit, ſed ad Iordanis gloriā pertineret, illi homini in eo flumine primitiuā gratiā ꝑueniſſe, in quo poſtea ſub Ioanne per confeſſionē in pœnitētia populorū peccata fuerant moritura. Poſtremo, qualis eſt illa pars tractat⁹ tui de cœleſtibus, nuptiis, vbi ſpē amputās futurorū, totū in præſenti

tempore posuisti dicẽdo, à societate vestra proiectum esse eum, qui ianitores & ministros fefellerit vestros, vt à communione fidelium foras cum iniuria mitteretur. Si ita est, nihil est quod speret fides: Nihil, quod resurrectio repręsentet, nihil quod in cœlis amplius expectetur. Nihil quod rex ille & paterfamilias Deus, in suo conuiuio agnoscat, cum præsentia multorũ gaudeat, & de aliquorum absentia contristetur. Et multos dicat vocatos, & paucos electos. Nihil erit, quod irascatur vestem nuptialem nõ habenti, Cum filius Dei ipse Christus sit sponsus. Et vestis & tunica natans in aqua, quæ multos vestiat, & infinitos expectet, nec vestiendo deficiat. Sed ne quis dicat, temerè à me filium Dei vestem esse dictum, legat Apostolum dicentem, *Quotquot in nomine Christi baptizati estis, Christum induistis.* O tunica semper vna & innumerabilis, quę decenter vestiat, & omnes ætates & formas, nec in infantibus rugatur, nec in iuuenibus tẽditur, nec in fœminis immutatur. Aderit profecto ille dies, vt cœlestes nuptiæ incipiant celebrari. Illic qui baptisma singulare seruauerint, securi discumbent. Quicunque à vobis se rebaptizari consenserit, huiusmodi homini non denegatur resurrectio, Quia credidit in resurrectione carnis: resurget quidem, sed nudus. Sed quia nuptiali veste à vobis se expoliari permisit, hanc patrisfamilias auditurus est vocem, *Amice,* Hoc est dicere, *cognosce te, cum aliquando renunciaueras*

diabolo, & ad me conuersus fueras, Et dederam tibi vestem nuptialem? vt quid sic venisti non habens vestem nuptialem? Hoc est dicere, *Quare non habes, quod tibi dedi?* Nemo enim potest irasci non habenti rem, quæ data non sit: Vestem nuptialem inter istos acceperas, & solus non habes: Quare nudus & lugubris venisti? Quis tibi detraxit spolia? quas fraudulentas adisti fauces? Quot incurristi latrones? Quotquot tales vẽturi sunt, locum in illo conuiuio non habebunt.

LIBER SEXTVS.

INdubitanter & liquido demonstratum est, in diuinis Sacramentis quid nefarie feceritis. Iam illa ostẽdenda sunt, quæ crudeliter ac stulte vos fecisse, negare minime poteritis. Quid enim est tam sacrilegum, quam altaria Dei (in quibus & vos aliquando obtulistis) frangere, radere, remouere? In quibus vota populi, & membra Christi portata sunt: Quo Deus omnipotens inuocatus sit. Quo postulatus descendit spiritus sanctus: vnde à multis pignus salutis æternæ, & tutela fidei, & spes resurrectionis accepta est. Altaria, inquam, in quibus fraternitatis munera non iussit saluator poni, nisi quæ essent de pace cõdita. *Depone* inquit *mun⁹ tuũ ante altare, & prius concorda cum fratre tuo, vt possit pro te sacerdos offerre*. Quid est enim altare, nisi se-

des & corporis & ſanguinis Chriſti? Hęc omnia furor veſter aut raſit, aut fregit, aut remouit. Hoc igitur inexpiabile nefas, ſi de aliqua ratione deſcẽdit, vno modo fieri debuit. Sed, vt æſtimo, alio loco copia lignorum frãgi iuſſit alio vt altaria raderẽt lignorũ inopia, imperauit vt remouerentur: ex parte verecundia iuſſit: vbique tamen nefas eſt, dum tantæ rei manus ſacrilegas & impias intuliſtis. Quid perditorum conductã referam multitudinem, & vinum in mercedem ſceleris datum? Quod vt immundo ore ſacrilegis hauſtibus biberetur, calida de fragmentis altarium facta eſt. Si liuoris iudicio non vobis ſordidi videbamur, quid vobis fecerat Deus, qui illuc inuocari conſueuerat? Quid vos offenderat Chriſtus, cuius illic per certa momenta corpus & ſanguis habitabat? Quid vos offendiſtis etiam vos ipſi, vt illa altaria frangeretis, in quibus ante nos per longa temporum ſpacia, ſancte (vt arbitramini) obtuliſtis? Dum impie perſequimini manus noſtras illic, vbi corpus Chriſti habitabat, feriſtis & veſtras. Hoc modo Iudæos eſtis imitati. Illi iniecerunt manus Chriſto in cruce: à vobis percuſſus eſt in altari. Si Catholicos illic inſectari voluiſtis, vel veſtris illic antiquis oblationibus parceretis. Ibi modo ſuperbus inuentus es, vbi iam dudum humilis offerebas? Ibi libenter peccas, vbi pro multorum peccatis orare conſueueras. Hoc faciendo in numerum ſacrilegorum ſacerdotum libenter intraſtis,

ſociati ſceleribus prophanorũ. De quibus apud Dominum Helias propheta querelam deponit. His enim locutus eſt verbis,quibus & vos inter alios ab ipſo accuſari meruiſtis. *Domine*(inquit) *altaria tua confregerunt*. Dum dicit *tua*, indicat quia res eſt Dei, vbi Deo aliquid à quocunque oblatum eſt.Sufficeret inſaniæ veſtræ,quod mẽbra laniaſtis Eccleſiæ, quod Dei populos iam dudum in vnitate poſitos, veſtris ſeductionibus diuiſiſtis. Inter hæc omnia vel altaribus parceretis. Cur vota & deſideria hominum cum ipſis altaribus euertiſtis? Illàc ad aures Dei aſcendere populi ſolebat oratio. Cur concidiſtis precibus viam?& ne ad Deum ſupplicatio de more ſolito aſcenſum haberet: impia manu quodammodo ſcalas ſubducere laboraſtis? Et tamen cũ omnium veſtrum vna ſit coniuratio,in hoc titulo ſimili errore diſſimiliter deliquiſtis. Si ſuffecerat remouere,non licuit frangere: Si oportuit frangere,raſiſſe peccatum eſt. Si enim nõ licuit, ſicut inter vos placuit, recte videtur fregiſſe, qui fregerit:iam reus eſt, qui maiorem partem radendo ſeruauit.Quæ eſt iſta noua & ſtulta ſapientia, nouitatem quærere in viſceribus maieſtatis,& remota quaſi quadam corporis cute, in latente corpore cutem quaſi alteram quærere: Vnde cum aliquid fuerit ablatum, minui poteſt,mutari non poteſt. Raſiſti equidem quod tibi viſum eſt: ſed adhuc ibi eſt quod odiſti? Quid,quod ſi ſic coniuraſtis, vt quæ à nobis in

nomine Dei in ipſo myſterio tacta ſunt, immũda viderentur: Quis fidelium neſcit, in peragendis myſteriis ipſa ligna linteamine cooperiri? Inter ipſa Sacramenta velamen potuit tangi, non lignum. Aut ſi tactu poſſit penetrari velamen, ergo penetrantur & ligna. Si penetrari poſſunt ligna, penetratur & terra. Si à vobis lignum raditur, & terra, quæ ſubter eſt, fodiatur: Altam facite ſcrobem, dum pro veſtro arbitrio quæritis puritatem. Sed obſeruate: ne veniatis ad inferos, & illic inueniatis Core, Datan & Abiron ſchiſmaticos, magiſtros ſcilicet veſtros. Ergo & fregiſſe vos & raſiſſe conſtat altaria. Quid eſt, quod in hac re ſubito veſter quaſi languere viſus eſt furor? Videmus enim vos poſtea mutaſſe conſilium, & altaria à vobis iam non frangi, ſed radi tantummodo aut remoueri. Si hóc ſufficiebat, illa quæ prius facta ſunt iudicatis, quia fieri minime debuerunt à vobis. Hoc tamen immane facinus geminatum eſt, dum fregiſtis etiam calices, Chriſti ſanguinis portatores: Quorum ſpecies reuocaſtis in maſſas, mercem nefariis nundinis procurantes, ad quam nec emptores eligere voluiſtis ſacrilegi, dum inconſideratè vendidiſtis. Paſſi eſtis etiam comburi manus veſtras, quibus ante nos, eoſdem calices tractabatis. Eam rem tamen paſſim vendi iuſſiſtis. Emerunt forſitan in vſus ſuos ſordidæ mulieres. Emerunt Pagani, facturi vaſa, in quibus incenderent Idolis ſuis. O ſcelus nefarium! ô facinus inaudi-

tum! auferre Deo quod Idolis præstes. Subducere Christo, quod proficiat sacrilegio. Sed video vos hoc loco inuidiam nobis falso conflantes, ad Aggęum prophetam velle confugere, vbi scriptum est, *Quæ tetigerit pollutus, polluta sunt*. Liuore interueniente facile est iratis iactare conuitium. Sed semper dum intenditur crimen, necessaria est manifesta probatio. Quis enim nostrum intrauit templa? Quis vidit sacra sacrilega? pollui homines possunt fumis sacrilegis nidoribus , sacrificiis sanguine. Sed in hac causa quis ingressus est templum? Quis incendit idolis? Quis immundis nidoribus maculatus est? Quis sanguinem vel pecudis immundæ vel hominis, fundi aspexit? Quem probatis ad aliquod facinus commodasse consilium? In societate alicuius sceleris vel vnum Episcopum conuincite, si potestis, sicut supra diximus. In hac causa quicquid aspere fieri potuit, dum illa res in origine vocatur, ad principes vestros pertinere monstrauimus. Vnde est quod Catholicos quasi pollutos appellas? An quia voluntatem & iussionem Dei secuti sumus, amando pacem, communicādo toto orbi terrarum, sociati Orientalibus: Vbi secundum hominem suum natus est Christus, vbi eius sancta sunt impressa vestigia, vbi ambulauerunt adorandi pedes, vbi ab ipso factæ sunt tot & tantę virtutes: vbi eum sunt tot Apostoli comitati: vbi est septiformis Ecclesia: à qua vos concisos esse, non solum non doletis, sed

quodammodo gratulamini. Quia vnitatẽ Deo placitam amauimus pollutos vocas, quia Corinthiis, Galatis, Theſſalonicenſibus aſſenſum accommodauimus, communionémque coniunximus. Pollutos vocas, quia furtiuas vobiſcum nõ legimus lectiones, aut negate vos alienas lectiones legere, ſi poteſtis. Vt quid auderis Epiſtolas, ad Corinthios ſcriptas, legere, qui Corinthiis communicare noluiſtis? Vt quid ad Galatas, ad Theſſalonicenſes ſcripta recitatis, in quorum communione non eſtis? Cum hęc omnia ita eſſe conſtet, intelligite vos ab Eccleſia ſancta eſſe conciſos, & nos non eſſe pollutos. Vbi eſt ergo quod tibi putas Aggæum Prophetam poſſe ſuccurrere? Igitur altaria & vaſa ſupra memorata, & in manibus veſtris iamdudum fuerant & in noſtris. Si infamatis manus noſtras, quare illic damnatis & veſtras? Sed dicitis lectum eſſe, *Quod tetigerit pollutus, pollutum eſt*. Fac aliquem pollutũ eſſe, vt poſſint ab eo tacta videri polluta: eſto, ſolus tactus ſit, & non interueniat inuocatio nominis Dei, *Quę tetigerit pollutus, polluta ſunt*, inquinari poſſunt, ſi de Deo taceatur. Nam ſi ſit inuocatio nominis Dei, ipſa inuocatio ſanctificat & quod pollutum eſſe videbatur. Denique cum ducenta & quinquaginta thuribula, quæ ſacrilegorum & peccatorum manibus portabãtur, cum eoſdem peccatores abſorberet terra, remanſerunt de manibus eorum excuſſa thuribula. Et dum dubitaret Aaron ſanctus ſacerdos,

quid nam de his faceret, audiuit vocem Dei dicentis, *Tolle Aaron hæc vasa, & fac inde laminas, & pone in angulis arcæ testamenti. Quoniam licet illi peccauerint qui ea ferebant, tamen vasa illa sancta sunt: quia nomen meum illic inuocatum est, dicit De⁹. Et vtique plus est portare, quàm tangere.*

Ergo iam liquido apparet, ex inuocatione nominis Dei posse aliquid sanctificari, etiam si peccator inuocet Deum. Non enim tantam vim potest habere tactus, quantam habet diuini nominis inuocatio. Nam & vos, qui vobis de vestra sanctitate præsumitis, dicite, si tactus sanctificat aut inuocatio? vtique inuocatio, non tactus. Aut si de solo tactu præsumitis, tangite tabulam, lapidem, vestem: videamus an sancta esse possint, si de Deo taceatur. Iam illud quàm stultum, quàm vanum, quod ad voluntatem, & quasi ad dignitatem vestram reuocare voluistis, vt virgines Dei agerent pœnitentiam, vt iam dudum professæ, signa voluntatis capitibus, postea vobis iubentibus immutarent: vt mitrellas alias proiicerent, alias acciperent. Primo dicite vbi vobis aliquid de mitrella mandatum est? virginitas enim voluntatis res est, non necessitatis. Denique Stabularius ille Paulus Apostolus, cui confossus peccatorum vulneribus populus cōmendatus, duos denarios, quos erogaret, acceperat, duo scilicet testamenta: hæc per doctrinā quasi sumptus impendit: docuit quomodo coniugales Christiani debeant viuere: A quo cum

quere-

quæreretur quid de virginibus preciperet? Respondit sibi de virginibus nihil esse mandatum. confessus est, se duo testamenta, hoc est, duos denarios erogasse, explicati erant quodammodo sumptus. Sed quia qui saucium commendauerat, promiserat se redditurum, quicquid in curam amplius erogasset post impensos duos denarios: non præcepta, sed consilium erogat Paulus ad virginitatem, Nec impedimento est volũtati, nec nolentes impellit aut cogit. *Qui dederit* (inquit) *virginem suam, bene facit: & qui non dederit, melius facit.* Hæc sunt verba consilij: Nec vlla sunt præcepta coniuncta, vel de qua lana mitrella fieret, aut de qua purpura pingeretur. Non enim panno hoc potest virginitas adiuuari: Non enim inde compescuntur æstus animi, quos interdum etas accendit: Non inde subleuatur mens, quæ nonnunquam desideriorum ponderibus premitur. Nam si ita esset, non vna sed plurimæ virginis capiti imponerentur: vt quotiescunque animum carnis desideria pungerent, contra impugnationem mentis mitrellarum numerus dimicaret. Res inuenta est ad signum capitis, non ad remedium castitatis. Denique talis pannus & deturbari, & rodi, & perire potest: Et tamen virginitas, si inlæsa sit, sine mitrella tuta esse potest. Spiritale nubendi hoc genus est. in nuptias sponsi iam venerant voluntate & professione sua, & vt sæcularibus nuptiis se renunciasse monstrarent, spiritali sponso

ſoluerant crinem, iam cæleſtes celebrauerant nuptias. Quid eſt quod eas iterum crines ſoluere coëgiſtis? Quid (inquam) quod ab ipſis per vos exacta eſt profeſſio ſecunda? Quis eſt alter ſpiritalis ſponſus, cui iterum nuberent? Quando mortuus eſt, cui nupſerant, vt iterum nubant? Nudaſtis denuo capita iam velata: de quibus profeſſionis detraxiſtis indicia: quæ contra raptores aut petitores videntur inuenta. In mitrella indicium eſt voluntatis, non caſtitatis auxilium, vt rem iam Deo deuotam ne qui ſponſabat, perſeueret petere, aut ne raptor audeat violare ſignum eſt ergo, non Sacramentum. Inueniſtis igitur huiuſmodi virgines, quæ iam ſpiritaliter nupſerant: quaſi ſecundas coëgiſtis ad nuptias, vt crines iterum ſoluerent, imperaſtis. Hoc nec mulieres patiuntur, quæ carnaliter nubunt: Ex quibus ſi alicui maritum mutare contigerit, non repetitur illa temporalis feſtiuitas: Non in altum tollitur: Non populi frequentia procuratur. Detraxiſtis igitur non capitis ornamenta, ſed (vt ſupra diximus) bonæ voluntatis indicia. Iam conſecratas Deo aſperſiſtis immundis cineribus: crines iuſſiſtis, etiam ſalſa aqua perfundi.

Et vtinam vel id quod tuliſtis, velociter reuocare velletis. Interpoſuiſtis moras, vt retractę in priſtino habitu, aliquæ diutius remanerent, retractis ſignis, quibus ſe iam dudum contra petitores & raptores muniuerant. Qui cum viderent, præſcriptionem ſibi iam dudum oppoſitã,

à vobis esse sublatam, de sponsis raptores effecti sunt. Nec visus est sibi vnusquisque peccasse, dũ talem rapuit, qualem viderat, quando vt vxorem acciperet postulabat.

In hoc genere tanta damna fecistis Deo, quanta lucra diabolo procurastis. Conflastis impie calices, crudeliter fregistis, & inconsulte rasistis altaria: Puellas miseras non sine opprobrio, vt secundam mitrellam acciperent, coëgistis. Et illud prætermittere nequeo, quod nec Deo est placitum, nec à vestris cultoribus excusari, nec ab aliquo homine defendi potest. Per iudicia sæcularia & leges publicas, diuinæ legis instrumenta, executione officiorum à plurimis eripiéda esse dixistis, volentes soli habere, quod pax in communione possederat. Non vereor Christianus dicere, quod vobis postulantibus, Gentilis executio non potuit ignorare: velamina & instrumenta Dominica extorsistis, quæ iam dudũ fuerant in communione possessa. Extorsistis cum codicibus pallas: iudicio superbiæ vestræ vtraque arbitrati estis esse polluta. Nisi fallor, hæc purificare properastis: lauistis proculdubio pallas: Indicate quid de codicibus feceritis: in omnibus iudicium prouidentiæ vestrę debet esse æquale. Aut vtrunque laua, aut vtrunque dimitte. Quod si aliter facias, corrupisti: diligentiã tuam pallam lauas, codicem non lauas: Si in vna parte bonum, in altera malum est. non potes negare offendere in vna, si in altera promereris. Et

ſi gaudes, quod in vna videaris religioſus, debes & plangere: quia teneris in altera parte ſacrilegus. Iam illud quale eſt, quod in multis locis etiam parietes lauare voluiſtis, & incluſa ſpacia, ſalſa aqua & ſpargi pręcepiſtis. O aqua, quę dulcis à Deo creata es, ſuper quam ante ipſius natalem mundi ſanctus ſpiritus ferebatur! O aqua, quæ vt purum faceres orbem, lauiſti terram! O aqua, quæ ſub Moyſe, vt naturalem amaritudinem perderes, indulcata ligno, tot populorum pectora ſuauiſſimis hauſtibus ſaciaſti! Reſtabat tibi poſt promotionem non leuiter degradari. Pręſentia Moyſi in te amaritudo moritur, & à ſchiſmaticis hodie cum Catholicorũ turba dulcedo tua vexatur. Pares patimur bellum, pares expectamus vindicem Deum. Dicitę frater Parmeniane, quid vobis fecerat locus? quid ipſi parietes, vt iſta paterentur? An quia illic rogatus eſt deus? An quia illic laudatus eſt Chriſtus? An quia illic inuocatus eſt ſpiritus ſanctus? An quia vobis abſentibus illic Prophetæ & ſancta Euangelia recitata ſunt? An quia illic fratrum, iam dudum litigantium concordauerãt mentes? An quia vnitas Deo placita in qua habitabat, inuenerat domũ? Indicate, quid illic lauare potuiſtis? Si Catholicorum veſtigia: & in vico & in platea calcauimus, Quare nõ omnia emẽdatis? Nam & fouendorũ corporum cauſa, eadem nos & vos lauacra pariter abluerunt. Et ante vos frequenter noſtrorum loti ſunt multi. ſi poſt nos purifi-

canda putatis? omnia lauate, & aquā si potestis. Aut si vestigia (vt supra dixi) nostra esse vobis videntur polluta, sufficeret terra: quid & parietes lauare voluistis, in quibus humana non possunt poni vestigia? parietes non calcare, sed tantum videre potuimus. Si & quod tangit aspectus, lauandum esse censetis, cur cætera dimisistis inlota? Videmus tectum, videmus & cœlum, hęc à vobis lauari non possunt. si illa lauando promeriti estis Deum: Ista non lauando, inexpiabile videmini incurrisse peccatum. Cum igitur alibi quasi diligentes videri vultis, alibi negligentes estis inuenti: si tamen diligentia dicēda est stultitia, & (vt vero nomine appelletur) vanitas vestra. nisi forte quia hoc faciendo, in pauorem misistis populos imperitos, vt quia lota est colūna, lauarentur & corpora. Si in his rebus consilium latet, miseros subtiliter decepistis: Si talis res sine cōsilio gesta est, manifesta est vestra hebetudo. Hęc vos stulte fecisse, & à vobis seducti cognoscunt: Nec vos ipsi negare poteritis. Quid referam etiam illam impietatem de vestra coniuratione venientem, quia ad hoc Basilicas inuadere voluistis, vt vobis solis Cimiteria vindicetis, non permittentes sepeliri corpora Catholica, vt terrereatis viuos, male tractatis & mortuos, negantes funeribus locum. Si inter viuentes fuerat certamen, odia vestra vel mors aliena compescat. Iam tacet cum quo paulo ante litigabas. Quid insultas funeri? quid impetis sepul-

turam? quid cum mortuis litigas?perdidiſti malitię fructum. Et ſi corpora non vis in vnũ quieſcere,animas tamen in vno apud Deum poſitas, non poteris ſeparare.Omnia denique,quæ à vobis geruntur, ex toto narrari non poſſunt. Sed concedatur vobis, qui erroris huius magiſteriũ poſſidetis.Iam & de veſtris ſilere,quis poſſit de illis, ſcilicet,quos aut factione aut ſubtilitate, vt veſtros faceretis,ſeducere potuiſtis: non ſolum maſculi,ſed etiam fœminæ,ex ouibus ſubito facti ſunt vulpes,ex fidelibus perfidi, ex patientibus rabidi,ex pacificis litigantes, ex ſimplicibus ſeductores, ex verecundis impudentes, feroces ex mitibus, ex innocentibus malitiæ artifices, Poſt quod ad vos delapſi ſunt aut delapſæ, dolent alios ibi eſſe,vbi nati ſunt: Bene ſtantes in lapſus ſuos inuitant:Si ſcirent ſe gloriam conſecutos,fœlicitate ſua tacite fruerentur. Nunc autem perdit tranſitus ſuos conſolari cupientes, cæteros vt ſimiliter labantur, inuitant: Et reſidentes in ſinu matris Eccleſiæ, quaſi pigros & tardos accuſant.His enim verbis loqui non erubeſcunt,Cai Sei,Caia Seia,quãdiu te tenes?Hoc eſt dicere,iam meum debes ſequi errorem, iam debes deſerere veritatem. *Quandiu tu tenes*, hoc eſt dicere,imitare lapſus meos, imitare tranſitus turpes. *Quandiu fidelis vocearis? iam fidem deſere, iam pœnitentiam diſcę.* Vos eſtis aucupes, & illi aut illæ ſunt aues. Sed quia non eſt vnum aucupum genus:alij ſunt qui arte ſimplici, altis fun-

datas radicibus in faciem nemoris diffusas arbores petunt, vbi aues simplici volatu naturalibus ramis insidunt: Non illic numerantur fraudes, non artificiosa consilia: Ars vna est & sola capiendi. Illi vos aucupi similes dico, qui post discessum noctis, ante lucis aductum, non aliorum more naturales vadit ad arbores: sed ipse arborem portans, futurum nemus stringit in fascem, aridam arborem, nullis radicibus fultã, multiplici fraude componit. Cui adulterinos inserit ramos, & quæ suas iam dudum succisa perdiderat, alienas accipit frondes. Alias aues claussas portat in cauea viscerata, alias ad imaginem viuētium, olim extinctas, fallacibus ramis, quasi viuentes imponit. Aliæ latent in caueis: Aliæ quasi viuentes videntur in ramis. Iungitur vna geminata fraude calliditas, & vt decipi auium volantium simplicitas possit: quas mortuas esse constat, videntur tendere colla cum vocibus, & quę latent in carcere suo, quasi de gutture cãtant alieno. Inter alterius imaginem, & alterius vocem dolus vnus operatur. Captiuæ liberas capiunt, & mortuæ viuentes occidunt. Tales sunt, quos aut rebaptizatione, aut pœnitentia sociastis, ne soli aut solæ perisse videantur, alios vel alias secum perire, magno labore & studio contendunt.

LIBER SEPTIMVS.


Oſt Traditores oſtenſos, & ſanctã Eccleſiam demonſtratam: poſt repulſas quas ingerebatis calumnias: & poſt peccata veſtra, quæ à Deo increpari meruerunt: ordine ſuo, & ratio ſacramentorum, & pręſumptiones veſtræ, & errores oſtenſi ſunt. Iam reſponſorum dictorúmque noſtrorum finis eſſe debuerat: ſed quoniam poſt inuidiæ ſiluam ſecuribus veritatis abſciſſam, video adhuc veſtras, prouocationes pullulare poſſe, quibus poteſtis dicere, vos ad vnam communionem non oportuiſſe quæri: cum filios traditorum vos eſſe conſtiterit, ad ea pauca reſpondeam. Reuera ſufficiebat ſibi Eccleſia, habens innumerabiles populos in prouinciis vniuerſis. Sufficiebat & in Africa, licet in paucis: ſed Deo veſtra ſeparatio non placebat: quoniam diuulſa fuerant vnius corporis membra: & contra voluntatem Dei, fratres à fratribus errabatis: quamuis domeſticum iudicium in parentibus veſtris operatum ſit, vt vltrò recederent, qui pro admiſſa traditione abiici debuerant: nullum iudicium celebratum eſt, ſed ſententiæ eſt operatus effectus. Pellendi fuerant poſt traditionem, de qua ſibi in concilio Numidiæ confeſſi ſunt. Sed ne inuidiæ eſſent, excuſata eſt iudicandi ſeueritas, dum maiores veſtri vltrò inuenerunt de reatu conſilium vt cooperto crimine ſuo, quaſi ſuperbi diſcederent, quibus & dolere & erubeſcere debebatur. Illi namque ſi

illo tempore,bono pacis vnitatẽ facere debuerant,etiam & ipsi ab Ecclesia non fuerant repellendi,in quibus necessitas excusauerat voluntatẽ. Non enim aliqui illorũ sponte tradiderat,aut hoc peccatum cum cæteris delictis poterit coæquari. Quicquid enim Deus fieri noluit, ore suo prohibuit, quo modo dixit, Non occides, non mœchaberis &c. Potuit etiam hoc prohibere quod à parentibus vestris admissum est:sed quoniam aliud est quod facit animus, aliud est quod operatur euentus, quicquid de voluntate potest ab homine fieri, hoc meruit prohiberi, Quicquid necessitas peccat, non potest magnis viribus accusari: Denique voluntas habet pœnam,necessitas veniam homicida scelus, dũ nemo cogit potest & facere,potest & non facere: adulterium mœchus,dum de foris nemo cõpellit potest admittere,potest & nõ admittere, & cætera huiusmodi in quibus liberum habetur arbitrium.Ideo prohibita dum geruntur,iudicio destinantur nõ interdicta dum aliqua necessitate fiunt, fortè facile dignetur ignoscere, qui noluit prohibere.Denique hoc delictum ꝙ quasi capitale potuit obijci parentibus vestris, si illo in tempore nudarentur, aut in iudicium vocarentur,possent sibi exemplo non vno succurrere, vbi primis temporibus aut tabulæ legis fractæ, aut libri traditi esse leguntur vel incisi & incensi, & nemo damnatus est. Si (vt supra dixi)parentes vestri illo tempore nudarentur, si

accuſati potuiſſent,ſine dubio dicerent, ſe nihil amplius feciſſe à Moyſe legiſlatore,quamuis nõ ſibi ſimilent,ſed inter ſe repugnent neceſſitas & voluntas, cum eodem nomine legis parentum veſtrorum & Moyſi vna fuerit cauſa. Poſſent dicere parentes veſtri illud ſe de neceſſitate feciſſe, quod Moyſes prior fecerit de voluntate. Qui cum populo indignaretur, non conſiderauit, quia Deus digito ſuo ſcripſerat: Et plus eſt quod ſcriptum eſt in celo, quàm quod in terra: Et non eſt vnum quod fecit dei digitus,& quod ſcripſit calamus humana manu cõpoſitus. Moyſes ferebat, quod per nubem acceperat, & parentes veſtri tradiderũt quod data mercede con fecerant recte ſe parentes veſtri defenderent,docẽtes capitale crimen non eſſe,ſi id feciſſe vnuſquiſque eorum magno metu perterritus, quod Moÿſes feciſſet iratus: Et non legimus dominũ indignatum eſſe Moyſi, nec vindicaſſe confractas tabulas quas manu ſua perſcripſerat,nec peccator appellatus eſt, nec punitus. Sic lex à Deo perfecta eſt, vt aqua de fonte dilabitur, aut poma quæ de arbore ſalua radice carpuntur. Non perit quod erogatum eſt, ſi in origine ſua ſaluũ eſt. Denique Moyſes poſt tabulas ſparſam legẽ & cõminutam nõ damnati metuiſſet,Syna poſtea montem reuocatus aſcendit, & loqui cum Deo iterum meruit,& ſecundum legem innouatã accepit,quã ꝓdiit titulus libri ꝗ Greco vo-

cabulo Deuteronomos ſcribitur, Ecce nõ perit in lege,quod ſaluũ fuerat in origine,Sed ne cui videatur Moyſes habuiſſe meritum,vt de colloquio quandam apud deum fiduciã,& ideo Deũ non iratum eſſe,& hoc ſi ita eſſet ſemper amicitia meritum ſuum & fructum exigere debebat. Quare in eum poſtea vindicatum eſt, quod offendit,non vt oſtẽderetur leue fuiſſe illud,quod iratus admiſerat.Lex in deo ſana fuit & poſtquã ab homine cũ tabulis lapideis facta eſt deuotio quæ ab homine debebatur, vbi exhibita nõ eſt, Moyſes illa pœna meruit,vt medio itinere moreretur ne terram promiſſionis intraret: vnde conſtat non magnum peccatũ poſſe computari, quod in præceptis exemplo patuit impunè cõmitti.Hæc ſi à parentibus veſtris dicerẽtur,quis eis communionem negare potuiſſet? Quid ſi & illa conſequentia exempla proponerent,in quibus legitur,innouata lex cum haberetur in arca, & populus Iſrael in prælio vinceretur.Lex quæ in arca conſilio populorum in hoſtes allata eſt, quæ ab ipſis præſbiteris & cæteris filiis Iſrael defendi non potuit,& inimicis eſt tradita,dum minus eſt reportata tradita lege qui ad ferendam dixerant, fugerunt timidi, & non leguntur poſtea in vindicta aliquid paſſi.Si à parentibus veſtris hæc ratio redderetur, quis eos à communione ſua repellere potuiſſet? Quid ſi nec illa exempla tacuiſſent Principes veſtri?

quibus legitur Baruch librum legis quem ex ore Hieremiæ Prophetæ exceperat tradidisse scribę Iudin & à principibus Regis iussũ esse vt& ipse Baruch qui exceperat, & Hieremias per quem Deus locut⁹ erat fugerent & laterent, Hieremias dictabat, Baruch tradidit, fugerant ambo, ad Ioachim regem: liber allatus est, qui Rex cum ante se pro qualitate temporis frigidi aridam habuisset ardentem & librum à Iudin scriba recitatum non libenter audiuisset, subinde concisum minutatim ignibus imponebat. Et non iratus est Deus vel Hieremię qui fugerat, vel Baruch qui cum eo fugiens tradiderat, Quibus si Deus iratus esset, ad Prophetam aliquem alterum loqueretur, non ad alterum sed ad ipsum Hieremiam locutus est sic enim legitur, & factus est sermo domini ad Heremiam postquam combussit rex capitulum libri, & sermones quos scripsit Baruch ex ore Hieremiæ, dixit Deus ad Hieremiam, Accipe tibi chartam alterã & scribe omnes sermones tuos qui tunc erant scripti in libro quem combussit Ioachim rex Iudæ Ecce nec Deus iratus est, nec qui arcerat perit, nec Baruch punitus est, nec Hieremias à Deo contemptus est, vnde apparet, quod in hac re grauis nũquam fuerit culpa quam nunquam potuit sequi vindicta. Si hæc parentes vestri allegarent, quis illos à communione reuocare potuisset? Denique cum videret Deus & à Moyse legis tabulas fractas, & arcam hostibus derelictam & post tra

ditionem Baruch librum legis & incisum esse & combustum, indicauit prouidentiam suam, & promisit se legem iam non immutabilis scribere, nec in libris, sed in ipso interiori homine, hoc est, in mente & in corde vniuscuiusque credentis: Quomodo scripserat in corde Noë, Abrahæ, Isaac, & Iacob, & cæterorum Patriarcharum quos constat legitimè sine lege vixisse. Quã rem probat & Beatus Apostolus Paulus dicens, Scripta nõ attramento, sed spiritu Dei viui nõ in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carnalibus. Post legem à Moyse fractam & à filiis Israel hostibus derelictam, & offerente Baruch ad Ioachim regem, & concisam & incensam ante tempora Christiana, vbi postea melius scripturus erat, legem indicauit Deus per Prophetam dicẽs. Quoniam hoc est testamentum meum, quod disponam domui Israël & domui Iudę, & post dies illos dicit dominus, dans leges meas in corda eorum & in mentibus eorum scribam eas. Promisit hoc iam dudum & proximè reddidit temporibus christianis. Ergo iam secundo loco est charta, secundo loco membranæ. Si à Deo lex ibi scripta est vnde tradi non possit, vt parentes vestri qui iam in trinitate crediderãt, quamuis libros tradiderint, nec corda nec mentes tradiderint suas in quibus Deus legẽ suam scripsit, sicuti se scripturum esse promiserat. Vbi est ergo frater Parmeniane quod dixisti penitus exustam à Traditoribus legem? Ecce nec penitus

exusta est,nec ex toto sublata,dũ & in cordibus credentium manet,& librorum milia vbique recitantur, vndè apparet te parentes tuos quamuis per ignorantiam frustra accusare voluisse. Igitur si parentes vestri ad tempora vnitatis occurrerẽt tot exemplis rationabiliter redditis, & ipsi à cõmunione repelli nõ possent,quantò vos quos constat nõ traditores esse, sed filios traditorum, cum patrum & filiorum & personæ discernantur & nomina, inter quas personas si nõ sit cõmunis culpa,non potest vna esse sententia: Quamquam & si illorũ vnitas fieret ad Ecclesiã catholicam sponte venirent: non sicut vos, quos non sine volũtate Dei adiutos esse cõstat, vt rediretis vnde errraueratis(quãuis adhuc erretis)si ad catholicã(vt dixi)spõte venissent, quia traditores fuerunt. De talibus recipiẽdis dubitarẽt forsitã nostri maiores,sed nobis lętandũ est, ꝙ tales vsque ad nostra tẽpora minimè durauerunt. Ergo hodie negotiũ nouum est, dum vobiscum res non cum illis agenda est? Quamuis ab ipsis ad vos videatur hæreditaria macula esse trãsmissa:tamẽ in hoc titulo nõ potestis rei esse cum patribus vestris, secundum iudicium Dei, qui locutus est per Ezechielem Prophetam dicẽs: Anima patris mea est:& anima filij mea est. Anima quæ peccat,sola punietur. Quæ res iam & antiquis seculis in ipsis natalibus mundi cõprobata est, nam non pertinuit ad Seth filiũ Adæ,patris admissum. Sed ne quis dicat alio loco

ſcriptũ eſſe,dicente Domino,mala patrum vſq; in quartã progeniem redditurũ:Illius ſunt proculdubio ambæ voces:ſed nõ ad vnum populũ ſonat vtraque.Prima eſt per Moyſen ad certum genus hominũ.Secunda per Ezechielẽ ad alterũ genꝰ hominũ.Sed cũ ſciret Deꝰ Iudęos apud Pontiũ Pilatum profeſſuros, vt dicerẽt:Sanguis huius ſuper nos,& ſuper filios noſtros: de præſcientia Deus vidit pro magnitudine culpæ parum fuiſſe quod dicturi erant. Et vt competẽtibus pœnis lueretur offenſio, ipſis Iudæis cõminatus eſt,dicens ſe mala patrum vſque in quartã progeniem redditurum. Ergo hæc vox ad ſolos Iudæos ſpecialiter pertinet.Cæterũ,illa ad Chriſtianos,qua Deus dignatus eſt promittere non vindicare in filios,ſiquid peccatur à patribꝰ,nec in patribus ſi quid à filiis forſitam delinquatur. Cũ & tẽporibus Moyſi ſine cuiuſquã pœna lex iterata ſit,& arca teſtamẽti ab hoſtibus vltro ſit reddita,& ab Hieremia Deo præcipiente charta ſit altera ſcripta , Quare putatur apud maiores veſtros ſolos capitale fuiſſe peccatum , in quo per tot exẽpla nemo damnatus eſt . Nam ſi lex ideo data eſt vt homines docerentur , nõ vt ipſa lex quaſi ꝓ Deo coleretur, poſt factũ patrũ veſtrorũ nullũ dãnum paſſa eſt turba credentiũ vnuſquiſque eorum ſub metu codices ſuos perdidit.Nam lex quæ neceſſaria fuerat,valet apud doctores populorũ & cultores Dei.Bibliothecę refertæ ſunt libris, nihil deeſt Eccleſiæ,per loca

ſingula diuinum ſonat vbique pręconium, Non ſilent ora lectorum, Manus omnium codicibus plenæ ſunt, Nihil deeſt populis doceri cupientibus, quamuis lex nō magis pro doctrina quam pro futuro iudicio ſcripta eſſe videatur : vt ſciat peccator, quid pati poſſit, ſi minus iuſtè vixerit. Denique ſcriptum eſt & legitur, Quod iuſtis lex data nō ſit, quia vnuſquiſque iuſtus ipſe ſibi lex eſt. Et alio loco idem Beatus Apoſtolus Paulus dicit, quia lex non facit iuſtos, ſed ipſa amat iuſtitiam. Semper in omnibus rebus efficientibus effecta quæruntur. Vacat lex quæ efficit, ſi per compendium paratum eſt, quod efficitur. Denique Abrahæ non dictum eſt, Crede, ſed vltro credidit, in quo ſine lege, legis effect⁹ impletus eſt. Non legitur audiuit Abraham legem & credidit, ſed legitur: Credidit Abraham Deo & reputatum eſt illi ad iuſticiam. & primis temporibus Noë patriarcha nihil legit, vnde iuſtus fieret, & iuſtus electus eſt, qui fabricata arca feliciter in diluuio nauigaret. Longum eſt ire per ſingulos qui ſine lege inuenti ſunt iuſti. Hæc ſi à veſtris parentibus ſuo tēpore dicerentur quis eos à communione ſua repelleret? Qui ſi dicerent, non debere ſilentio præteriri quod Apoſtolus de extralegalibus ait, gentes legem neſciunt, ea quæ legis ſunt, faciunt, habent enim legem ſcriptam in cordibus ſuis. Nam & multi probantur in lege peccaſſe, & multi bene ſine lege vixiſſe. Lex & homo duæ res ſunt, ſed pares eſſe non

poſſunt. Non enim homo factus eſt propter legem, ſed lex data eſt propter homines. Nuſquā video damnum illatum Deo, dum & origo legis apud eum manet & poſtquam ſcriptura veſtris parentibus tradita eſſe dicitur, nihil deeſt, omnia membra legis ſana ſunt, ſalua ſunt, Recitantur, Nihil minus eſt de lege & docere, & docere cupientibus. An illud erat magis neceſſariū vt occideretur homo, ne ſcriptura aliqua traderetur. Quid quod nec homines occiſi ſunt, & omnes ſcripturæ non deſunt. Non eſt vnum lex & Deus. Si pro Deo moriendū fuerat, qui & reſuſcitare mortuos, & reddere præmium poteſt, liber non traditus de duobus his nec alterum poteſt. Impedit igitur neceſſitas vires ſuas. Non minus videmus negligentiam frequenter operari, quam neceſſitas operata eſt. Nā ſi membranæ aut libris, quibus ſcriptura legitima continetur in totum debet illæſa ſeruari, quaſi non damnantur aliqui negligentes, non eſt longe tradere à male ponere, aut male ferre, alter in domo librum poſuit, quæ domus incendio concremata eſt: damnetur qui negligenter poſuit, ſi damnandus eſt, qui poſtulādum librum territus dedit: damnentur etiam illi qui neglectas membranas aut libros ita poſuerunt, vt eos domeſticæ beſtiolę, hoc eſt mures ita corroſerint, vt legi nō poſſit. Dānatur & ille qui ita in domo poſuit vt nimietate pluuiarum ſic tecta aliqua ſtillicidia deliquarēt, vt omnia humore obliterata legi nō

poſſint damnentur, Et illi qui ferentes libros legis temerari ſe rapacibus vndis fluminum crędiderunt, & ſe liberari cupiẽtes ſcriptura in vndis è ſuis manibus dimiſerunt. Ergo ſi ſcriptura vna eſt, & hanc qui ſeruare non potuit reus eſt, alter vndis tradidit, alter roſoribus beſtiis dereliquit, alius ſtillicidio corrumpenda neglexit, alter metù mortis territus homo homini dedit, ſi vnum eſt, quod ab hominibus admittitur: Quare eligitur, qui damnetur, cum leuior culpa ſit traditoris quàm negligentis, qui ante mures poſuit aut ſub ſtillicidio reliquit, voluntate negligens fuit, & qui in fluuio perdidit, de temeritate peccauit, qui metu mortis aliquid tradidit, homo homini dedit, integrum erat apud dantem, integrũ apud accipientem. Si quis accipit, flammis tradidit, peccatum magis accẽdentis eſt non tradentis. Hæc ſi à maioribus veſtris dicerentur, quando illos repellere à noſtra communione poſſemus. Si etiam Antiochi Regis tempora commemorare voluiſſent, quibus omnes Iudæi coacti ſunt vt libros in incendium darent, & ita vniuerſa ſcriptura data eſt, vt apex vn⁹ in aliquo libro minimè remanſiſſet. De Iudęis illo tẽpore nemo dãnatus eſt, nec à Deo vel ab aliquo angelo in quẽquam Iudæum eſt vlla dicta ſententia, quia peccatum fuerat imperantis & minantis, non populi cum tremore & dolore tradentis. Qui Antioch⁹ ne aliquid primitiuo populo nocuiſſe videretur, ſtatim prouidit deus, vt per vnũ hominem Heſdam qui lector eodem tempore

dicebatur tota lex ſicut antea fuerat ad apicē di
ctaretur. Sic Tyrānus Antioch⁹ fructū maligni-
tatis ſuæ habere non potuit, dum præter ſeptem
fratres & vnū ſeniorem carnem ſuillam mandu-
care detrectantes, nullum Iudæū occidit, & lex
perire non potuit. Sic & parentes veſtri tempo-
re ſuo nec ipſi occiſi ſunt, & libri legis domini-
cæ toti vbique recitantur. Si parentes veſtri vt
ſuprà dixi hæc dicerent, quis illos in ſuam com-
munionem non intrepide accepiſſet, vbi, vt di-
ctum eſt, peccauerat neceſſitas non voluntas:
Temporibus vnitatis, principes veſtri qui pro-
bantur iſta feciſſe, iam è viuis exceſſerunt, vo-
bis hæreditariam maculam relinquentes, quam
ptius, Deus à vobis prouidentia ſua ſic diluit,
dum inter patres & filios (ſicut ſupra diximus)
ſeparauit. Igitur quia tradere peccatum eſt, vi-
deant parentes veſtri, quid in iudicio Dei reſpō-
deāt: veſtrū tamē (qui ab aliis tēporib⁹ eſtis) pec
catū eſſe nō poteſt. Inde eſt ꝙ vos iā dudū in cō
munionē noſtrā voluim⁹ recipere, quia vos illo
tēpore nō peccaſtis, ſed principes veſtri. Nā pec
cator talis quales fuerūt veſtri maiores, ſi ad Ec-
cleſiā veniat, & neceſſitatis ſuæ rationē oſtēdat,
primo recipiēd⁹ eſt, deinde ſuſtinēdus pio ſinu
matris Eccleſiæ. Nec quaſi ex toto ſanct⁹ debet
quis de altero iudicare: q a ſcriptum eſt in euāge
lio, Chriſto dicēte: Nolite iudicare, ne iudicetur
de vobis: maximè cū nemo ex toto ſāct⁹ poterit
inueniri. Nā ſi ſūt q poſſint nō habere peccatū,
mētiuntur in oratione dñica, ſi ſine cauſa indul-

gentiam poſtulant, dicentes Deo patri: Dimitte nobis peccata, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris: cum Ioannes Apoſtolus, & omnium conſcientias prodat, & ſuam deſignet his verbis. Si dixerimus, inquit, quoniam peccatum nō habemus, nos ipſos decipimus, & veritas in nobis non eſt. Cuius dicti rationē in quarto libro manifeſtius explanauimus. Sed fac & aliquos eſſe tota ſanctitate perfectos, non licet vt ſint ſine fratribus, qui ne repellātur, euangelica pręcepta declamantes, ſcriptura muniūtur. Ager eſt enim tot' orbis, in quo eſt eccleſia, & ſeminator Chriſtus, qui præcepta dat ſalutaria. E contrario, homo eſt malus, id eſt diabolus, qui non in luce, ſed per tenebras ſeminat importuna peccata: & in vno agro naſcūtur diuerſa ſemina: ſicut in eccleſia non eſt ſimilis ſibi turba animarum. Ager ſuſcipit ſemina bona vel mala. Eſt diuerſitas ſeminum, ſed creator vnus omnium eſt animarum. Vnus domini ager, vbi nata ſunt zizania. Duo ſunt auctores ſeminum: ſed ager vnum dominum habet: ipſum Deum dominum. Illius eſt terra: illi' ſunt bona ſemina: illi' eſt pluuia. Ideo vos adductos recipere in vnitate conſenſimus: quia nobis, non licet vel ſeparare, vel repellere: quamuis peccatores in vno agro nobiſcum natos, quia in vna pluuia, hoc eſt in baptiſmate nutritos: quomodo non licuit Apoſtolis de tritico zizania ſeparare: quia ſeparatio ſine exterminio fieri non poteſt: nedum euellitur quod opus nō

eſt, conculcetur quod opus eſt. Pariter iuſſit Chriſtus in agro ſuo per totum orbem terrarū, in quo eſt vna eccleſia, & ſemina ſua creſcere: & aliena poſt crementa communia, venturus eſt iudicij dies, qui meſſis eſt animarū, ſedebit iudex filius Dei, qui agnoſcit quid eſt ſuum, & quid alienum. Illius erit eligere quid condat in horreo, & quid tradat incēdio: quos ad intermi nata tormenta deſtinet: & quibus promiſſa præmia repræſentet. Agnoſcamus nos omnes homines eſſe. Nemo ſibi vſurpet diuini iudicij poteſtatem. Nam ſi ſibi totum vindicet quiuis epiſcopus, dicatur: quid in iudicio acturus eſt Chriſtus? Satis ſit homini, ſi de peccato ſuo reus non ſit, quàm vt de alieno iudex eſſe deſideret. Profeſſio denique noſtra eſt non ſolum vos non repellere, ſed etiam parentes veſtros ſi eorum temporibus contingeret & vnitas fieret, bonū pacis nō repellere. Nefas eſt enim, vt Epiſcopi faciamus ꝙ Apoſtoli nō fecerunt, qui permiſſi non ſunt vel ſemina ſeparare, vel de tritico zizania euellere. Quod ſi de recipiēdis vobis catholica dubitaret, nonne vos debuiſtis vnitatis adſequi formam? Sed exempla in Euāgelio lecta proponere noluiſtis: vt eſt lectio de perſona beatiſſimi Petri: ex qua, forma vnitatis retinēdæ vel faciēdæ deſcripta recitatur. Equidem malum eſt contra interdictum aliquid facere: ſed peius eſt vnitatem non habere cum poſſis. Quam vnitatem, ipſum Chriſtum videmus præpoſuiſſe vin-

dictæ ſuæ, qui magis omnes diſcipulos ſuos voluit in vno eſſe, quàm quòd offenſus fuerat vindicare: dū nollet ſe negare, promiſit ſe apud patrē negaturū eſſe, qui ſe negaret apud homines, Et tamē nō ſe ꝓmiſit puniturū ſcripturā aliquā q̃ tradidiſſet. Grauius eſt enī negare eū qui locutus ſit quā tradidiſſe verba quæ locut⁹ ſit. Et cū hæc ita ſcripta ſunt, tamē bono vnitatis B. Petr⁹, cui ſatis erat ſi poſt ꝙ negauit, ſolā veniam cōſequeretur. Et præferri Apoſtolis omnib⁹ meruit, & claues regni cœlorū cōmunicādas cæteris, ſolus accepit. Bono vnitatis, ſepeliēda eſſe peccata hinc intelligi datur, ꝙ beatiſſimus Paul⁹ Apoſtolus dicat charitatē poſſe obſtruere multitudinē peccatorū: Onera veſtra, inquit, inuicē ſuſtinete. Ecce alio loco ait. Charitas inq̃t magnanimis eſt: charitas benigna eſt: charitas nō zelatur: charitas nō inflatur: nō quærit quæ ſua ſunt. Et benè dixit. Hæc enim omnia viderat in Apoſtolis cæteris, q̃ bono vnitatis, per charitatē noluerunt à cōmunione Petri recedere, ei⁹ ſcilicet qui negaueratChriſtū. Quod ſi maior eſſet amor innocētiæ, quàm vtilitas pacis & vnitatis, dicerēt ſe nō debere cōmunicare, vt ſuprà dictū eſt, beatiſſimo Petro, qui negauerat magiſtrū, & Dei filiū Dominū. Poſsēt nō cōmunicare (vt ſupra dictū eſt) beatiſſimo Petro: poſſent cōtra illū recitare verba Chriſti, qui promiſerat negaturū ſe eſſe apud patrem, eum qui ſe corā hominibus denegaſſet. Ad quam formam debet diligenter at-

tendit de qua dum pauca commemoro, ipsius sancti Petri beatitudo veniam tribuat. Si illud commemorare videor quod factum constat & legitur, dubito dicere peccasse tantam sanctitatem, sed ipse hoc factum probat, qui & doluit amarè, & fleuit vbertim, qui nec doleret nec fleret, si nulla interuenisset offensio. Potuit vtique caput Apostolorum ita se gubernare, vt nihil incurreret quod doleret: sed ideo in vno titulo eius multa videntur errata, vt possit ostendi bono vnitatis omnia debere Deo seruari. Et nescio an in altero hoc genus peccati, tanti ponderis esse possit, quanto in beato Petro fuisse manifestum est. Quisquis enim fortè in aliqua persecutione negauit filium Dei, in comparatione beati Petri videtur leuius deliquisse si negauit quem non vidit, si negauit quem non agnouit: si negauit cui nihil promisit: si semel negauit. Nam in beato Petro hoc genus peccati dilatatum est: primò quod cum interrogaret Christus omnes quẽ se homines dicerẽt, vn⁹ dixit Heliã: alter dixit prophetã. Tunc Christus dixisse legitur: Vos quẽ me dicitis esse? Et ait illi Petrus. Tu es filius Dei viui. Pro qua agnitione laudari ab eo meruit quod instinctu Dei patris hoc dixerit. Et cæteris nõ agnoscẽtibus filiũ Dei, solus Petrus agnouit. Deinde sub die passionis, cum diceret Christus: ecce teneor & fugietis omnes: tacẽtibus cæteris, solus se promisit non recessurũ: de præscientia filius Dei ait: Petre, antequàm gallus cantet, ter

me negabis. Additũ eſt aliud ad pondus peccati, promiſſum ſcilicet quod non erat impleturus: poſtea quàm in domum Caiphæ ſacerdotis ductus eſt Chriſtus, ad menſuram delicti complendam, de tanto numero nullus alius interrogatur præter beatum Petrum. Interrogatus primò negat: interrogatus iterum negat: tertio dixit ſe Chriſtũ omninò non noſſe. Et cãtauit gallus: nõ vt tẽpora cantu ſuo diſtingueret, ſed vt peccaſſe ſe beat⁹ Petrus agnoſceret. Denique doluit amarè, & fleuit vbertim. Ecce, vt ſupra dictum eſt. cæteris non agnoſcentibus, ſolus agnouit: cæteris non promittentibus, ſolus promiſit: ceteris nec ſemel negantibus, ter ſolus negauit. Et tamẽ bono vnitatis, de numero Apoſtolorum ſeparari non meruit. Vnde intelligitur omnia ordinata eſſe prouidentia ſaluatoris, vt ipſe acciperet claues. Interclusa eſt malitiæ via, ne Apoſtoli animo licentiam iudicandi conciperent & ſeuerè contemnerent eum qui negauerat, Chriſtum. Stant toti innocẽtes, & peccator accipit claues, vt vnitatis negotium formaretur. Prouiſum eſt vt peccator aperiret innocentibus, ne innocentes clauderent contra peccatores: & quæ neceſſaria eſt vnitas, eſſe non poſſet. hęc ſi commemoraretis, communicare cupientes, quando vos catholica pio ſinu ſuſcipere dubitaret Eccleſia? cũ conſtet vos non Traditores eſſe, ſed filios Traditorũ? Nam aliqui ex vobis volentes nos populis ſuis contẽnendos oſtendere, & iam illud miſ-

cent tractatibus suis quod à Salomone Propheta dictum est. Muscæ moriturę exterminant olei suauitaté:& quasi muscas morituras nos appellant:& oleum nominát, illum scilicet liquorem, qui ex nomine Christi conditur : quod chrisma postquam conditum est nominatur. Antequam fiat, adhuc oleum est: natura simplex sit,& suaue est, dum de nomine Christi conditur. Ergo tres res sunt quas Salomon propheta nominauit : oleum, suauitatem, & muscas morituras exterminantes suauitatem. Istæ tres, loca sua habent in ordine. Primo loco est oleum :secundo suauitas de confectione : tertio, muscæ morientes exterminantes suauitatem. Quisquis est talis tractator ex vobis, probet quomodo nos muscas morituras appellat. Si apud vos putatis esse confectionem quæ det oleo suauitatem::est apud vos oleum & suauitas. Nunquid nos exterminamus oleum vestrum, vt meritò nos muscas morituras appelletis? Quod vestrum est, apud vos est. Et si à vobis ad nos aliquis transitum fecerit: sic à nobis seruatur, quomodo à vobis dimittitur: quomodo dicitis quia nos sumus muscæ morituræ suauitatem olei corrumpentes, cum post vos nihil tale facimus? Aut si à nobis dicitis suauitatem olei corrumpi posse : aut possumus aliquid, & damus oleo suauitatem. Aut si non, vt vultis, nihil possumus : remansit oleum tale esse, quale & natum est. Quomodo dicitis quia nos sumus muscæ morituræ, corrumpentes sua-

uitatem olei? Igitur oleum antequam à nobis conficiatur,tale est quale natum est:confectum, suauitatem ex nomine Christi accipere potest. Quomodo possumus vno facto & conficere,& corrumpere? Restat vt si oleum de se suaue sit, vacet quod agitur ab hominibus, si ab homine in nomine Christi conficiatur,non potest idem operarius duas res repugnantes & contrarias simul facere. Vobis absentibus si conficimus,non corrumpimus. Si corrumpimus, quis ante nos confecerat quod corrumperemus? Quare, ne vacet dictio prophetæ (si ita est) intelligite quia vos estis muscæ morituræ. Vos enim exterminastis nõ quod natum est, sed quod confectũ est, suauitas enim legitur nõ natura posse corrumpi. Oleum enim simplex est,& nomen suum vnum & proprium habet:confectum iam chrisma vocatur,in quo est suauitas, quæ cutem conscientiæ mollit,exclusa duritia peccatorum: quæ animum innouat lenem:quæ sedem Spiritui sancto parat,vt inuitatus illic,asperitate fugata, libẽter inhabitare dignetur. Hæc est suauitas olei,quam possunt muscæ morituræ corrumpere. Si nos exterminaremus à vobis cõfectum oleum, meritò nos muscas morituras appellare possetis: sed dũ quod à vobis vnctum est, tale seruamus, quale suscipimus:muscæ morituræ esse non possumus. Sed dum vos inuidiæ tẽpestatibus impulsi,quasi in oleum caditis. Vos exterminastis in rebaptizatione suauitatẽ olei illi⁹ quod in nomine Chri-

ſti confectum eſt,vnde condîrētur mores: vnde incenderetur lumen mentis,ad ſalutarem & veram intelligentiam. Vos exterminaſtis rem vbi oleum fuit & ſuauitas.Nos quomodo potuimus corrūpere ſuauitatem, quæ ante nos à nullo cōfecta eſt?Seduxiſtis homines: rebaptizaſtis:iterū vnxiſtis. Proh dolor! non ſine morte veſtra, exterminaſtis quod fuerat de nomine Chriſti confectum,more muſcarum,quę pereuntes extermi nant:quia mors eſt peccatum, quod non habet indulgentiam.Scriptum eſt quia qui peccauerit in Spiritum ſanctum,non remittetur ei, nec hîc, nec in futuro ſæculo.Ergo cū & falſo nos muſcas appelletis,& omnia quæ à nobis fiunt,diſſol uere properetis,& nos contemnendos aut deſpiciendos eſſe dicatis,vobis ſolis ſanctitatē vindicantes:innocentiam proponitis veſtrā,vt promittatis vos aliena poſſe donare peccata.†Videtis igitur non de nobis,vt diſputatis,ſed de vobis dixiſſe beatiſſimum Paulum Apoſtolū:erunt inquit,homines ſeipſos amantes,cupidi,gloriantes ſibi,ſuperbi,blaſphemi, parentibus nō obedientes,ingrati,ſceleſti,pacem non cuſtodiētes, ſine affectu,detractores,immites, ſine benignitate,& cætera.Nam illud quale eſt,quod pro arbitrio tuo Moyſi vobis imponere voluiſti perſo nam:contra quem Iamnem & Mambrem obſtitiſſe commemorat ApoſtolusPaulus.Si ita eſt, quæ apud vos veritas inueniri poteſt, cui catholica videtur obſiſtere? Aut quod apud nos eſſe

† vides.

mendacium poteris approbare, in vna cómmunione esse cum toto orbe terrarum? Nunquid poteris approbare mendacium, symbolum verũ & vnicum retinere & defendere? Nunquid poteris approbare mendacium cathedram Petri & claues regni cœlorum à Christo concessas, vbi est nostra societas? Nunquid poteris approbare mẽdacium in ipsa lectione quæ commemorasti inter ipsas personas? Considera ordinẽ rerum: & qui fuerit prior attende. Vtique Iãnes & Mambres secundo loco sunt, qui contra Moysem & veritatem falsis artibus militare voluerũt: & antecesserat Moyses, cuius virtutes impugnare frustrà conati sunt. Vt Moyses prior est, sic catholica prior est. Vt Iamnes & Mambres repugnantes obstiterunt: sic & vos rebelles cõtra veram catholicam militatis. Quid est ergo quòd nomina & nobis & vobis mutare voluistis, nisi vt te sociis tuis comparares ęqualem? Sunt enim aliqui ex vobis qui obliti aut ignari præteritorum temporum, eos iamdudũ qui de catholica lapsi Maiorinum ordinauerũt: illi scilicet auctores schismatis & traditionis. Cũ adhuc retinerẽt pacem antequam exterminarent Deo placitam vnitatem, fuerunt lumen mundi, & sal terræ meritò appellabantur. Dum docerẽt pacem, adhuc pacifici vocabantur. Antequã inflati essent, beati erant. De paupertate spiritus, pars erant condimenti. Beati erant, dum mites, pars fuerant cõdimenti. Beati dum iusti, pars erant condimenti.

Beati dum pacifici,totũ fuerant condimentum. Poſtea quàm erroris diuitias dederũt ſpiritui & pulmonibus ſuis,faciẽtes ſchiſma,immites inuẽti ſunt:& minus miſericordes dum impiè membra Eccleſiæ diuiſerunt:& iniuſtitiam ſecuti,regnum Dei pro faſtidio habuerũt: Et diuidendo Eccleſiam noluerunt eſſe pacifici, ipſi facti ſunt ſal infatuatũ,ex quo nihil cõdîretur, quod Deo de ſuauitate placuiſſet. Et cum hoc malum pertineat ad principes veſtros, à quibuſdam ſociis tuis aliter diſputatur, vt dicant inſipientes fuiſſe eos qui agnouerint vel ſero veritatem, & ab ſchiſmate recedẽtes,agnita matre catholica ſecuti ſunt pacem.Hos putant aliqui veſtrûm errasſe:hos exiſtimant quaſi infatuatos à ſapientia receſſiſſe.Vnde apparet vos omnes eodem modo errare in nominibus transferendis : dum & tu Iamnem & Mambrem pacificis catholicis comparaſti.Et vos ſchiſmaticos Moyſi quod à veritate alienum eſt:& aliqui ſocij tui inſipiẽtes, de ſapientibus iudicare voluerunt,vt dicant fatuos factos eſſe pacificos: & parentes ſuos de diſſenſione infatuatos eſſe,intelligere noluerunt.

ANNOTATIONES IN PRIMVM LIBRVM Optati Mileuitani,

Ex Fr. Balduini I.c. Commentariis rerum Ecclesiasticarum.

VT Donatum Carthaginensem Antistitem Donatistarum multa scripsisse ad suam hæresin pertinentia testatur Hieronymus in catal. & eodem tempore Vitellium Afrum eius factionis acerrimum defensorem fuisse scribit Gennadius: sic & Parmenianus, qui illi Donato successit, suam sectam multis libellis armauit. Interea tamen nescio quomodo Catholici in Africa propè muti erant: certè libellos suos non opponebant. Sed tandem in Numidia Optatus Episcopus Mileuitanus cepit respondere. Ac quidem existimaui aliquãdo hosce Optati contra Parmenianum libros scriptos fuisse, contra eam Parmeniani ad Tyronium Epistolam, aduersus quam & Augustinus deinde libros tres scripsit. Sed vbi propiùs singula contuli, facilè animaduerti aliud quoddam Parmenianici scripti genus fuisse, quod refellit Optatus, & Tractatum appellat. Fuit tamen semper eadem disputatio. Nam & Donatistis hoc proprium fuit, vt eãdem sæpiùs cantilenam canerent, sicuti & Augustinus scribit eos eadem per eadem sæpè dixisse,

repetijsse, inculcasse. Porrò cùm Veterum, præsertim Afrorum, libri latinè scripti, multis librariorū mendis contaminati sint, vix vllum puto vnquam fuisse magis deprauatum, quàm hūc Optati libellum. Nam & ipsi Donatistæ statim atque editus fuit, eum corruperunt, & vt erant impudentes, discerptum inquinarunt: & barbara librariorū posteritas multis maculis propè oppreßit. Itaque & multis seculis tanquam in sepulchro delituit, & cùm in lucem eum protulit Cochlei editio Germanica, plura menda fuerunt quàm versus. Ego in priori editione Parisiensi operam dedi adiutus collatione exemplaris manuscripti, quod mihi communicauerat Espensæus Theologus, vt sexcentos saltem locos emēdarem. Nunc non multò pauciores emendabit altera hæc editio, duobus manuscriptis siue chirographis exemplaribus subnixa: quorum alterum Io. Tilio Episcopo Meldensi, alterum Macereo Theologo Parisiensi debemus. Multum tamen abest, vt dicam Optatum nunc tandem in integrum planè esse restitutum. Imò feci, vt lacunarum notæ indicarent, aliquot locos superesse etiamnum mutilos. Illud porrò semel prædicendum est, vsum esse Optatum scripturæ sacræ translatione non omninò castigata: saltem longè alia, quàm fuerit illa, qua vel Tertullianus, vel Cyprianus, vel Arnobius, vel Augustinus in eadem Africa vsi sint. Sed profiteor me eius correctionem minimè suscepisse, qui si poßim plerósq; Optati locos à librario iam olim corruptos emendare, officio meo functum nunc esse me putabo. Neque tamen nunc ambitiosè annotabo & indicabo quid in eo genere præstiterim.

præstiterim. Nam & putida est talium λεπτολογημάτων *ostentatio: neque iuuat (vt dicitur) in mustaceo laureolam quærere. Ecce, paulò pòst principium libri primi, vbi primùm legebatur in Germanica editione* cùm nequitiosè, *& deinde in Parisiensi*, cùm venenosè, *nunc ex meliori exemplari emendaui & restitui* ne ventosè: *& post mediũ eius libri vbi antea legebatur* in talibus pasti fuerant cibis, *nunc ex eodem exemplari emendaui* vitalibus pasti fuerant cibis. *& paulò pòst vbi legebatur,* vos ipsos cum iis vnam sententiam ferre, *restitui,* vna sententia ferire: *& paulò ante finem libri primi, vbi anteà legebatur* reuelata, *ex eodem exemplari restitui* renouata. *Sexcẽta sunt huius generis, & quidem in sequẽtibus libris plures emẽdationes, in quib⁹ magis integrũ erat manuscriptum exemplar, quo vsus sum.*

Quod ad rem ipsam attinet, de qua mallem aliquid annotare, Principio Optatus ostendit cur aduersarios suos Donatistas appellet Fratres*: tametsi hi à Catholicis sic appellari nollent, atque etiamnum in Carthaginensi collatione recusabant, vt testatur Augustinus lib.3. contra Gaudentium. Idem lib.3. contra Parmen. cap.2. confirmat, quod Optatus hoc loco dicit. Ego addo, Dauidem* 1. *Sam.*30. *etiam Fratres vocasse, filios Belial, hominésque improbos, qui tamen erant Iudæi. Quem autem locum Iesaiæ Prophetæ, Optatus hîc allegat, Augustinus idem agens eundem locum pluribus verbis vrget, & simul, sicuti solet, totum hunc locum Optati amplificat in Psalm.*32. *Cur autem Christiani sese inuicem Fratres appellarent,*

Tertullianus in apolog.indicat. Sed & ipsa Ecclesia, olim dicebatur Fraternitas, vt ex Tertulliano, Cypriano, Ambrosio, Hieronymo didicimus.

Secundo loco *Optatus significat Donatistas refugisse omnem cum Catholicis collationem. Eadem fuit illorum superbia καὶ αὐθάδεια, multis post annis. Augustinus in epist clxvi. ad Donatistas, Vestri (inquit) Episcopi conuenti à nobis nunquam nobiscum pacificè conferre voluerunt, quasi fugientes cum peccatoribus colloqui. Itaque vt tale supercilium deijciat, in epist.* lxviij. *obijcit non modo Paulum cum Epicureis contulisse, sed & Christum cum ipso diabolo de lege collocutum esse. Factum est tandem aliquot annis post Optati mortem, vt edicto mandatóque Honorij Imp. Donatistæ etiam inuiti pertracti sint ad Carthaginensem cum Catholicis collationem, cuius historiam alibi exposui.*

Ait Optatus contra leges fuisse, quod Donatistæ iterabant baptismum. Videtur significare legem sui quoque Valentiniani Imp. latam eo tempore, quo hic liber scribebatur. Adderem & alteram ipsius Valentis & Gratiani, quæ septem post superiorem annis edita est: & quidem vtraque scripta est ad Africanos magistratus, sicuti vtraque extat libr. xvj. *Cod. Theod. tit.* vj. *In vnam autem conflata est à Triboniano, cùm est cõiecta in Iustiniani codicem. Sed vereor ne illa posterior lata sit post hosce libros ab Optato scriptos. Ea tamen significat Constantinum eadem de re olim legem tulisse, quam Optatus legere multo magis potuerit. Sanè Augustinus in suis de Baptis-*

mo libris, non leges Imperatorum (quia Donatiſtæ iis ſe aut Chriſtianos in cauſa religionis non teneri clamitabant) ſed canonem Niceni Concilij obijcit. Nam & ſi Nicenum non nominet, tamen de eo loqui, ſe ſatis indicat, vt & alibi dixi in hiſtoria Carthag. Collat. Sed multa quæ in eo commentario dixi, cogor rurſus delibare. Illud ſingulare eſt & nondum annotatum quod Auguſtinus epiſt. 166. cuiuſdam legis (Conſtantini eſſe exiſtimo) verba, quæ alibi non legi, recitat, digna quæ hîc recitentur.

Attendite *(inquit Auguſtinus ad Donatiſtas)* quàm manifeſtiſſima veritate per cor Regis, quod in manu Dei eſt, ipſe Deus dixerit, in iſta ipſa lege, quam contra vos prolatam dicitis. Eſt autem, ſi intelligatis, prolata pro vobis. Attendite quid habeant verba principis: Nam ſi in eis qui primò initiati ſunt, idcirco religio baptiſmatis iudicatur infirma, quòd ij, à quibus accipitur, peccatores putentur: toties renouari neceſſe erit traditum ſacramentum, quoties indignus fuerit inuentus collati baptiſmatis adminiſtrator, & fides noſtra, non ex noſtræ voluntatis arbitrio, neque ex diuini muneris gratia, ſed ex meritis ſacerdotum, & clericorum qualitate pendebit. Faciant mille Concilia Epiſcopi veſtri: huic vni ſententiæ reſpondeant, &c. Hæc Auguſtinus. *Illud porrò ſemel annotandum eſt, Optatum paulò pòſt in diſputatione de vnico baptiſmo magis tueri ſchiſmaticorum quàm hæreticorum baptiſmum, & tali diſtinctione adhibita videri me-*

diam quandam ſententiam nouam & inſolentem ſequi inter eam, quam Cyprianus olim ſecutus eſt, & eam quam Auguſtinus deinde aſſeruit. Poſtea tamen Optatus veluti oblitus ſuæ illius nouæ diſtinctionis, generaliter diſputat de vnico baptiſmo, vt Auguſtinus. Mirum verò quod Optatus non meminerit Niceni decreti ea in re, neque adhibeat ſaltem eam diſtinctionem, quam Nicenos Patres adhibuiſſe, ex Auguſtino colligere alibi licet. Sed harum annotationum anguſtiæ non capiunt longiorem eius rei explicationem. Redeo ad id quod Optatus ait.

Nam fermè ante annos lx. & quod excurrit, *Primùm annotabo hac locutione* & quod excurrit, *Optatum ter vſum eſſe. Sed & Auguſtinus, qui Optatum diligenter legerat, eadem vſus eſt, cùm illud ipſum tempus, de quo hîc agitur, indicaret, lib. 7. De baptiſ. cap. 7. Noſtri quoque Iuriſcōſulti ea vtuntur, vt Paulus, Decem (inquit) & quod excurrit, & cet. L. 26. §. vlt. Depoſ. Vulgò dicere ſolent* plus minus. *Hieronymus,* eo amplius. *vt contra Lucifer. loquens de Nicenis Patribus,* Trecenti *(inquit)* & eo amplius, Epiſcopi. *Idem in Epitaph. Nepotia.* Viginti *(inquit)* & eo amplius, anni ſunt. *Quod autem attinet ad tempus de quo hîc agit Optatus, ipſe ſimiliter Auguſtinus lib. 7. de baptiſ.* Poſt Cypriani *(inquit)* mortem quadraginta, & quod excurrit, annis peractis Traditio codicum facta eſt: vndè ceperunt appellari Traditores. *Sanè Hieronymus in catal, ſcribit Cyprianum paſſum & mortuum eſſe, ſub Valeriano & Gallieno Impp. perſecutione octa-*

ua. In Eusebij autem Chronico annus illius passionis simpliciùs & apertiùs indicatur, dicitúrque fuisse Christi ducentesimus & sexagesimus: Vnde videretur Augustinus significare Traditionem codicum factam esse circa annum Christi trecentesimum. Sic & Augustinus in Breuic. id significat, cùm narrat, id, de quo hîc quæritur, factum esse Diocletiano ix. & Maximiano viij. Coss. lib. 3. contra Crescon. cap. 7. habet, Dioclet. viij. & Maximiano vij. Coss. Sed non multùm interest. Eusebius lib. viij. histor. Eccles. eius persecutionis principiũ reijcit in decimũ nonũ annum imperij Diocletiani, qui fuit octauus Consulatus Diocletiani. Sequens autem annus, cùm Diocletianus cũ ix. Cos. esset, fuit postremus annus imperij ipsius. Eo enim anno xi. Cal. Maij (quo die olim Diocletianus primum factus fuerat Imperator) vltrò abdicauit, cùm esset Nicomediæ. Fuit autem annus Christi trecentesimus quartus. Cùm autem Optatus numeret annum sexagesimum ab eo tempore, iam satis intelligi potest, quo anno Optatus hæc scripserit. Sed cùm addat, & quod excurrit, & Damasi sui socij postea meminerit, facilè patior vt trecentesimo septuagesimo anno dicantur hi libri scripti ab Optato: quo anno cepit Damasus præesse Ecclesiæ Romanæ, paulò postq̃ Valentinianus & Valens imperare ceperunt: quibus imperantibus hos ab Optato libros scriptos esse, testis est etiam Hieronymus in Catal. Itaque necesse est, vt dicamus suspicor, libro sequenti, in Catalogo Romanorum Episcoporum expungendum esse nomen Siricij. Hic enim Damaso primum successit anno Christi tre-

centesimo octogesimo sexto.

Nunc paulò diligentiùs videamus, quid sit, quod Optatus hic ait de tempestate persecutionis sui temporis. Eam rursus describit libro tertio: ubi ait fuisse sub Diocletiano & Maximiano, ante annos lx. *& quod excurrit, datos esse impios iudices, qui bellum Christiano nomini inferrent, & Christianos sacrificare cogerent, Christúmque negare, templa Dei viui subuertere, leges diuinas incendere. Nunc illud vrget, quòd instrumenta (vt ait) diuinæ legis quidam Episcopi impiè tradiderint. Eusebius libro octauo latiùs describit persecutionis illius tempestatem. De Africa autem tantum ait, innumerabilem tunc in ea fuisse martyrum multitudinem. Sed & Thermas Maximiani in vrbe Carthaginēsi illo tempore extructas fuisse ait, vt Diocletiani Romæ. His autem attollendis subseruiisse multa millia Christianorum veluti ad metalla damnatorum, accepimus. Illud nouum & insolens fuit in edicto Diocletiani aduersus Christianos, quod sacrosanctis eorum libris bellum indictum sit, vt abolerentur vndique conquisiti. Arnobius, qui eo tempore viuebat in Africa, lib. 4. contra Gentes,* Nostra *(inquit)* scripta cur ignibus meruerunt dari? *Sed impij Legulei tunc obijciebant, quod Vulpianus ait libros improbatæ lectionis abolendos esse, l. 4. Famil. erciſc. libros autem Christianorum esse scilicet improbatæ lectionis. Sanè ipsa etiam Maccabæorum historia testis est, tyrannum illum Antiochum Epiphanen, qui Iudæos exterminare conatus est, Mosaicis quoque libris bellum indixisse. Tale exemplum Diocletianus in*

suo edicto secutus esse videtur: Vt & exemplum Diocletiani secutus videtur tyrannus ille Vandalus & Arrianus, qui in Africa aliquot annis post mortem Augustini, iussit flammis etiam aboleri libros Catholicorum, vt narrat Victor Vticensis. Edictum Diocletiani non recitat Eusebius, sed narrat quemdam ex aulicis proceribus, qui Christianus erat, cùm Nicomediæ vbi Diocletianus agebat, videret impium edictũ palam propositum & proscriptum, ausum esse palam id discerpere, nec recusasse quas propter tale factum pœnas impendere sciebat. De iure ciuili, cùm tam multa anteà rescripta Diocletianus edidisset, aliquid rescripsisse vel respondisse quo anno totus erat in edictis contra Christianos postremò edendis, non legi: præterquam quod mihi nunc venit in mentem, subtilem illam L. si certis annis C. de pact. datã esse Diocletiano viij. *& Maximiano* vij. *Coss. Illud postremò iuuat annotare, Donatistas, qui iactabant tantopere sese odisse Traditores librorum sacrosanctorum, tamen cùm basilicas Catholicorum incenderent, in eas ipsas flammas aliquando conieciße ipsos quoque Dominicos codices. Testis est Augustinus ĩ epistola quinquagesima.*

Porro quod attinet ad totam historiã, quam Optatus hic delibat, vt Augustinus lib. 1. contra Parmen. cap. 3. eam commendat, & quod quæritur de origine schismatis Donati, ab Optato repetendum esse monet, sic cùm paßim etiam ipse illustret, quod scribit Optatus, ab Augustino repetenda est explicatio. Nam & quod imprimis hoc loco Optatus narrat de primis Traditoribus & homicida Purpurio, narrat etiam Au-

gustinus lib.3.contra Crescon.cap.27. & in lib.cōtra Fulgent. Donat. Quod dicit Menalum thurificasse, verbum est iis temporibus vsitatum quo dicebatur aliquis thus incendisse idolis & sacrificasse: Vndè & Sacrificatos vocabant, vt est apud Cyprianum.

Quod sequitur apud Optatum de Concilio Cirtensi, & Actis scriptísue cuiusdam Nundinarij, quæ Optatus ad finem horum librorum se adiecisse ait: dolerem intercidisse, nisi si repeti illa posse scirem ex Augustini libro tertio contra Cresconium, & epist.162. & 165.& lib. de Vnit. cap.20. & Breuic.Collat.ad finem. Obiter etiam admoneo, quod hic Optatus ait dictum esse à secundo Tigisitano, Sedete omnes, videri fuisse quandam veluti formulam & tacitam significationē signúmque absolutionis: vt sicuti reorum esse dicitur, stare: sic sessio quæ iudicum esse solet, intelligatur etiam esse absolutorum, qui rei esse desierūt.

Quod narrat Optatus de Lucilla femina non minùs factiosa quàm pecuniosa, exponitur quoque ab Augustino in epist.162. & lib. 3. contra Crescon. cap. 28. Hispanámque fuisse adijcit in libr. de Vnit. cap.3.& lib.2.contra Petil.cap vlt. Denique valde famosam fuisse oportet, cum & Hieronymus ad Ctesiph. narrans multas mulieres fuisse hereseon veluti nutrices, Donatus(*inquit*) per Africam, Lucillę opibus adiutus est. Omitto, quòd aliam planè similem fuisse auctorem cuiusdam inter Donatistas schismatis testatur Augustinus in epist.162.

Illud rarius & obscurius est, quod Optatus hic significat Lucillam illam in Ecclesia reprehensam fuis-

se,quod ante sacram communionem os cuiusdam mortui osculata esset. Quid hoc sibi vellet, vix diuinare possum: sed venit in mentem quod Balsamo interpres Concilij Carthagin. cap.61. scribit, Donatum auctorem ducémque Donatistarum docuisse, aliquem diuinorum mysteriorum participem esse non posse, nisi os in manu tenens,id prius salutet.

Quod Optatus narrat de Felice Diacono qui propter famosam de tyrãno Imp. scriptam epistolã accusatus sit,posset reuocari ad leges de famosis libellis. Sed quia alio in loco fusiùs eas exposui,nunc non repetam. Tyrannum autem Imp.hîc intelligi Maxentium non dubito, quem tamen paulò pòst Optatus significat aliquando fuisse prope indulgentem. Constantinum, qui eum pessumdedit, seuerum vindicem famosorum libellorum, ipsius leges testantur. Et quidem statim post sublatum Maxentium, cùm ab Africa recepisset libellum accusatorium contra Cæcilianum (quæ famosa potiùs quædam calumnia erat) libellos famosos qui subscripti non essent,reijciendos esse edixit, & in Africam ea de re leges misit ad Verinũ & Ælianum: quos paulò pòst audiemus laudari in causa Donatistarum. Eæque etiam leges dicuntur nominatim in vrbe Carthaginensi propositæ. L. 1.& 2. C. Th. De fam.lib.

Possem & hoc loco leges de Receptatoribus allegare, vbi Optatus narrat, quid Mensurio tãquam receptatori tyrannus denunciarit. Sed illud modo adijciam, quod Hieronymus in Chronico suo annotat, Presbyterum Sirmij iniquissimè occisum fuisse, quòd Octauia-

num Proconsulem apud se latitantem prodere noluisset, anno Christi trecentesimo septuagesimo sexto, hoc est, tempore nostri Optati.

Præterea multa, quæ in hoc Optati libro occurrunt vestigia antiquitatis Ecclesiasticæ: veluti quod in eo scriptum deinde est, Ecclesiarum in Africa, tempore Maxentij, fuisse quamplurima (vt vocat) ornamenta ex auro & argento: sicuti & lib.3. laudat Imp. Constantem, qui cùm in Africam mitteret eleemosynas pauperibus, simul miserit domibus Dei (vt loquitur) ornamenta. Intelligit autem vasa & vestimenta & eiusmodi donaria, quæ ad ministerium Dei consecrabantur, vt ait noster Iustinianus. §. sacræ. De rer. diuis. & L. sancimus. C. de sacros. Eccles. Sic & Theodoretus lib.3. cap.12. narrat Imp. Constantium Ecclesiæ Antiochenæ donasse plurima huius generis, tam preciosa, vt paulò pòst impius & sacrilegus quæstor Iuliani, cùm illa raperet, quæ in fiscum redigeret, irridens & insultans exclamarit, En quibus vasis ministratur filio Mariæ. *Sed mirum magis est, quod Optatus significat talia etiam fuisse in Africanis Ecclesiis, quo tempore alioqui Ecclesia sub impiis tyrannus afflicta iacebat. Sic & Augustinus lib.3. contra Crescon. cap.29. indicat, tempore Diocletiani, & persecutionis ab eo excitatæ, Cirtensem Ecclesiam Donatistarum habuisse calices duos aureos & sex argenteos, & lucernam argenteam. Illud nunc addo: Cùm Imp. Leo lege lata prohibuisset ne quis priuatus ex auro & argento conficeret regia ornamenta. L. 1. C. nulli lic. in fren. postea alter Imp. Leo Non.* lxxxj.

ſic illam legem interpretatus eſt, vt priuatis interdictum non eſſe confectione aureorum vaſorum ſacrorũ, omnes intelligerent. Ne quis autem exiſtimet, ambitioſæ modo ſuperſtitionis fuiſſe, quòd talia fuerint in Eccleſiæ theſauris, ſciat vbi neceſsitas & pia cauſa pauperum alendorum poſtulabat, facilè diſtracta fuiſſe. Id Ambroſius prolixè oſtendit lib. 2. Offic. cap. 28. & quod in Eccleſiaſtica hiſtoria narratur de Cyrillo Hieroſolymitano & Acacio Epiſcopo. Imò lex ipſius Iuſtiniani. d. L. ſancimus. Non tam vt Grammaticis, quàm vt Iuris ſtudioſis gratificer, obiter hìc etiam annotabo, ab Optato vocari Commemoratorium, quem paulò pòſt Breuem vocat. Verbum Iuris eſt, ſignificatq; libellum, ſyngrapham, aut chirographum, eóque etiã vſus eſt Conſtantinus in epiſtola ad Cæcilianum, apud Euſeb. lib. 4. de vita Conſtant. Sic & in quadam (quæ Optati tempore edita eſt) cõſtitutione Imp. Valentis legimus inter chartulas cuiuſdam confiſcati breuem quendam inuentum eſſe. L. vlt. C. de iure fiſci. adde L. 1. C. de apoch. publ. & L. 13. C. Th. de indulg. debitor.

Redeo ad hiſtoriam, neque negligo quod hìc ait Optatus, Indulgentiam mittere Maxentio, Chriſtianis libertas eſt reſtituta. *Sic Euſebius libr. 8. cap. 14. ſcribit Maxentium, initio ſui in Italia & Africa imperij ſiue tyrannidis ſimulaſſe religioſum neſcio quem fauorem erga Chriſtianos, & eorum perſecutionem inhiberi edicto iuſsiſſe. Sed miror Euſebiũ ipſum non ſatis obſeruaſſe, aliquot pòſt annis accidiſſe, quod dicitur de Imp. Galerio, qui Conſtantino collega*

repetiisse, inculcasse. Porrò cùm Veterum, præsertim Afrorum, libri latinè scripti, multis librariorũ mendis contaminati sint, vix vllum puto vnquam fuisse magis deprauatum, quàm hũc Optati libellum. Nam & ipsi Donatistæ statim atque editus fuit, eum corruperunt, & vt erant impudentes, discerptum inquinarunt: & barbara librariorũ posteritas multis maculis propè oppreßit. Itaque & multis seculis tanquam in sepulchro delituit, & cùm in lucem eum protulit Cochlei editio Germanica, plura menda fuerunt quàm versus. Ego in priori editione Parisiensi operam dedi adiutus collatione exemplaris manuscripti, quod mihi communicauerat Espensæus Theologus, vt sexcentos saltem locos emẽdarem. Nunc non multò pauciores emendabit altera hæc editio, duobus manuscriptis siue chirographis exemplaribus subnixa: quorum alterum Io. Tilio Episcopo Meldensi, alterum Macereo Theologo Parisiensi debemus. Multum tamen abest, vt dicam Optatum nunc tandem in integrum planè esse restitutum. Imò feci, vt lacunarum notæ indicarent, aliquot locos superesse etiamnum mutilos. Illud porrò semel prædicendum est, vsum esse Optatum scripturæ sacræ translatione non omninò castigata: saltem longè alia, quàm fuerit illa, qua vel Tertullianus, vel Cyprianus, vel Arnobius, vel Augustinus in eadem Africa vsi sint. Sed profiteor me eius correctionem minimè suscepisse, qui si poßim plerósque Optati locos à librario iam olim corruptos emendare, officio meo functum nunc esse me putabo. Neque tamen nunc ambitiosè annotabo & indicabo quid in eo genere præstiterim.

præstiterim. Nam & putida est talium λεπτολογημάτων *ostentatio: neque iuuat (vt dicitur) in mustaceo laureolam quærere. Ecce, paulò pòst principium libri primi, vbi primùm legebatur in Germanica editione* cùm nequitiosè, *& deinde in Parisiensi,* cùm venenosè, *nunc ex meliori exemplari emendaui & restitui* ne ventosè: *& post mediũ eius libri vbi antea legebatur* in talibus pasti fuerant cibis, *nunc ex eodem exemplari emendaui* vitalibus pasti fuerant cibis. *& paulò pòst vbi legebatur,* vos ipsos cum iis vnam sententiam ferre, *restitui,* vna sententia ferire: *& paulò ante finem libri primi, vbi anteà legebatur* reuelata, *ex eodem exemplari restitui* renouata. *Sexcẽtæ sunt huius generis, & quidem in sequẽtibus libris plures emẽdationes, in quib⁹ magis integrũ erat manuscriptum exemplar, quo vsus sum.*

Quod ad rem ipsam attinet, de qua mallem aliquid annotare, Principio Optatus ostendit cur aduersarios suos Donatistas appellet Fratres *: tametsi hi à Catholicis sic appellari nollent, atque etiamnum in Carthaginensi collatione recusabant, vt testatur Augustinus lib. 3. contra Gaudentium. Idem lib. 3. contra Parmen. cap. 2. confirmat, quod Optatus hoc loco dicit. Ego addo, Dauidem 1. Sam. 30. etiam Fratres vocasse, filios Belial, hominésque improbos, qui tamen erant Iudæi. Quem autem locum Iesaiæ Prophetæ, Optatus hic allegat, Augustinus idem agens eundem locum pluribus verbis vrget, & simul, sicuti solet, totum hunc locum Optati amplificat in Psalm. 32. Cur autem Christiani sese inuicem Fratres appellarent,*

Tertullianus in apolog. indicat. Sed & ipsa Ecclesia, olim dicebatur Fraternitas, ut ex Tertulliano, Cypriano, Ambrosio, Hieronymo didicimus.

Secundo loco *Optatus significat Donatistas refugisse omnem cum Catholicis collationem. Eadem fuit illorum superbia* καὶ αὐθάδεια, *multis post annis. Augustinus in epist. clxvi. ad Donatistas, Vestri (inquit) Episcopi conuenti à nobis nunquam nobiscum pacificè conferre voluerunt, quasi fugientes cum peccatoribus colloqui. Itaque ut tale supercilium deijciat, in epist.* lxviij. *obijcit non modo Paulum cum Epicureis contulisse, sed & Christum cum ipso diabolo de lege collocutum esse. Factum est tandem aliquot annis post Optati mortem, ut edicto mandatóque Honorij Imp. Donatistæ etiam inuiti pertracti sint ad Carthaginensem cum Catholicis collationem, cuius historiam alibi exposui.*

Ait Optatus contra leges fuisse, quod Donatistæ iterabant baptismum. Videtur significare legem sui quoque Valentiniani Imp. latam eo tempore, quo hic liber scribebatur. Adderem & alteram ipsius Valentis & Gratiani, quæ septem post superiorem annis edita est: & quidem vtraque scripta est ad Africanos magistratus, sicuti vtraque extat lib. xvj. *Cod. Theod. tit.* vj. *In vnam autem conflata est à Triboniano, cùm est cōiecta in Iustiniani codicem. Sed vereor ne illa posterior lata sit post hosce libros ab Optato scriptos. Ea tamen significat Constantinum eadem de re olim legem tulisse, quam Optatus legere multo magis potuerit. Sanè Augustinus in suis de Baptis-*

mo libris, non leges Imperatorum (quia Donatistæ iis se aut Christianos in causa religionis non teneri clamitabant) sed canonem Niceni Concilij obijcit. Nam & si Nicenum non nominet, tamen de eo loqui, se satis indicat, vt & alibi dixi in historia Carthag. Collat. Sed multa quæ in eo commentario dixi, cogor rursus delibare. Illud singulare est & nondum annotatum quod Augustinus epist. 166. cuiusdam legis (Constantini esse existimo) verba, quæ alibi non legi, recitat, digna quæ hîc recitentur.

Attendite *(inquit Augustinus ad Donatistas)* quàm manifestissima veritate per cor Regis, quod in manu Dei est, ipse Deus dixerit, in ista ipsa lege, quam contra vos prolatam dicitis. Est autem, si intelligatis, prolata pro vobis. Attendite quid habeant verba principis: Nam si in eis qui primò initiati sunt, idcirco religio baptismatis iudicatur infirma, quòd ij, à quibus accipitur, peccatores putentur: toties renouari necesse erit traditum sacramentum, quoties indignus fuerit inuentus collati baptismatis administrator, & fides nostra, non ex nostræ voluntatis arbitrio, neque ex diuini muneris gratia, sed ex meritis sacerdotum, & clericorum qualitate pendebit. Faciant mille Concilia Episcopi vestri: huic vni sententiæ respondeant, &c. Hæc Augustinus. *Illud porrò semel annotandum est, Optatum paulò pòst in disputatione de vnico baptismo magis tueri schismaticorum quàm hæreticorum baptismum, & tali distinctione adhibita videri me,*

diam quandam sententiam nouam & insolentem sequi inter eam, quam Cyprianus olim secutus est, & eam quam Augustinus deinde asseruit. Postea tamen Optatus veluti oblitus suæ illius nouæ distinctionis, generaliter disputat de vnico baptismo, vt Augustinus. Mirum verò quod Optatus non meminerit Niceni decreti ea in re, neque adhibeat saltem eam distinctionem, quam Nicenos Patres adhibuisse, ex Augustino colligere alibi licet. Sed harum annotationum angustiæ non capiunt longiorem eius rei explicationem. Redeo ad id quod Optatus ait.

Nam fermè ante annos lx. & quod excurrit, *Primùm annotabo hac locutione* & quod excurrit, *Optatum ter vsum esse. Sed & Augustinus, qui Optatum diligenter legerat, eadem vsus est, cùm illud ipsum tempus, de quo hîc agitur, indicaret, lib. 7. De baptis. cap. 7. Nostri quoque Iuriscõsulti ea vtuntur, vt Paulus, Decem (inquit) & quod excurrit, &c. L. 26. §. vlt. Depos. Vulgò dicere solent* plus minus. *Hieronymus,* eo amplius. *vt contra Lucifer. loquens de Nicenis Patribus,* Trecenti *(inquit)* & eo amplius, Episcopi. *Idem in Epitaph. Nepotia.* Viginti *(inquit)* & eo amplius, anni sunt. *Quod autem attinet ad tempus de quo hîc agit Optatus, ipse similiter Augustinus lib. 7. de baptis.* Post Cypriani *(inquit)* mortem quadraginta, & quod excurrit, annis peractis Traditio codicum facta est: vndè ceperunt appellari Traditores. *Sanè Hieronymus in catal, scribit Cyprianum passum & mortuum esse, sub Valeriano & Gallieno Impp. persecutione octa-*

ua. In Eusebij autem Chronico annus illius passionis simpliciùs & apertiùs indicatur, dicitúrque fuisse Christi ducentesimus & sexagesimus: Vnde videretur Augustinus significare Traditionem codicum factam esse circa annum Christi trecentesimum. Sic & Augustinus in Breuic. id significat, cùm narrat, id, de quo hîc quæritur, factum esse Diocletiano ix. *& Maximiano* viij. *Coss lib. 3. contra Crescon. cap. 7. habet, Dioclet.* viij. *& Maximiano* vij. *Coss. Sed non multùm interest. Eusebius lib.* viij. *histor. Eccles. eius persecutionis principiū reijcit in decimū nonū annum imperij Diocletiani, qui fuit octauus Consulatus Diocletiani. Sequens autem annus, cùm Diocletianus cū* ix. *Cos. esset, fuit postremus annus imperij ipsius. Eo enim anno* xi. *Cal. Maij (quo die olim Diocletianus primum factus fuerat Imperator) vltrò abdicauit, cùm esset Nicomediæ. Fuit autem annus Christi trecentesimus quartus. Cùm autem Optatus numeret annum sexagesimum ab eo tempore, iam satis intelligi potest, quo anno Optatus hæc scripserit. Sed cùm addat,* & quod excurrit, *& Damasi sui socij postea meminerit, facilè patior vt trecentesimo septuagesimo anno dicantur hi libri scripti ab Optato: quo anno cœpit Damasus præesse Ecclesiæ Romanæ, paulò postq̄ Valentinianus & Valens imperare cœperunt: quibus imperantibus hos ab Optato libros scriptos esse, testis est etiam Hieronymus in Catal. Itaque necesse est, vt dicamus suspicor, libro sequenti, in Catalogo Romanorum Episcoporum expungendum esse nomen Siricij. Hic enim Damaso primum successit anno Christi tre-*

centesimo octogesimo sexto.

Nunc paulò diligentiùs videamus, quid sit, quod Optatus hic ait de tempestate persecutionis sui temporis. Eam rursus describit libro tertio: vbi ait fuisse sub Diocletiano & Maximiano, ante annos lx *& quod excurrit, datos esse impios iudices, qui bellum Christiano nomini inferrent, & Christianos sacrificare cogerent, Christúmque negare, templa Dei viui subuertere, leges diuinas incendere. Nunc illud vrget, quòd instrumenta (vt ait) diuinæ legis quidam Episcopi impiè tradiderint. Eusebius libro octauo latiùs describit persecutionis illius tempestatem. De Africa autem tantum ait, innumerabilem tunc in ea fuisse martyrum multitudinem. Sed & Thermas Maximiani in vrbe Carthaginẽsi illo tempore extructas fuisse ait, vt Diocletiani Romæ. His autem attollendis subseruiisse multa millia Christianorum veluti ad metalla damnatorum, accepimus. Illud nouum & insolens fuit in edicto Diocletiani aduersus Christianos, quod sacrosanctis eorum libris bellum indictum sit, vt abolerentur vndique conquisiti. Arnobius, qui eo tempore viuebat in Africa, lib. 4. contra Gentes,* Nostra *(inquit)* scripta cur ignibus meruerunt dari? *Sed impij Legulei tunc obijciebant, quod Vulpianus ait libros improbatæ lectionis abolendos esse, l. 4. Famil. ercisc. libros autem Christianorum esse scilicet improbatæ lectionis. Sanè ipsa etiam Maccabæorum historia testis est, tyrannum illum Antiochum Epiphanen, qui Iudæos exterminare conatus est, Mosaicis quoque libris bellum indixisse. Tale exemplum Diocletianus in*

suo edicto secutus esse videtur: Vt & exemplum Diocletiani secutus videtur tyrannus ille Vandalus & Arrianus, qui in Africa aliquot annis post mortem Augustini, iussit flammis etiam aboleri libros Catholicorum, vt narrat Victor Vticensis. Edictum Diocletiani non recitat Eusebius, sed narrat quemdam ex aulicis proceribus, qui Christianus erat, cùm Nicomediæ vbi Diocletianus agebat, videret impium edictũ palam propositum & proscriptum, ausum esse palam id discerpere, nec recusasse quas propter tale factum pœnas impendere sciebat. De iure ciuili, cùm tam multa anteà rescripta Diocletianus edidisset, aliquid rescripsisse vel respondisse quo anno totus erat in edictis contra Christianos postremò edendis, non legi: præterquam quod mihi nunc venit in mentem, subtilem illam L. si certis annis C. de pact. datã esse Diocletiano viij. *&* Maximiano vij. *Coss. Illud postremò iuuat annotare, Donatistas, qui iactabant tantopere sese odisse Traditores librorum sacrosanctorum, tamen cùm basilicas Catholicorum incenderent, in eas ipsas flammas aliquando conieciße ipsos quoque Dominicos codices. Testis est Augustinus ĩ epistola quinquagesima.*

Porro quod attinet ad totam historiã, quam Optatus hic delibat, vt Augustinus lib. 1. contra Parmen. cap. 3. eam commendat, & quod quæritur de origine schismatis Donati, ab Optato repetendum esse monet, sic cùm paßim etiam ipse illustret, quod scribit Optatus, ab Augustino repetenda est explicatio. Nam & quod imprimis hoc loco Optatus narrat de primis Traditoribus & homicida Purpurio, narrat etiam Au-

gustinus lib.3.contra Crescon.cap.27. & in lib.cõtra Fulgent. Donat. Quod dicit Menalum thurificasse, verbum est iis temporibus usitatum quo dicebatur aliquis thus incendisse idolis & sacrificasse: Vndè & Sacrificatos vocabant, vt est apud Cyprianum.

Quod sequitur apud Optatum de Concilio Cirtensi, & Actis scriptísue cuiusdam Nundinarij, quæ Optatus ad finem horum librorum se adiecisse ait: dolerem intercidisse, nisi si repeti illa posse scirem ex Augustini libro tertio contra Cresconium, & epist.162. & 165.& lib. de Vnit. cap.20. & Breuic.Collat.ad finem. Obiter etiam admoneo, quod hic Optatus ait dictum esse à secundo Tigisitano, Sedete omnes, *videri fuisse quandam veluti formulam & tacitam significationẽ signúmque absolutionis: vt sicuti reorum esse dicitur, stare: sic sessio quæ iudicum esse solet, intelligatur etiam esse absolutorum, qui rei esse desierũt.*

Quod narrat Optatus de Lucilla femina non minùs factiosa quàm pecuniosa, exponitur quoque ab Augustino in epist.162. & lib. 3. contra Crescon. cap. 28. Hispanámque fuisse adijcit in libr. de Vnit. cap.3.& lib.2.contra Petil.cap vlt. Denique valde famosam fuisse oportet, cum & Hieronymus ad Ctesiph. narrans multas mulieres fuisse hereseon veluti nutrices, Donatus(*inquit*) per Africam, Lucillę opibus adiutus est.*Omitto,quòd aliam planè similem fuisse auctorem cuiusdam inter Donatistas schismatis testatur Augustinus in epist.162.*

Illud rarius & obscurius est, quod Optatus hic significat Lucillam illam in Ecclesia reprehensam fuis-

se, quod ante sacram communionem os cuiusdam mortui osculata esset. Quid hoc sibi vellet, vix diuinare possum: sed venit in mentem quod Balsamo interpres Concilij Carthagin. cap. 61. scribit, Donatum auctorem ducémque Donatistarum docuisse, aliquem diuinorum mysteriorum participem esse non posse, nisi os in manu tenens, id prius salutet.

Quod Optatus narrat de Felice Diacono qui propter famosam de tyrãno Imp. scriptam epistolã accusatus sit, posset reuocari ad leges de famosis libellis. Sed quia alio in loco fusiùs eas exposui, nunc non repetam. Tyrannum autem Imp. hîc intelligi Maxentium non dubito, quem tamen paulò pòst Optatus significat aliquando fuisse prope indulgentem. Constantinum, qui eum pessumdedit, seuerum vindicem famosorum libellorum, ipsius leges testantur. Et quidem statim post sublatum Maxentium, cùm ab Africa recepisset libellum accusatorium contra Cæcilianum (quæ famosa potiùs quædam calumnia erat) libellos famosos qui subscripti non essent, reijciendos esse edixit, & in Africam ea de re leges misit ad Verinũ & Ælianum: quos paulò pòst audiemus laudari in causa Donatistarum. Eæque etiam leges dicuntur nominatim in vrbe Carthaginensi propositæ. L. 1. & 2. C. Th. De fam. lib.

Possem & hoc loco leges de Receptatoribus allegare, vbi Optatus narrat, quid Mensurio tãquam receptatori tyrannus denunciarit. Sed illud modo adijciam, quod Hieronymus in Chronico suo annotat, Presbyterum Sirmij iniquissimè occisum fuisse, quòd Octauia-

ſic illam legem interpretatus eſt, vt priuatis interdictum non eſſe confectione aureorum vaſorum ſacrorũ, omnes intelligerent. Ne quis autem exiſtimet, ambitioſæ modo ſuperſtitionis fuiſſe, quòd talia fuerint in Eccleſiæ theſauris, ſciat vbi neceßitas & pia cauſa pauperum alendorum poſtulabat, facilè diſtracta fuiſſe. Id Ambroſius prolixè oſtendit lib. 2. Offic. cap. 28. & quod in Eccleſiaſtica hiſtoria narratur de Cyrillo Hieroſolymitano & Acacio Epiſcopo. Imò lex ipſius Iuſtiniani. d. L. ſancimus. Non tam vt Grammaticis, quàm vt Iuris ſtudioſis gratificer, obiter hìc etiam annotabo, ab Optato vocari Commemoratorium, quem paulòpòſt Breuem vocat. Verbum Iuris eſt, ſignificatq; libellum, ſyngrapham, aut chirographum, eòque etiã vſus eſt Conſtantinus in epiſtola ad Cæcilianum, apud Euſeb. lib. 4. de vita Conſtant. Sic & in quadam (quæ Optati tempore edita eſt) cõſtitutione Imp. Valentis legimus inter chartulas cuiuſdam confiſcati breuem quendam inuentum eſſe. L. vlt. C. de iure fiſci. adde L. 1. C. de apoch. publ. & L. 13. C. Th. de indulg. debitor.

Redeo ad hiſtoriam, neque negligo quod hìc ait Optatus, Indulgentiam mittẽte Maxentio, Chriſtianis libertas eſt reſtituta. *Sic Euſebius libr. 8. cap. 14. ſcribit Maxentium, initio ſui in Italia & Africa imperij ſiue tyrannidis ſimulaſſe religioſum neſcio quem fauorem erga Chriſtianos, & eorum perſecutionem inhiberi edicto iußiſſe. Sed miror Euſebiũ ipſum non ſatis obſeruaſſe, aliquot pòſt annis accidiſſe, quod dicitur de Imp. Galerio, qui Conſtantino collega*

lubenter ſubſcribẽte, in Oriente tandem edixerit quippiam eius generis. Mendoſa eſt inſcriptio vbi pro Cõſtantinus ſcribitur Conſtantius: ſed recta eſt apud Rufinum ſuſcriptio eius edicti, in qua dicitur Imp. Galerio viij. Conſ. publicatum illud fuiſſe. Vt vt autẽ Optatus ſignificet Maxentium paulò antè Chriſtianis in Africa aliquid indulſiſſe videri, tyrannum tamen & impium & crudelem fuiſſe conſtat, & quidem Africam ab eo grauiter fuiſſe vexatam. Itaque hîc mihi venit in mentem, quod Nazarij vetus Panegyricus ait, Maxentium exhauſiſſe Africam, quam delere ſtatuerat, & propterea eius debellati caſiq; caput abs Conſtantino miſſum in Africam fuiſſe: ad eam (vt inquit) permulcendam, vt quam maximè viuus afflixerat, laceratus expleret. Et verò quam Optatus ait ab eo miſſam eſſe indulgentiã ad libertatem Chriſtianis reſtituendam, fuiſſe inanem cuiuſdam clementiæ ſimulationem ſine re, indè conijcio, quod ipſi Donatiſtæ, cùm negarent Cæcilianum fuiſſe ordinatum, cauſabantur non potuiſſe, quia tempore perſecutionis non fuiſſe liberum Epiſcopis conuenire, vt refert Auguſtinus, in Breuic.

Nihil porrò eſt, quod hæreamus in iis quæ deinde Optatus narrat de Botro & Celeſio: ſi obiter admonuero eam narrationem valdè illuſtrari ab Auguſtino lib. 1. contra epiſt. Parm. cap. 3. Sed quod tandem Optatus ait, altare contra altare in Africa tunc erectum fuiſſe, dignum eſt quod magis exponamus. Auguſtinus lib. 2. contra Creſcon. cap. 2. ait maiorem Donatum à caſis nigris, altare cõtra altare in vrbe Car-

thaginensi primùm erexisse: deinde alterũ Donatum, nempe Carthaginnensem, hanc hæresim maxime roborasse.

Idem in epist.171. indicans quid illud fuerit, ait, Donatistas, Episcopum contra Episcopum ordinauisse, & altare contra altare erexisse. Et in epist.162. scribit eos schismatis propterea reos, horrendo scelere lauati (vt loquitur) altaris maculatos esse. Sed obseruãdum est, Cyprianum multò ante in Africa scripsisse, Nouatianos erexisse altare cõtra altare, cùm sui schismatis & ab Ecclesia defectionis veluti signum (vt ita dicam) sustulerunt. Cuius quidem schismatis crimen etiam ille exaggerat, vt hoc loco Optatus in Donatistis & Augustinus eum secutus in epist.162. Imo verò ipsi quoque Donatistæ, quod iis Optatus propterea obiecerat de exemplo & historia Datan, Coræ & Abyron, vicißim obiecerunt in suo concilio Bagaiensi ipsis Maximianistis, qui ab ipsis aliquo modo defecerant & secesserant, quamuis ad Ecclesiam catholicam non rediissent, vt narrat Augustinus libr. 3. contra Crescon.cap. 53.

Non est prætereundum quod sequitur apud Optatum, Iterum à Ceciliano mandatum est, vt si Felix in se nihil contulisset, ipsi adhuc tanquam Diaconum ordinarẽt Cecilianum. *Hic locus ille esse videtur, quem Donatistæ, obtusi profectò & aridi calumniatores, qui in Optati libris subtiliter scilicet venabantur quippiam, quod Catholicis obiicerent, in Collatione Carthaginensi, ridicula non minus quam calumniosa cauillatione, obiicere.* Dixerunt (*inquit*

August. in Breuic.) scripsisse Optatum, quod Cæcilianus dixerit: Si Traditores sunt, qui me ordinarunt, ipsi veniant & ordinẽt me. Quod quidem si dictum, ideo dici oportuit ad illos irridendos, quibus hoc mandasse perhibetur, quoniam certus erat, ordinatores suos non fuisse Traditores. Non enim ait: quia Traditores sunt. *Sed*, Si Traditores sunt: vt innocentia eorum probanda restaret, vbi probari recte poterat.

Non minus putidum fuit, quod Optatus deinde narrat nimiumprofectò aulicos & Palatinos, Donatistas nostris in Africa minimè omnium aulicis inuidiose obiecisse. Quid Christianis cum Regibus? Quid Episcopis cum palatio? *Sic rursus libr. 3. ait Donatum aliquando exclamasse,* Quid est Imperatori cum Ecclesia? *Sed & Augustinus Tract. 6. in Ioan. ait quendam Donatistam dicere solitum,* Quid mihi & Imperatori? *Ipse & ipse Petilianus clamitabat*, Quid nobis cum Regibus seculi, quos nũquam Christianitas nisi inuidos sensit? *Id refert refellitque Augustinus lib. 2. contra Petilianum cap. 92. sicuti & in lib. ad Donat. post Collat. narrat, Primiani Donatistæ, qui Catholicis odiose insultabat, fuisse hanc exprobrationem*, Illi portant multorum Imperatorum sacras: nos sola portamus Euangelia. *Sacras cum dicit, sacras literas intelligit. Sacras autem, vt & diuinas, eo seculo vocabant, quæ Principis erant. Sic sæpe in Cod. Constitutionum.*

Equidem fateor, fuisse magis Ecclesiasticum, & Christianis, nedum Episcopis dignius, uti potius literis verè sacris, hoc est, Propheticis & Apostolicis, quàm Principalibus vel Aulicis vel Palatinis: neque Parmeniani, sed Ecclesiæ vocem hanc plerunque fuisse, Quid Episcopis cum palatio? *Denique non minus inuiti ad aulas, relictis suis veluti caulis quàm ad castra boni Episcopi trahebantur. Et verò Sardisensis Synodus fulminans aduersus degeneres & ambitiosos Episcopos, qui deserta sua statione & obliti sui officij, eò cursitabant, iubent vt alij Episcopi, qui sunt (vt loquitur) in Canali, hoc est, (nam & eo verbo similiter vtuntur leges in Cod. Th.) in via publica, siue in vrbibus in ea sitis, vidéntque aliquem sui ordinis, eò excurrentem, transeuntem grauiter interrogent, ecquo & cur proficiscantur? ac si sponte proficisci intelligant, cùm eo non magis communicent quàm cum Ecclesiæ desertore vel hoste. Redeo ad id vnde sum digressus.*

Optatus postremo recitat historiam iudicij dati à Constantino Imp. in causa, que agitabatur inter Cæcilianum & Donatum. Historia est memorabilis, proptereáque tanto magis miror à Græcis, qui alioqui tam multa de temporibus Constantini scripsere, esse præteritam. Augustinus lib. 1. contra Parme. iubet nos eam repetere ab istò primo Optati libro: à quo & Donatistas ipsos eam repetijsse in Collatione Carthaginensi, mox audiemus. Ipse etiam Augustinus passim multa inculcat, quæ eò pertinent. Sed vt ingenuè fatear quod sentio, ne Optatus quidem mihi in hoc ge-

quo casu confuse coniectum est in decimum Eusebij librum Ecclesiasticæ historiæ Græcæ. Annullini responsum rescriptumque extat in Augustini epist.68. Simul autem arrepta tali occasione Annullinus ad Constantinum misit libellos Donatistarum Cæciliani ordinationem accusantium.

Optatus profitetur sese eorum exemplum edere. Non tamen totum neque integrum edere videtur, & sine die & Consule id edit. Augustinus verò in epistol.68. scribit transmissos ad Constantinum per Annullinum fuisse duos huius generis libellos Donatistarum, vnum in aluta subscriptum hoc modo: Libellus Ecclesiæ Catholicæ, criminum Cæciliani traditus à parte Maiorini. *Alterum sine sigillo cohærentem eidem alutæ, datum Die xvij. Kal. Maias, Carthag. D.N. Constantino A.iij. Cos. Atque huius quidem posterioris libelli fuisse videntur verba, quæ recitat Optatus. Prioris non meminit. Mirabar in libello, quē recitat Optatus, generalē & cōfusam & obscurā & infinitā esse querimoniā Donatist.* Inter nos (*inquiunt*) & cæteros Episcopos contentiones sunt. *Mirabar hic non nominari hos Episcopos, sed ne Cæcilianum quidem, neque exprimi qua de re contentiones essent: quod in primis dicendum & exponendum erat. Sed suspicor in priori libello fuisse illa omnia magis expressa ac fortasse etiam narratum fuisse, quomodo iam damnatus fuisset Cæcilianus ab Episcopis* lxx. *Certe mirum est, Donatistas actum agere voluisse & iudices sibi nouos dari petijsse potiusquam executionem rei iudicatæ vrsisse.*

Porro obseruandum est Constantinum non fuisse in Italia, cum hos Donatistarum libellos recepit, sed in extremis Galliarum finibus ad Rhenum. Id ego collegi ex veteri panegyrico, quem suspicor esse Nazarij ad Constantinum, vbi scriptum est, Cōstantinum paulopostquàm Romæ Maxentium vicisset, eodem impetu quo redierat in suas Gallias, perrexisse ad inferiorem Germaniæ limitem, & à Tiberi ad Rhenum properasse, prolaturum (vt ait) Imperium à Thusco Albula ad Germanicum Albim.

Præterea si hæc historia diligenter pertexenda est, obseruo, Constantinum exemplaria literarum & libellorum, quos ex Africa accepit, statim misisse ad tres illos Galliæ Episcopos, qui postea nominabuntur, & iussisse propterea eos ire Romam: eadémque de re scripsisse ad Miltiadem Episcopum Ro. Non extat rescriptum ad Galliæ Episcopos. Extat verò quod ad Miltiadem scriptum fuit. Nam nescio quo casu est cōiectum in farraginem decimi libri Eusebianæ historiæ minime suo sane loco: sicuti & abs Nicephoro libr. 7. cap. 43. non minus confuse & præpostere recitatur, vt ab homine ignorante quorsum id pertinet, & historiam inuoluente potiusquam explicante. Debuerat potius hoc loco inseri, vel ab Optato recitari. Sed satis nunc sit indicasse locum, vbi reperietur. Vt autem Cōstantinus in eo rescripto testatur sese, quod dixi, scripsisse ad Gallos illos, sic etiam narrat sese simul iussisse, vt reus Cæcilianus Romam veniret, cum decem Episcopis, qui illi adessent, & totidem aduersariis accusatoribus. Hoc in Africam missum Constantini man-

datum alioqui nusquam reperio, quod tamen etiam interesset huius historiæ non intercidisse. Cuiacius ad l. 1. C. de Tractor. recitat ex quadam (vt vocat) Constantini Constitutione hæc verba: Aliquot ex ijs, qui contra Cæcilianum dissentiunt, data euectione publica per Africam & Mauritaniam, inde ad Hispanias breui tractu facias migrare, & inde nihilominus singulis Episcopis singulis tractorias tribuas. *Quia hanc (vt vocatur) Constitutionem alibi non legi, non possum liquido dicere quænam fuerit, sed facile suspicor ad Annullinum missam esse, & ad id, quod nunc quærimus pertinuisse.*

Iam verò cum Optatus narret conuenisse iudices & causam Cæciliani Romæ actam esse sexto kalend. Octobr. Constantino 3. & Licinio 3. Conss. (sic enim Optati locum legendum esse alibi probaui ex Augustino) & ex altero loco Augustini paulo ante indicarim libellos Donatistarum in Africa datos esse xvij. *Kal. Maias, ijsdem Consulibus eodémque anno: idem obseruandum est, magnam & prope incredibilem diligentiam atque festinationem hic notari posse qualem & Ecclesiæ salus eo tempore postulabat.*

Optatus nominat tres illos Galliæ Episcopos, qui cum Miltiade Ro. episcopo huius causæ iudices fuerũt, nempe Maternum Agripinensem, Marinum Arelatensem, & Rheticium Augustodunensem. Hic ego obiter cogor annotare, vel falsum vel valde mendosum esse Eusebij Chronicon, vbi, interprete Hieronymo, scriptum est, Miltiadem mortuum fuisse & Sil-

uestrum ei succeßisse antequam Maxentius cæsus esset. Mirórque ipsum Augustinum Stenchum hominem doctiß. & Bibliothecarium Pontificium, cum aduersus Laurentium Vallam contenderet de veritate historiæ Constantinianæ, tam confidenter affirmasse, Miltiadem à Maxentio vel Maximino occisum esse. Vnus certe Optatus quàm id falsum sit, non obscurè demõstrat. Porro oportet etiam Consarcinatores Centuriarum (vt vocãtur) historiæ Ecclesiasticæ parum attente hunc Optati locum legisse, cum in Centur. 4. cap. 10. dubitantes aiunt, hunc Maternum & Marinum videri fuisse Episcopos in Gallia vel in Italia. Sed multomagis Caluinus sese & alios multos fefellit, cum non obseruauit Arelatẽsem Episcopum cum Miltiade Ro. iudicem sedisse in hac causa: propterea fingit iudicem postea fuisse ipsius appellationis, quod tamen lex iudiciorum minime pateretur. Deniq; Augustinus decies testatur in Arelatensi Concilio, vbi causa Cæciliani & Donati rursus acta est, alios, alios (inquam) quam qui Romæ fuerant, Episcopos iudices fuisse. Sed neque memoria antiquitatis patitur vt Arelatensem dicamus ambitiosè supra Ro. Episcopum, à Constantino fuisse euectum. Et cur non potius Caluinus id fingit de Syracusio Episcopo, ad quem (vt mox dicam) nominatim scripsit Constantinus, vt de hac causa iam Romæ iudicata, in Arelatensi Concilio cognoscat? Sanè ante tempora Donati Cyprianus Carthaginensis agnouerat Martianum quendam Arelatensem Episcopum, qui Nouatianus erat, abs Stephano Episcopo Ro. castigari debere. Et multis post Constantinum annis, cum quidam Hilarius Arela-

tensis in Gallia contemneret authoritatem Leonis Papæ, Imp. Valentianus 3. edita lege testatus est, quàm id ferendum non esset. Scribebat tempore Optati Ausonius Gallula Roma, Arelas, *cum diminutiuo verbo blande significare vellet Arelaten esse veluti Romulam, hoc est, quãdam in Gallia Romam. Sed tamen sciebat non nisi coloniam esse, quæ supra suam Metropolim non assurgeret.*

Quod attinet ad Rheticium Augustodunensem, existimo factum esse non modo per vrbis illius (quæ vt caput erat Heduorũ, sic Constantino tam grata fuit, vt & Flauia dicta sit) dignitatem, sed & personæ meritũ, vt Rheticius lectꝰ sit, qui iudex esset cũ Miltiade. nam & eum literatum fuisse & inter Ecclesiasticos Scriptores eius temporis numerari scimus. Scripserat enim contra Nouatianos, Donatistas persimiles: vt mirum sit, si hũc sibi iudicem dari voluerint Donatistæ. Sed & sublimi ore scripsisse dissertationes in Cantica ait Hieronymus in Epistola ad Florent. Idem tamen in episto. ad Marcellum, licet eum eloquentẽ fuisse fateatur, tamen ineptum interpretem vocat. Cæterum quod ad historiam huius loci attinet, addit, abs Constantino Imperatore sub Syluestro Episcopo missum esse Romam ob causam Montensium. Pro Syluestro dicere debuit Miltiadem. Molenses vocat Donatistas. Sed nondum ita vocabantur, cum Rheticius Romam venit. Sane Augustinus lib. 1. contra Iulianum cap. 2. recitans quandam illius sententiam de Baptismo, ita præfatur: Rheticium ab Augustoduno Episcopum magnæ fuisse auctoritatis in Eccle-

ſia tempore Epiſcopatus ſui Geſta illa Eccleſiaſtica nobis indicant, quando in vrbe Roma, Miltiade Apoſtolicæ ſedis Epiſcopo prȩſidente, cũ aliis iudex interfuit, donatúmque damnauit, qui prior auctor Donatiſtarum ſchiſmatis fuit, & Cæcilianum Epiſcopum Eccleſiæ Carthaginenſis abſoluit. *Iam verò etiam pertinet ad illuſtrandam hanc hiſtoriam quod hic Auguſtinus ait Miltiadem illũ præſediſſe in hoc iudicio. Donatiſtæ tantũ ſibi ex Gallia dari iudices petierant. Conſtantinus verò iam tum ſenſit, Romani Epiſcopi cognitionem eſſe debere. Atque hic quidem videtur allegiſſe ſuo arbitrio quindecim illos Italos Epiſcopos tanquam aſſeſſores: neque tamen audent Donatiſtæ reclamare, aut tale iudicium recuſare, tametſi aliud maluiſſent. Inter illos Italos Optatus numerat, quoſdam qui fuerunt Galliæ togatæ & ciſalpinæ, vt olim à Romanis vocabatur: vt Meroclem Mediolanenſem. Falſa igitur ſunt Chronica Mediolanenſia etiam ea, quæ alioqui fideliſsima eſſe creduntur, vt Boſsiana, in quibus ſcriptum eſt Meroclem mortuum eſſe anno Chriſti 268. Atqui Optatus teſtatur Romæ iudicem ſediſſe anno 313. Conſequens etiam eſt, fabuloſum eſſe quicquid in iis traditum eſt de quodam Euſtorgio, qui eo ipſo anno 313. dicitur creatus Epiſcopus Mediolanenſis. Optatus inter Epiſcopos illos italos numerat Florianum à* Sinna. *Exiſtimo legendum eſſe à Ceſena: quæ nobilis prope Rauennam ciuitas eſt in ea Italiæ parte, quam olim Galliam togatam vocabant, ſicuti & Mediolanum. Quid autem ſit* Sinna, *neſcio*

Porro cum Optatus narrat Donatum esse damnatum, meminisse debemus fuisse Donatum à casis nigris, vt Augustinus in Breuic. significat: eúmque ex accusatore factum esse reum, quia fortasse Cęcilianus recriminatione vsus sit: neque tamen simplex Traditionis crimen (sicuti iure potuit) voluit in aduersarium retorquere, sed grauiori & magis Theologica criminatione vsus est. Optatus recitat formulam Sententiæ, qua Donatus primum damnatus, & Cecilianus absolutus sit à Miltiade & eius collegis. Addendum porro est quod Augustinus in epist. 162. præterea recitat sapienter & benigne ab eodem Miltiade oblatum fuisse Donatistis, qui resipiscere vellent & ad Ecclesiam redire. Id verò quia latius exposui in historia Collat. Cartag. eò lectorem nunc remittam. Cæterum admonebo obseruanda esse duo capita illius aduersus Donatum sententiæ, quæ ait eum rebaptizasse, & Episcopis lapsis manum imposuisse, ac vtrumque ab Ecclesia alienum esse pronũciat. Quod ad prius attinet, obseruãdum est, id pronunciari Romæ, vbi etiam vetus illud Cypriani concilium de rebaptizandis iis, qui ab hæreticis baptizati fuerant, semper reprobatum fuit, & sententiam Miltiadis hac de re confirmauit Nicenum deinde Concilium, adhibita tamen quadam distinctione propter Paulianos vt alibi dictum est. Obscurius est, quod damnatus Donatus, quia Episcopis lapsis manum imposuerit: idque etiam dicitur esse alienum. Triplex olim fuit impositio manuũ. Imponebãtur manus baptizatis. Augustinus autem lib. 3. de bapt. contra Donat. cap. 16. Manuum (*in-*

*quit)*impositio non sicuti baptismus, repeti non potest. *Secundo imponebãtur manus lapsis pœnitentibus, quibus post exomologesim pax dabatur. Etsi autem in Africa diu existimarint antistites (sicuti Augustinus indicat) talem pœnitentiam iterandam non esse non, magis quam baptismum: tamen lapsis pœniiẽtibus semel saltem dandam esse pacem manusque imponendas, qui negasset, Nouatianus fuisset. Donatum prope fuisse Nouatianũ facile dixero. Sed damnari quia non fuerit, quis dixerit? Ergo cum damnatur à Militiade, quia lapsis Episcopis manum imposuerit, & id factum à Donato, dicitur ab Ecclesia alienum, intelligitur alia quadam manuum impositio. Nempe tertia fuit ea, quæ ad ordinationem Episcoporum pertinebat. Hanc autem non magis quam baptismum repeti & iterari debere veteres indicarunt. Ergo si Episcopis lapsis in hæresim, postéaque pœnitentibus pax daretur impositione manuum, non erãt, si in suo gradu manerent, iterum ordinandi, proptereáque non erat iterum iis ea manus imponenda. Nam prior ordinatio sufficiebat. Sequitur apud Optatum,* Cæcilianus omnium suprà memoratorum Sententiis innocens est pronunciatus, &c.

Hæc ipsa sunt verba, quæ deinde in Collatione Carthaginensi recitata sic perculerunt Donatistas, multa impudenter alioqui fingentes de damnatione Cæciliani, vt cum hoc Optati testimonium eleuare non auderent (fuit enim iam tum maximæ in Africa auctoritatis & fide Optatus) tandem obmutuerint attoniti Testis est Augustinus in Breuiculo Collat. ad finẽ vbi

tamen non integra recitantur verba Optati. Desideratur enim verbum hoc Sententiis. *Quãuis ergo tam impudentes fuerint Donatistæ, vt cum fingerent & mentirentur, à Constantino damnatum fuisse Cæcilianum, Optati, cuius testimonio vti volebant, verba deprauare cauillando conati sint, vt mox ostendam: tamen eorum impudentia, quæ maxima fuit, tanta non fuit, vt etiam auderent fingere Romæ dãnatum fuisse. Quò magis obstupui, cùm hisce diebus audirẽ in Gallia id confidenter & gloriosè scripsisse quendam Morellium, hominem alioqui literatum & in nouo nouorum Ministrorum ordine egregium, in suo ad Viretum libro Gallice scripto & eleganter inscripto,* De Disciplina Ecclesiastica. *In quo cũ alia multa ab omni fide & veritate historiæ Ecclesiasticæ valde aliena, tũ illud imprimis affirmari narrarique audio, abs Miltiade Rheticio & Marino Episcopis Iudicibus, non modo damnatum esse Cæcilianum, sed & abdicare coactum. Nihil ne fingi quidem posset quod magis euidenter falsum sit. Redeo ad Optatum. Inquit:* Ad quã appellationem Constantinus Imp. Sic respondit, ô Rabida, &c. *Hunc locum in priori æditione sic emendaui atque etiam hiantem expleui, additis ex antiquo exemplari, his, quæ desiderabantur, verbis,* appellationem interposuerunt: *atque ita probaui reiiciendam esse cuiusdam alioqui eruditi & ingeniosi interpretis legum coniecturam, diuinãdo fingentis ex falsa notarum suspicione quandam nouam lectionem, quæ tamen non consistat. Id cum alibi satis ostenderim, nunc nihil repetam. Adiiciam modo, quod*

Augustinus in epist.162. aut Donatistarum rabida in Cæcilianum ora fuisse: vt minus iam miremur Cõstantinum, rabidam furoris audaciam in iis accusare. Venit etiam nunc in mentem mihi quædam lex Valentiniani Imp. de quodam Chronopio Episcopo, qui in septuaginta Episcoporum iudicio damnatus appellauit præfectum vrbi. Valentinianus rescribit, illicitam appellationem pœna pecuniaria coercendam esse, quæ pauperibus erogetur. L.19. C.Th. Quorum appell. non recip.

Ait Optatus, Eodem tempore, &c. *In hac æditione iußi ante hæc verba appingi lacunam vacuam, vt significarem mihi videri aliquid deesse & desiderari ante hæc verba. Nam cum propius considero totam, qua de hic agitur, historiam, sentio non posse hæc cõiungi cum iis quæ proximè præcedũt: imo interfuisse aliquot annos, quibus causa Cæciliani rursus acta ac definita sit in Synodo Arelatensi, iterum quæ indicata Mediolani ab ipso Constantino. Ad cuius demum Mediolanensis iudicij tempus referre necesse sit hæc quæ in Optato sequuntur.* Eodem tempore, &c. *Itaque suspicarer, quod de eo iudicio sicuti & de Arelatensi Optatus inseruerat, deletum abs Donatistis fuisse, qui Optati libros misere contaminarunt. Sed rursus dubito, nũ Optatus, vt in Numidiæ angulo, inclusus, quicquid hac de re debuit, sciuerit scripseritque. Nam in Collatione Carthaginensi cum aduersus Donatistas recitaretur testimonium Optati de absolutione Cæciliani, nihil de iudicio Arelatensi aut Mediolanensi recitatur. quod tamen præteritum non fuisset, si fuis-*

ſet ab Optato expoſitum. Et ineptum erat in ea Collatione quærere, quid ſenſerit Optatus hoc loco, ſi apertè paulò antè à Conſtantino abſolutum fuiſſe Cæcilianum ſcripſiſſet. An dicemus iam antea Donatiſtas ſuppreſsiſſe, ac deleuiſſe quod ea de re ſcripſerat Optatus? Verum vt vt ſit, aliunde repetere licet quod hic deſiderari dixi. Et quemadmodum Conſtantinus, initio, quamuis indigne ferre ſe præſetulerit peti abs ſe iudices in cauſa Cæciliani, tamen iudices Eccleſiaſticos dedit, qui & alioqui indices (vt noſtri loquuntur) competentes erant: ſic iam quamuis indignabundus exclamet rabidam eſſe Donatiſtarum prouocantium peruicaciam: tamen appellationem vtcunque admittit, cuius cognitionem reiicit ad ſynodum Arelatenſem, in qua iubet alios de hac cauſa Epiſcopos rurſus cognoſcere. Id toties narrat & inculcat Auguſtinus, vt putidum ſit locos paſsim obuios indicare. Cæterum adiiciam quod minus eſt vulgare, & huc tamen imprimis pertinet: extare lib. x. hiſtoriæ Euſebij, integrũ reſcriptum Conſtantini ad Chreſtum Siracuſium Epiſcopum, quem ex Sicilia cum duobus aliis iubet proficiſci ad illam Synodum Arelatenſem iudicaturus cum aliis ſuis collegis de cauſa Cæciliani. Ac quidem mandat, vt id fiat intra Kalendas, Auguſti: Sed quo anno? Quia reſcriptum Conſtantini, non habet Conſules ſubſcriptos, difficile eſt id diuinare. Sed non temere ſuſpicor factum id eſſe Voluſiano & Anniano Coſſ. hoc eſt, anno poſt iudicium Romanum proximo, quo etiam anno, iij. Kal. Nouemb. memini Treueris edidiſſe legem quandam de appellationibus recipien-

dis, L.i.C.Th. de appellat. Porro Constantinus in illo suo ad Chrestum rescripto, non modo aperte prouocationem Donatistarum non insimulat rabidi furoris, sed ne Donatistas quidem nominat. Simpliciter autem & placide narrat, eos, qui Romæ iudicati sint, nolle stare rebus iudicatis, quia obtendant, causa nondum satis cognita, paucos iudices præcipitasse sententiam. Mãdat ergo, vt cum ex variis & infinitis (sicuti ait) locis Episcopos conuenere in vrbem Arelatensem iusserit, communi iudicio finis imponatur huic controuersiæ, causa diligẽter cognita & parte vtraque audita. Dolendũ est, Acta eius Synodi Arelatensis intercidisse. Ego aliquãdo eorum fragmenta quædam nactus eram, sed valde mendosa: ex quibus tamen didici, illi Synodo præfuisse Syluestrum, mortuo Miltiade. In Conciliorũ farragine vulgari recitantur quædã decreta Cõcilij Arelatẽsis, quod dicitur esse primũ. Sed abortiua pleraque videtur. Inter ea proponitur vnũ, quod Arrianorum meminit, atque ita etiam allegatur à Gratiano, de Consecrat. Distinct. 4 similiter & abs Magdeburgensibus Consarcinatoribus Centuriarum. Atqui nondum erat natum nomen Arrianorum, quo tempore primum coiit Synodus Arelatensis, de qua quærimus. Ergo lubenter audio Canonem illum in antiquis & manuscriptis exemplaribus (vt testatur postrema eorum Conciliorum æditio) minus corruptum esse, & pro Arrianis *legi* Afris. *Legitur & in ea farragine quippiam, quod ad causam Cæciliani accedit: nempe, Eos, qui sacras literas tradidisse conuicti erant deponendos esse. Conuinci autem debere,*

non nudis verbis, sed actorum publicorum fide. Subiicitur & quippiam de iis, qui eos ordinant sed mancum esse hoc fragmentum vel inde apparet, quòd inferatur hæc clausula vt diximus. *Atqui ea de re nihil præterea dictum ibi legitur. Dolendum est, & valde profectò dolendum, tam nunc esse mutilam & contaminatam veteris Ecclesiæ memoriam: tàmque huius rei nullam curam eos gerere, qui tantum tamen & hauriunt & abliguriunt ex opibus Ecclesiasticis, quæ ad talium monumentorum restitutionem & conseruationem erant aliqua saltem ex parte impendendæ.*

Constat in Arelatensi Concilio rursus absolutum fuisse Cæcilianũ, damnatum verò Donatum: iterùmque propterea Donatistas appellasse Constantinum. Maior profectò, quam antea causa reiiciendæ tam importunæ appellationis erat. Sed passus est Constantinus sibi persuaderi, vt actum agi pateretur, & ipse cognosceret. Ergo Mediolani Constantinũ de hac causa iudicasse ait Augustinus, epist. 162. Quid verò iudicauit? Repetendum, id est ex alio Augustini loco, hoc est, ex lib. 3. contra Crescon. cap. 71. vbi recitatur epistola ipsius Constantini narrãtis sese (vt loquitur) inter partes cognouisse, & innocentem Cæcilianum cõperisse post Episcopalia iudicia. Peruidi *(inquit)* Cæcilianum omni innocentia præditum, ac debita religionis suæ officia seruantem, eíque ita vt oportuit, seruientem. *Sed quo tempore id iudicatum est? Diu id quæsiui. Non enim facile statímque occurrebat, vt misere dispersa sunt huius historiæ lacera membra. Tandem venit in mentem quod*

*Augustinus in lib. contra Donat. post Collat. cap. 33. scribit Constantinum de Caeciliani purgatione scripsisse, 4. Id. Nouemb. Sabino & Rufino Coss. Ergo quarto anno posteaquam hæc causa ex Africa ad constantinum relata primum fuit, vix tandē definita postremo est. Iam vero commode subijcietur, quod apud Optatum sequitur,*eodem tempore idē Donatus petiit, &c. *Hic verò ille locus est, quē Donatistæ in Collatione Carthaginensi impudēter cauillādo detorquere conati sunt. Digna est eorum futilitas, quę exponatur. Augustin' in Breuic. Paulo ante finē,* Petierunt (*inquit*) Optatum legi, vnde se probaturos dicebant, Cęcilianum ab imperatore damnatum, Recitatus est Optatus Recitantibus Donatistis, vbi ait, Eodem tempore idem Donatus petiit, vt ei reuerti licuisset, & ad Carthaginem accederet, tunc à Philomeno suffragatore eius Imperatori suggestum est, vt bono pacis Cæcilianus Brixiæ retineretur. & factum est. In quibus verbis Optati cùm omnino nulla Cæciliani Damnatio, sicuti illi demōstraturos se esse promiserant, reperiri potuisset: iussit cognitor totam paginam recitari, vt de superioribus & inferioribus verbis, voluntas eius, qui scripserat, nosceretur Et ex officio recitatum est: Cæcilianus omnium supra memoratorū sententiis innocēs est pronunciatus. Quod cum recitaretur, Donatistæ dixerunt, hoc se non petiisse recitari, stomachantes aduersus eos, qui risum tenere non poterant, cum audiissent, quam apertam contra

ſeipſos paginam protuliſſent. Deinde cùm illis verbis,quæ ipſi recitauerant, extenuaſſe diceret Optatum damnationem Conſtantini, & exprimere noluiſſe: flagitatum eſt ab eis, vt aliunde manifeſtum legerent, quod ab illo dicebant extenuatũ. *Hæc Auguſtin⁹,in quo emẽdaui quod mẽdoſe videtur ex Optato recitare,veluti cũ* pro ſuffragatore *ſuppoſitũ eſt* ſuggeſtore. *Suffragij & Suffragatoris verbũ Iuris ſtudioſis notũ eſt in hac ſignificatione. Porro non grauabor adijcere alterum Auguſtini locũ,cum Auguſtinus non grauatus ſit ſæpius hãc rem recitare. In lib. ad Donatiſt. poſt Collat. cap.* 31. *inquit:* Mileuitanæ Eccleſiæ Catholicum Epiſcopum Optatum recitandum putauerunt, pollicẽtes inde ſe probaturos Cæcilianum ab Imperatore damnatum. Quæ lectio cum magis contra eos recitaretur, nemo riſum potuit continere. Quod pro ſe legi voluerunt, ambiguum fuit. Vnde cum rectiſſime Cognitor iuſſiſſet paulò ſuperius recitari,vt inde ſi poſſent verba illa clareſcerẽt,hoc recitatum eſt,quod nollebant: hoc eſt, Cęcilianum fuiſſe purgatum,nec,ſicut iactauerant,damnatum, Sed Brixię,bono pacis,retẽtum. Hoc cum dixiſſent,illis verbis Optatum damnationem Cæciliani extenuare voluiſſe, dictum eſt iis,vt euidentem Cæciliani damnationem aliunde recitarent: vt ab Optato eam extenuatam eſſe poſſet oſtendi, qui apertiſſime ſcripſerat Cæcilianũ fuiſſe purgatũ. *Tertio idẽ Auguſtinus in epiſt.* 152. Protulerunt (*inquit*) Codicẽ

Optati, vnde probarent Cæcilianum ab Imperatore damnatum. Qui Codex cum contra illos legeretur, & magis ostenderet Cæcilianum fuisse purgatum, ab omnibus risi sunt.

Hanc ego rem & historiã nunc inculco, quia alioqui præterij in descriptione Collationis Carthaginẽsis, cuius tunc partem alteram præcipuam, quæ maiorem quæstionem de Ecclesia continebat, tantum sum persecutus. Vt autem in ea quoque quæstione, Collatores Catholicos & Donatistas aliàs ostendi non semper satis acutos Dialecticos fuisse, sic iã cogor fateri in quæstione facti, hoc est, cum quærebatur, an Cæcilianus dãnatus absolutusúe fuisset, cum Optatum recitassent, minime acres fuisse in congressu. Quærebantur, an abs Constantino damnatum esse Cæcilianum scripsisset Optatus. Donatistæ, vt id euincerent, protulerunt, scripsisse, bono pacis, esse retentũ Brixiæ. Facilis erat responsio, eáque multiplex. Primum enim non potuit Optatum id scribere, quin paulò ante aliquid de sentẽtia Mediolanensi aliquid scriberet. Sed fingamus sane Optatum scripsisse consequens, non antecedens: an non extabant alij scriptores testésque iudicij Mediolanensis? Deinde cum Optatus ait, Bono pacis, Cæcilianum Brixiæ esse retentum, *non significat propterea fuisse damnatum. Imo verò illud* Bono pacis *significat aliam plane eius retentionis causam fuisse. Postremo quantumuis dicat fuisse retentum, tamen paulopost in eadem pagina aperte scribit Carthaginem properasse ad suam plebem statim atque audiuit Donatũ Carthaginem esse reuersum. Id Catholici obijcere debebant*

bant ad refellẽdam cauillationem Donatistarum. Mirum verò quod cum illa omnia prætereunt, exultant quod Optatus scripserit à Miltiade absolutum fuisse Cæcilianũ. Atqui Donatistæ id non negabant: neque de Miltiadis, sed de Constãtini iudicio quærebatur. Irrisos vehementer hic fuisse Donatistas ait Augustinus. At verendum est quod ait Catullus, risu inepto nihil esse ineptius. Certe qui scribit Cæcilianũ esse à Miltiade absolutum, non propterea scribit à Constantino esse absolutum. Tanto ergo magis miror Donatistas obmutuisse cum hic irriderentur. Credo equidem tam fatuos & ineptos fuisse, quam non erant acres & acuti.

Redeo ad Optatum. ait, Hoc modo iterum renouellatæ sunt partes. *Mallem* renouatæ. *Significat autem contentionem recruduisse, nouis partium studijs rursus inflammatam. Cæterum vt parum cohærere videtur quod proxime subijcitur,* constat tamen, &c. *sic res potius postulabat, postremo nunc adijci legem Cõstantini non modo seuerissimam illam contra Donatistas, quam alibi commemorat Augustinus, sed & alteram indulgentissimam. Nam idem Augustinus in lib. contra Donat. post Collat. cap. 33. scribit Constantinum, Crispo & Constãtino iterum Coss. literas dedisse ad Valerium Vicarium de Donatistarum exilio soluto, ijsque vindici Deo relinquendis atque remittendis.*

Crispus & Constantinus nobiliss. Cæsares, filij ipsius Constantini, iterum Consules fuerunt anno nono post mortem Maxentij. Ergo saltem octo annis Dona-

tistæ Constantinum Imp. vexarunt, cum vexarent Cæcilianum. Cùm autem quarto post anno coiisse Nicenam Synodum meminerim (cui Cæcilianum ex Africa vnum interfuisse alibi annotaui) obseruo vix in Africa tragediam Donati intermissam fuisse, cum in Ægypto cepit Arrius. Idem Augustinus in epist. 152. ait Constantinum literas dedisse ad Verinum Vicarium, in quibus Donatistas quidem grauiter detestatur, sed tamen dicit de exilio relaxandos esse, & furori suo dimittendos, quia iam ceperat Deus in illos vindicare. Quo anno literæ illæ scriptæ fuerint nescio. Sed secundo post Crispum & Constantinum Coss. iterum Coss. anno Verinum fuisse Præfectum vrbi & successisse Valerio, in Fastis Consulum annotatum est.

Tunc Constantinus ad Ælianum.

Obseruandum est factum id esse posteaquam Cæcilianus in Vrbe (vt ait Optatus) purgatus est, hoc est, paulopost quam sententia Miltiadis Episcopi Rom. est primum absolutus. Itaque istud Tunc *referendum est tantum ad id quod proxime præcedit de prima Cæciliani purgatione atque absolutione, quæ Romæ fuit: non etiam ad reliqua, quæ multo posteriora sunt, Augustinus in epist, 152. ait, non multò post Cæcilianum Episcopali iudicio primò purgatum, Felicis causam ab Æliano Proconsule examinatam esse. Factum autem id esse, quarto post illam purgationẽ mense inde colligo, quod Augustinus in libr. contra Donatum post Collat. cap. 33. narrat factum id esse* XV. *Kal. Mar. Volusiano & Anniano Coss. Etsi ergo prouocassent Donatistæ à sententia Miltiadis, & causa*

illa principalis contra Cæcilianum etiamnum penderet in Synodo Arelatensi, tamen in Africa interea ipsius Felicis causa acta est. Sanè iure ciuili vix ita liceret coniungere & permiscere præiudicia. Mirabilis autem rursus hic fuit quædam Donatistarum siue obliuio siue impudentia, qui in collat. Carthagini fingebant iactabántque Constantinum post illam ab Æliano causam iudicatam, retractasse suam quam pro Cæciliano contra Donatistas sententiam protulisset. Atqui nondum de ea cognouerat, & aliquot primum post annis suam illam sententiã in Mediolanensi Vrbe tulit, nec paruo interuallo, sed longè posteaquam Felix ab Æliano absolutus fuisset, vt ait Augustin⁹ in epist.152. Parco vt Optatus hic narrat mandasse Constantinum, vt de vita Felicis publicè quæreretur, sic Augustinus in epist.68. ait, publico iudicio causam hanc discussam atque finitam esse. Publici huius iudicij vel quæstionis publicæ formam & ordinem describit hoc etiam loco Optatus, neque difficile esset interpreti in libris legum rerúmque Romanarum versato cumulare multa, quę de veteri ordine publicorum iudiciorum dicuntur: sed nunc ego aliò propero. Illud modo dico, ex hoc Optati loco posse emendari, Constantini eadem de re agentis epistolam mendosè scriptam, qualem recitat duobus locis Augustinus, vbi pro Saturianus *scribitur* Centurio: *pro* Callidius *est* Calibius: *pro* Solon officialis publicus *est* Solus seruus publicus. *Quod porro Optatus dicit de Ingentio Scriba, Augustinus ijsdem in locis hoc est, in epist. 68. & lib.3. contra Crescon. cap. 70. modo mendosè*

Vigentium, ut sapè alibi, modo rectè Ingentium vocat, eúmque Decurionem Ziquensium ciuitatis fuisse ait: Et verò de eo loquitur Optatus cum ait, Pependit sub metu imminentium tormentorum. *Hic enim reus falsi fuit, quod diceretur falsa acta conscripsisse contra Felicem, & epistolam quandam Cæciliani falsauisse, ut testis est Augustinus: qui & de eo loqui videtur cum in epist. 152. loquitur de quodam suspenso in eculeo, ut etiam vngulis vexaretur: neque potuisse Felicem contradicere, ne tanta diligentia vel seueritate quæreretur. Ingentium suspensum quidem, sed minimè tamen tortum fuisse, quia se diceret esse Decurionem, significat Augustinus in epist. 68. & lib. 3. contra Crescon. cap. 70. & conuenit cũ lege Theodosiana l. omnes C. de Decur. Missum autem esse ad Comitatum Constantini, cum crimen esset confessus. De eo etiam aliquid pronunciasse Ælianũ cum Felicem absolueret, Augustinus significat, qui & totidem verbis sententiam Æliani recitat, quibus Optatus. Superstationarium autem cum hic nominat Optatus, obseruemus, Stationarios fuisse ex Cohortalib⁹, hoc est officialibus Præsidum, tanquã dicas apparitores, qui dispositi per prouincias certis locis, denunciabant Magistratibus quid ageretur, quorúmque propterea deforme & vile ministerium appellatur in libris legum, vbi & Stationariorum frequens est mentio. L. 6. C. de dignit. L. 1. C. de cohortal. & l. 1. C. Th. de cur. pub. & l. si quis in hoc C. Th. De Episcop. & Cler. Porro noster Renardus eruditus iuris interpres, totum hunc Optati locum recitat lib. 4. Varior. ca. xj.*

vt probet quæstionem olim de reo publice habitã esse sed falleretur qui ad Felicem reum referret hęc Optati verba Pependit sub metu imminentium tormentorum. *Imo Felicem absentem fuisse ab Æliano absolutum testatur Augustinus in Breuic. Collat. ad finem. Quod obiter dico, quia video doctißimos quosque viros falli in historia hac tota. Ergo quantum potui, nunc conatus sum eã in ordinẽ redigere, quæ perturbata erat, & quæ erat confuse permixta, euoluere atque explicatè exponere, præsertim cum etiam viderem alioqui historiæ Ecclesiasticæ scriptores hanc rem totam, quæ memoria imprimis digna est, non satis exposuisse. Multa sunt huius generis in historia veteris Ecclesiæ indigne contaminata.*

Ad librum secundum.

Optatus disputas de Ecclesia Catholica, & in principio huius libri aliquot prouincias orbis Christiani enumerans, meminit trium Pannoniarum triumque Syriarum & duarum Armeniarum nempe olim sæpe vna prouincia, quæ alioqui nimis latę patebat, in duas aut tres diuidebatur, & singulis proprius Præses dabatur. Sic Macer iuriscons. in l.3. De offic. assess. ait factum esse de Germania & Nysia sic Papinianus in l.9. De postul. meminit prouinciarum eiusdem nominis. Aquitaniæ duplicis fit etiam mentio in Itinerario Antonini. Porro cum Optatus subiicit Catholicam esse Ecclesiam, quæ sit Rationabilis videtur Rationabilem appellare, quæ non tam oculis cernatur

quàm ratione, hoc est, mente & intellectu comprehendatur. De appellatione Catholica plura dixi in Historia Collat. Carth. Optatus deinde suam Ecclesiam probat esse Catholicæ partem, quia consentiat cum Romana: Romanam autem iam inde à Petro perpetua successione Episcoporum conseruasse consensionem doctrinæ, & veluti fundamentum & corpus ædificij Apostolici. Sic enumerat Optatus Episcopos Romanos, vt & similem Catalogum eodem fini contexit Augustinus in epist. 165. & simili argumēto ante Optatum vsus erat Irenæus & Origenes. Sed admonēdi iterum sumus hæc verba Damaso Siricius hodie, videri nō esse Optati, sed alicuius paulopòst eum scriptoris. Nā cōstat Optatum scripsisse hos libros circa annum. 370. Siricium verò illum nō fuisse creatum Episcopum ante annum, 383. vt antea dictum est. Constat Optatum scripsisse hos libros Imperante Valentiniano, vt Hieronymus testis est. Atqui deinde Imperante Theodosio adhuc vixisse Damasum etiam constat, & ipsa lex Theodosiana de summa Trinitate & fide Catholica, id testatur. Quod Optatus dicit de cōmercio Formatarum, significat epistolas illas communicatorias certa formula conceptas, quas tanquam fidei suæ tesseras & consensionis symbola, Episcopi orthodoxi mittebant ad Romanum. Sic Formatas appellari testatur ipse Augustinus in epist. 163. Sed & disputans cum Fortunio Donatista iactante suam Ecclesiam esse Catholicam, quæsiuit vtrum tales Formatas Epistolas, posset, quò vellet, dare. Sic enim facilime illam terminari posse quæstionem.

Quod paulo ante scriptũ legitur in Optato, Petrum quia Apostolorum caput fuerit, appellatum esse Cephan,*dixi alibi solœcismum esse hominis somniãtis vocem Syriacam, quæ significat Petram, esse græcam* κεφαλὴ, *quæ caput significat. Sed suspicor hæc verba* vnde & Cephas appellatus est, *esse ineptæ alicuius glossæ ad marginem temere ascriptæ, & deinde abs librariis contextui insertæ. Certe Optatus libro septimo simpliciter ait Petrum fuisse caput Apostolorum, neque præterea quicquam adiicit Verticem Episcopalis coronæ fuisse ait Valentinianus Impera. in Nou. de ordinat. Episc. Prætereo multa similia, quæ paßim occurrunt, vt redeam ad notas in secundum Optati librum, in quibus illud dißimulare non possum valde insolens videri posse quod Optatus illud Pauli ad Romanos* memoriis sanctorum communicantes *detorquet ad Basilicas Romanæ Ecclesiæ. In Græco exemplari Paulinæ epistolæ est* χρείαις *id est, neceßitatibus. Latini videntur legisse* μνέιαις *qui verterunt* memoriis. *Sed mirum est, Optatum id interpretari de Templis martyrum, quæ memoriæ dicebantur, quasi dicas monumenta. Turrianus allegat antiquum librum Eustratij Constantinopolitani, qui cum Pauli locum retulerit ad memoriam Christianorum defunctorũ, pro quibus orandum sit. Optatus paulò pòst indicat, cur Donatistæ Romæ dicti sint Montenses. Sic Hieronymus in Chronico ait sectatores Donati Carthaginensis à quibusdam vocari Montenses, quia Ecclesiam Romæ primam in monte habere ceperint. Idem aduersus Lucifer. nominat Montenses siue*

Campates. Ac quidem Erasmo assentior, Campates siue Campenses eum adiecisse quadam allusione ad Montenses. Sed nunquam dixero, quod Erasmus dicit Montenses dictos esse à Montano: sicuti neque Epiphanio subscribam scribenti in suo Ancorato, νωαταὶους Romæ vocari μοντησιοῦς De Nouatianis manifesto errore dicit, quod de Donatistis dicendum erat. Augustinus in lib. de vnit. cap. 3. Roma hos vocat Montenses siue Rupitanos. Credo alteram fuisse allusionem ludibrij causa. Idem in epist. 165. de quodam Episcopo Donatista loquens, Præsidens *(inquit)* paucis Afris, in Vrbe Roma, Montensium siue Cuzupitarum vocabulum propagauit. *Suspicor legendum esse*, Rupitarum. *Prætereo quod memini in quadam etiam lege Honorij, l. 43, C. Th. de hæret. scriptum quoque est, Donatistas etiam vocari Montenses. Adiiciam potius quod Augustinus in lib. de hæresib.* Isti *(inquit)* hæretici in Vrbe Roma Montenses vocantur, quibus hinc ex Africa solent Episcopum mittere, aut hinc illuc Afri Episcopi eorum pergere, si forte cum ibi ordinare placuisset. *Ac quidē Optatus hoc loco numerat & nominat quosdam ibi ordinatos. Inter quos cum meminit Macrobij, venit mihi in mentem, quod Gennadius scripsit sese ex scriptis Optati cognouisse, Macrobium, (qui cum adhuc presbyter esset in Ecclesia Dei, scripserat librum ad Confessores & virgines) postea Donatianorum in vrbe Roma siue Montensium Episcopum occultum fuisse.*

In hoc Optati libro ante illa verba Nam & fon-

rem, *iußi lacunam asteriscis notari, ut significarem multa deesse, sicuti & pag. seq. ante hæc verba* Restat. *Ne quis hic miretur alioqui tum & ieiunam & abruptam & imperfectam esse disputationem de Ecclesia eiúsque dotibus & insignibus. Quod paulò pòst ait Optatus, Donatistas non rebaptisare post socios suos in peccato detectos: ineptè vir quidam doctißimus annotauit intelligi de maximianistis. Nam post ætatem Optati accidit illud inter Primianum & Maximianum Donatistas dißidium: quod quidem inter hos schismaticos noui schismatis principium fuit, cum vtraque pars obtenderet sui generis Concilium, illa Carthaginense, hæc Bagaiense: & tamẽ neutra quicquam alterius baptismo detraheret. Nihil est quod Donatistis sæpius obiiciat Augustinus rebaptisantibus post Catholicos. Sed Optatus non potuit obiicere quod nondum erat, vidit tamen aliquid non dißimile, quod hic obiicit. Historiam illam maximianistarum integram exponit Augustinus in lib. de gest. cũ Emer. & lib. 4. contra Cresco. cap. 10. & lib. 3. cap. 53. & 56. sed & in Psal. 36. Pag. 26. Optatus ait Donatistas non præterire in Sacramentorum mysterio quiddam legitimum: significat autem solennem formulam illius (vt etiam vocabatur) Canonicæ precationis, qua dicitur offerri sacrificium pro vna Ecclesia in toto orbe diffusa. Sic & lib. 3. ait eos non potuisse prætermittere illud legitimum* pax vobiscum. *Et libro 4. ait eos etiam vsos in baptismo fuisse solenni formula illius Ecclesiastici exorcismi* Maledicte exi foras. *Sic Cyprianus scribit Nouatianos in baptismo*

non ausos esse præterire solennem illam stipulationem, Credis remissionem peccatorum? *tametsi hãc ipsi remißionem non crederent. Sic & Augustinus significat Pelagianos in baptismo puerorũ adhibuisse quoque illam quoque formulam* abrenuncias satanæ? *cum tamen alioqui negarent pueros aliquo originali peccato obstringi. Imo Firmilianus ad Cyprianum scribẽs ostendit Diabolum quoque ipsum, cum per obsessam quandam vatem etiam baptizaret, obseruasse verba solennia atque vsitata. Denique Augustinus lib. 2. de bono perseu. cap. 13. disputans contra Pelagianos tacitè significat eos aliquid ex Ecclesiastica formula Eucharistiæ repetiisse quod obiicerent: sed ipse sic eam interpretatur vt aduersus illos contorqueat.* Quod ergo (*inquit*) in sacramentis Fidelium dicitur, vt sursum corda habeamus ad Dominum, munus est Domini: de quo munere ipsi Domino Deo nostro gratias agere à sacerdote post hanc vocem, quibus hoc dicitur, admonentur, & dignum & iustum esse respondẽt

Porro quod Optatus narrat de Iuliano Apostata, qui donatistis fauerit, à quibus appellatus atque laudatus est, latius exponitur ab Augustino in epist. 148. & 166. & lib. 2. contra Petil. cap. 83. & 92. Sane libro xvi. Cod. Theod. Tit. v. ca. xxxvij. in quadam Constitutione Honorij fit mentio cuiusdam Rescripti, quod Donatistæ ab hoc Iuliano impetrasse dicebantur.

Quod Paulò pòst Optatus narrat de Diaconis in altari occisis, simile est quod Augustinus narrat lib. 3.

contra Crescon.cap.43.Sed & ad illam Donatistarũ iactationem, qua Optatus significat eos, sese appellasse Columbas, Catholicos verò vocasse vultures, adijciam quod Augustinus lib.2.contra Petil.cap.83. Isto (*inquit*) modo & miluus cum pullos rapere territus non potuerit, Columbum se nominat. *Denique quod subijcit Optatus Donatistas Eucharistiam proculcare voluisse Victor Vticensis non dissimile quippiam suis temporibus in Africa rursus accidisse narrat: vt hac quoque in parte Vandalos illos Arrianos cum donatistis comparari posse intelligamus. Verũ id repetatur ex libris ipsius Victoris, quos nunc cum Optato edi curauimus.*

In librum tertium.

In editione Germanica tot⁹ hic li.3.sic trãspositis paginis, confusus & perturbatus fuerat, vt nunquam magis fuerint permixta Sybillæ folia, cum fierent (vt ait Pœta) rapidis ludibria ventis. Ego in priori editione Parisiensi, beneficio eius exemplaris, quo vtebar, restitui aliquot paginas suo quasque loco. In hac editione rursus totidem restitui suo ordine, quæ etiamnũ temere confusæ & transpositę iacebant, idque feci auxilio Tiliani codicis. Certe quamdiu illæ, quas dixi, metatheses paginarum miscebant omnia, vix vlla intelligi poterat sententia huiusce libri: hicque agnoscimus mirabilem olium fuisse siue incuriam siue inscitiam librariorum, qui libros non tam describere videbantur quam discerpere, vt catuli lacerant pannicu-

los, ficuti ait Plato quodam loco. Nunc ſpero tamen ſic librum iſtum eſſe in integrum reſtitutum, vt lector noſtræ huius editionis fructum ſtatim agniturus ſit.

Quod ad rem attinet: hic agitur cauſa Macarij Præfecti, propter cuius animaduerſiones capitales, Donatiſtæ odioſe declamitabant, Eccleſiam noſtrorũ eſſe ſanguinariam, neque iam Eccleſiam Catholicam, ſed Macarianam vocabant, vt ſcribit Auguſtinus in epiſt. 161. Idem in epiſt. 164. ad Emeritum Donatiſtam. Nos *(inquit)* appellatis Macarianos. *Denique vt Catholici, Donatiſtas vocabant partem Donati: Sic Donatiſtæ, Catholicos, partem Macarij Teſtis eſt Auguſtinus lib. 2. contra Petil. cap. 39. Iniuſta tamen erat recriminatio aut retaliatio. Nam ipſi Donatiſtæ ſeſe ab initio vocarant partem Donati, vt Optatus hic probat. Catholici nunquam ſe dixerãt eſſe partiũ Macarij.*

Porro vt Auguſtinus cauſam ipſius quoque Cæciliani, quæ etſi bona eſſet, tamen perſonalis erat, conatus eſt ſemper ſeparare ab Eccleſiæ cauſa, ſic & ipſius Macarij, Vnde & in epiſt. 203. ad Maximinum Donatiſtam, Nec tu, *(inquit)* obijcias tempora Macariana, nec ego ſæuitiam circumcellionum. Si hoc ad te non pertinet, nec illud ad me. *Non diſſimilis eſt actio Optati. Illud modo adijcio, extare quãdam Arcadij & Honorij legem l. 31. C. Th. de Epiſc. & cleric. quæ huc pertinere videtur, eum iudicibus Africanis præſidium armatæ apparitionis tribuit aduerſus eos, qui vi irruebant in Eccleſias earũmque clericos affligebant*

Quod post principium huius libri Optatus dicit de hoc verbo ἰχθυς : *in editione Germanica tam erat deprauatum, vt monstrum quoddam esse videretur. Erat enim in ea scriptum* Xort. *Ego iam in priori editione Parisiensi id emendaui atque restitui, simúlque ad marginem ascripsi locum Augustini, qui latius exponit mysterium, quod Optatus hic subesse significat. Locus ille Augustini est lib.*18.*de Ciuit. Dei, cap.*23.*Nunc, ne quis existimet, ab Optato, quicquid istud est, inuentum aut confictum esse, adijcio, ipsum antea Tertullianum in lib. de Baptismo, illius meminisse.*

*Optatus deinde abutitur verbis Iesaiæ Prophetæ cap.*22. *vt quæ simpliciter dicta sunt vel de Iudæa quæ vocatur Vallis, vel de vrbe Hierusalem, cui denunciatur tristis aliqua clades & vastitas, contorqueat aduersus factionem Donatistarum in Africa. Nescio, qua Optatus vsus sit translatione vel interpretatione Iesaiæ. Sed dißimulare non possum, valde ab eius Propheta & sententia & verbis alienum esse quod affingit. Credo etiam librariorum esse quædam peccata, vt cùm hic Iesaiam allegans,* templa *po nit pro* tecta, & virgam *pro* fugam. *Sed non suscepi omnia, quæ Optatus, ex sacris literis vel præpostere citat vel inepte repetit (quod vitium fuit illius & ætatis & regionis) corrigere.*

Quod Optatus ait de monte Sion in cuius vertice, erant septem synagogæ, & in quo post victorias Vespasiani Imp. vix antiquarum (vt ait) restant (sic enim emendaui ex Tiliano libro) indicia ruinarum: habet

ea res aliquid quod historiæ studiosius obseruet. Ipse Hieronymus in Hierem.cap.19.scribit Iudæorum ciuitatem in æternos cineres collapsam esse cuius ruinæ ad consummationem vsque seculi permansuræ sint. Sane post tempora Vespasiani, quibus vrbs illa excisa & euersa iacuit annis prope quinquaginta, Adrianus Imp sic eam rursus instaurauit, vt non veterē vrbē instaurare, sed plane nouam extruere intelligeretur. Itaque & nomen ipsum mutauit, ac pro Hierosolyma, Æliam Capitolinam dici voluit. Atque ita quidem appellatur & ab Vlpiano in Pand.Tit. De cēsib. & ab ipsis Patribus Nicenis in Canonibus eius Synodi. Alioqui vero Tertullianus quoque duobus locis, hoc est, in lib. contra Iudeos, & lib.3.cōtra Marc. exclamat, Sion iam nulla est.

Nulla est in Optato sententia, quæ rarior esse videatur quam hæc, quæ sequitur paulo post, Non enim Resp. est in Ecclesia, sed Ecclesia est in Rep. id est, in Imperio Romano. *Alij interpretarentur, Remp. quidē esse posse sine Ecclesia, vt olim fuit Resp. Ro. Ecclesiam vero non posse sine Rep. imo huius partē esse, cum in huius sinu veluti coalescat. Scio etiā multa dici speciose posse in vniuersum de Reip. & Ecclesię comparatione, sed nunc aliud agitur & quæritur. Dicam ergo quod huius magis loci est. Olim solennes in Iudaica Ecclesia erant preces pro regno Dauidis, in quo Ecclesia intelligebatur esse inclusa. Eóque pertinet Psal.118. & 72 & 122. Fuerunt deinde in Ecclesia Christiana solennes preces pro Imperio Ro. multis de causis. Primum enim etsi primis seculis Impe-*

rium illud valde aduersarium & festum esset Ecclesiæ, tamen eius Imperij amplitudinem prodesse ad propagationem religionis, Christiani existimabant, vt Ambrosius annotat in Psal. 46. & Eusebius ad finē libri tertij de demōstrat. Euangel. & Prudentius lib. 2. contra Symmachum. Deinde Christiani veteres, & locum Pauli ad Thessalonicenses de apostasia sic interpretabātur, & de Antichristo sic loqui solebant, vt profiterentur, Antichristum, qui Ecclesiam grauius percelleret, venturum nō esse ante ruinam & dissolutionem Romani Imperij: neque orbem prius esse periturum. Ergo Deum precari solebant pro Imperio Ro. in cuius incolumitate sentiebant propterea inclusam esse incolumitatem Ecclesiæ. Tertulianus, quē in Affrica legebat Optatus Afer, si loquitur in Apologetico ad Romanos, Nominatim atque manifeste, Orate inquit Apostolus, pro regibus & pro Principibus, potestatibus, vt omnia tranquilla sint. Vobiscum enim concutitur Imperium: concussis etiam cæteris membris eius, vtique & nos, licet extranei à turbis existimemur, in aliquo loco casus inuenimur. Est & alia maior necessitas nobis orandi pro Imperatoribus, etiam pro omni statu Imperij rebúsque Romanis, quod vim maximam vniuerso orbi imminentem ipsámque clausuram seculi acerbitates horrendas comminantem, Romani Imperij cōmeatu scimus retardari. Itaque nollumus experiri, & dum precamur differri, Romanæ diuturnitate fauemus. *Et rursus paulò pòst,* Oramus pro

Imperatoribus, pro ministris eorum, & potestatibus seculi pro rerum quiete, pro mora finis. *Idem ad Scapulam, non modo illud inculcat,* Sacrificamus pro salute Imperatoris: *sed & profitetur necesse esse, vt Christianus saluum velit Imperatorē, cum toto Romano Imperio: & addit,* Quousque seculum stabit: tandiu enim stabit Imperium. *Idem in lib. de resurrect. car. sic interpretatur locum Pauli ad Thessalonic. vt quemadmodum non est futurus finis seculi antequam reueletur antichristus, sic antichristum venturum non esse antequam deficiat Romanum Imperium. Itaque ait Romanum statum obstare, quominus ille veniat. Sane Optatus non vidit illam Romani Imperij maximā ruinam, quam Barbari intulerunt, qualē vidit Augustinus aut etiā Hieronymus, qui & cū vrbē à Gothis captā videret, scripsit ad Geront. appropinquare antichristū. Sed vidit Optatus Imperij Romani sedem sic translatam esse in Orientem per Constantinum, vt simul imperium illud tunc factum sit Ecclesiæ Christianæ propugnaculum, & in eo impletum fuerit illud Iesaiæ ad Ecclesiam,* Et Reges erunt nutricij tui. *Quòd quidem Optatus commode potuisset obijcere Donato reijcienti eleemosynas Constantis Imp.*

Optatus paulopost, locum Ezechielis cap. 28. de Tyro, detorquet ad Donatum Carthaginensem vt & Augustinus in lib. de Vnit. cap. 14. tametsi alibi, hoc est, lib. xj. de Genes. ad lit. cap. 25. eundem locum referat ad Diabolum. Sed reuera vaticinium Ezechielis de excidio Tyri, aliud non est quam quod antea ipse

Iesaias ediderat cap.23. Neque tamen apud Iesaiam scriptum est quod Optatus ait, naues Carthaginis, *sed,* naues Tharsis*: quo, verbo transmarina potius Cilicia significatur, tametsi Augustinus in Psal.47. malit eo verbo intelligi Carthaginem. Sed neque Carthago fuit Tyrus: imo potius Tyri quædam colonia.*

Porro ad ea quæ Optatus narrat de fastu & arrogantia Donati, adijci posset quod Donatistæ iactabant, Deum de cælo respondisse oranti Donato, vt ait August. Tract.13. in Ioann. & angelum apparuisse, qui eius sectam cõmendaret, vt refert idem August. in epist. 165. Sed omnibus propè hæreticis volentibus communis fuit ambitio & arrogãtia: qualem Optatus hîc accusat in Donato. Omnes enim tumẽt, vt inquit Tertullianus de præscript. Denique vt Optatus narrat Donatistas iurasse per nomen Donati, sic & Priscillianistas per nomen sui Priscilliani, narrat Sulpitius Seuerus. Illud quoque mihi legenti hoc loco Donatum sibi arrogasse principatum Carthaginis, adijciendum videtur, quod Hieronymus annotat in suo Chronico, Donatum hunc tandem Carthagine pulsum fuisse, anno Christi trecentesimo sexagesimo, hoc est, non multis annis antequam hos libros scriberet Optatus. Quod paulòpost subijcitur de persecutione excitata à Diocletiano sexaginta annis antequàm hæc scriberet Optatus, explicatum est libro primo, vbi & de Annullino dixi, cuius hîc quoq; fit mentio. Illud modo addam quod non omnes fortasse alioqui intelligerẽt, Prouinciæ Proconsularis nomine hîc significari Africam. Quod & in legibus frequẽs est. l.11. C. de erogat. milit. ann.

O

L. vlt. C. Th. de Tyronib. L. 13. C. Th. ind. deb. Porro multa deinde narrat Optatus de Circumcellionum immanitate. Augustin⁹ partim similia partim etiam atrociora de ijs paßim narrat, & quales fuerint illi Donatistarum satellites, diligenter exponit. Nam & plura eorum scelera vidit, quàm Optatus. Illud modo comparabo, quod memini, Augustinum de iniuria, quæ fiebat creditoribus & dominis similia narrare in epistola quinquagesima, cũ Donatistæ & seruos ad Pileum vocare viderentur, & debitoribus veluti Nouas tabulas darent. Quis (*inquit Augustinus*) non dominus seruum suum timere cõpulsus est, si ad Donatistarũ patrociniũ seru⁹ cõ fugisset? Quis quẽlibet poterat exigere debitorẽ auxiliũ eorũ defensionẽque poscentẽ? Peßimorum seruorum, vt liberi abscederent, tabulæ frangebantur. Extorta debitoribus Chirographa reddebantur. *Quid sit reddere debitoribus Chirographa, intelligunt Iurisconsulti, qui liberationem inde nasci sciunt. lib. 4. De pact. l. 1. §. vlt. & l. 3. De liber. leg.* Obseruabit etiam iuris & antiquitatis studiosus, quod paulò pòst ait, non fuisse permissum in Domo Dei, hoc est, in tẽplo vel Ecclesia, sepulturã: sicuti & lex quædam Gratiani temporibus Optati ædita negat Apostolorum vel martyrum sedem humanis corporibus eße conceßam. *l. 2. C. de sacros. Eccles.* Augustinus tamẽ in lib. de Cura pro mort. laudat eos, qui cupiebant in Ecclesia sepeliri prope sepulcra martyrum.

Præterea nostri annotabũt, quod Optatus non mul-

tò pòst scribit, metatores (vt fieri solet) missos esse ante venturos milites. Metatores vocat, & iis ascribit, quod in Codice Constitutionum dicitur potius fuisse officium Mensorum, L. 1. & 5. C. de metat. Metata dicuntur in Iure ciuili hospitia, quæ Prouinciales præbere iubentur militibus: & metatores, ipsi hospites qui excipiuntur. L. 9. C. de metat. Sed Optatus, ita vocat eos, qui præmittuntur vt hospitia illa (vt loquimur) prius designant. Sic & in Commentariis Suidæ μετάτωρ, ὁ προαποστελλόμενος ἄγγελος περὶ τοῦ ἄρχοντος. *Huc alludit illud Sidonij Apollinaris lib. 8. Metatoriam paginam quasi cum Musa præuia misi. Ex libris quoque Iurisconsultorum emendatum est & restitutum quod ante finem libri tertij Optatus recitat dicterium Donatistarum,* Caij Sei, Caia Seia *vt & rursus ante finem libri sexti. Antea corrupte in Germania impressum fuerat* Gaiasei. *Norunt Iuris studiosi Caium aut Seium aut Titium appellari solere quemuis hominem. Vnde & noster Tertullianus in apolog. Commemorat vulgare illud de Christiano,* Bonus vir Caius Seius. *Porro Augustinus libr. 2. de Bapt. cap. 7. rursus hunc Optati locum illustrat, cum narrat fuisse hæc Donatistarum verba ad Catholicos:* Bonus homo, si non esses Traditor! Consule animæ tuæ: esto Christianus. *Hic Augustinus Optatum secutus exclamat.* O improbam rabiem. Cum Christiano dicitur, Esto Christianus: quid aliud dicitur nisi, nega te Christianum?
Sic enim locum illum Augustini lego & emendo.

Sane idem Augustinus in epist.169 ad Eusebium, significat, cum quis Catholicus ad Donatistas deficiebat & ab iis rebaptizari volebat, debuisse, vt id mereretur, dicere, sese hactenus fuisse paganum. Quæ vox, *(inquit Augustinus)* ne procederet de ore Christiano, tantus sanguis martyrum fusus est. *Denique idem Augustinus lib.4.contra Crescon.cap.59.ait, hunc superbiæ tumorem esse omnium, qui se à Christi vnitate discindunt, vt soli sese esse Christianos iactēt, damnéntque cæteros. De hac iactatione Donatistarum.* Totus mundus apostatauit, nos soli mansimus, &c. *dictum est alibi.*

Postremus in hoc Optati libro tertio locus, qui obseruatione valde dignus sit, est de imagine nescio qua, quam Macarius dicebatur contra ritū Christianum collocaturus in altari, priusquam sacrificium offerretur. Suspicor quod calumniatores odiosè hic fingebāt, fuisse de profana imagine siue statua ipsius Imperatoris, à quo missus erat Macarius: vt mirari non debeamus, si tale simulacrū, quod in altari collocaretur, Christianos exhorruisse narret Optatus: cum quidem & id fieret contra Imperatorum mādatum. Nam & licet Principes ipsi illis temporibus magnifacerēt suas statuas, tamē idola esse nolluerunt. Ipse Theodosius iunior in quandam constitutione, Si quando *(inquit)* nostræ statuæ vel imagines eriguntur, adsit iudex sine adorationis ambitioso fastigio. *Sic enim legitur in C Theod.lib.15.tit.5. In C.tamen, Iustin. pro* fastigio *legitur* fastidio, *lib. 1. Cod. tit.24. sed si nolit Theodosius fastidiri adorationem suæ statuæ,*

ciuilem modo honorem requirit, qualem eo tempore significabant superbo & ambitioso verbo adorationis saltem in Cod. Th. adijcitur eius constitutionis clausula, quæ hîc negligenda non est. Excedens (inquit) cultura hominum dignitatẽ Superno numini reseruetur. *Illud modo dico moris olim fuisse, vt Imperatores mitterent suas siue statuas siue imagines in prouincias, in quas ipsi alioqui non proficiscebantur: easque imagines à populis de more fuisse exceptas propè religiosè. Sic Imp. Theodosius in l. 1. C. Publ. letic. vel consul nunc.* Si sacros (*inquit*) vultus inhiantibus forte populis inferimus, hos sine immodico precio excipi præcipimus. *Imagines illas vulgo vocabant Laurata. Vnde in Actis secundę Nicenæ Synodi vbi de sacris imaginibus agebatur, legimus:* Laurata & iconas, quæ mittuntur ad ciuitates, vel regiones obuij adeunt populi cum cereis & incensis, non cera perfusam tabulam, sed Imperatorem honorantes.

In Librum quartum.

Hoc libro Optatus illud potissimum agit, vt respondeat Donatistis, qui, cum baptismum à peccatoribus (vt vocabant) administratum contenderent esse inanem, ineptissime obijciebãt illud ex Psa. 140. Oleum peccatoris non vnget caput meum. *Sed vellem, Optati responsio interpretationem commodiorem opposuisset: qualem tamẽ ab Augustino, qui veluti sup-*

plere solet quod in Optata desideratur, repeti posse fateor. Vt autem Donatistæ illũ psalmi versiculũ tam inepte huc detorquerẽt, secuti videntur præposterũ exemplum illius synodi Carthaginensis, cui præfuit Cyprianus, & in qua versiculus ille citatus fuerat ad improbandũ baptismũ hæreticorũ. Vt iam minus mirari debeamus, si quod tale exẽplum secutus Parmenianus ridiculè obiecerat, fuerit deinde & abs Petiliano & abs Cresconio, gloriosis Donatistarum patronis putide inculcatũ. Verum bene habet Augustinum vera interpretatione grauiter diluisse tam futiles eorum ineptias, lib. 2. contra Petil. cap. 105. & lib. 3. cap. 33. & lib. 2. contra Crescon. cap. 24.

Porro memo miretur, si Optatus tam facile existimet statim significari baptismum vbi mentio fit olei, vel vnctionis. Nam & baptismi verbo scriptura sacra interdum totum ministerium Ecclesiæ significat, vt & nomine Altaris deinde nostri maiores plerumque id significarunt, sic Chrismatis aut olei verbo frequenter totum baptismum indicari existimarunt, plerúmque cum olim Christiani solerent sacram illam vnctionem adhibere tam ante quàm pòst baptismum.

Non possum præterire quod optatus deinde ait, Marcionem ex Episcopo factũ esse Apostatã. Atqui Tert. in li. de præscr. non Episcopũ, sed Episcopi filium fuisse ait & à patre fuisse excõmunicatum propter stuprum. Alioqui Marcionem vixisse solitarium scribit Epiphanius. Est autem intolerabile mendum quod in Optato legebatur, Marcionẽ induxisse duos Scriptos. Ergo ex Tiliano libro emendaui & restitui Christos. Quod vero subiicitur de Ebione, qui Patrem passum esse dixerit: mallem id dixisset de Praxea, cuius etiam meminit libro primo. Nam & Tertullianus in lib. de præscript. testatur multis post Ebionem annis Praxeam (quem in Africa vixisse ait Augustinus) hæresim introduxisse, quæ Patrem omnipotentẽ (vt ait) diceret esse Iesum Christum, passum & crucifixum. Quod autem Optatus deinde ait, Valentinum voluisse Christo carnem sub-

ducere, etsi Tertullianus in suis libris contra Valentinianos vtcumque dißimulet, cum alia eorum portenta exagitet, tamen in libro de carne Christi, non obscure accusat Valẽtinum, qui (vt ait) carnem Christi spiritalem commentus sit, quasi hanc Christus ex cœlo attulerit, & per virginem potius quam ex virgine natus sit. Optatus paulò pòst meminit cuiusdam Corpiani hæretici. In libro Tiliano legitur Scorpiani. *De eo nihil memini me alibi legisse. Scio quosdam olim nebulones in Africa Cyprianum ignominiose appellasse Coprianum: quasi stercorarium dicas. Sed Cyprianum nemo dixerit alienũ fuisse à martyrio, cum exhortationem ad martyrium scripserit, & ipse martyr fuerit. Sane quam Optatus significat fuisse hæresim Corpiani negantis debere esse martyria: scimus rariorem fuiße, quam altera illa fuerit, quæ auctore Montano martyria tam præcise requirebat, vt non alios quam martyres contenderet salnos fore: Eusebius lib. 6. cap. 38. narrat ex Origene quandam olim fuiße Helcesuitarum hæresim, quæ irrideret Christianos qui propter confeßionem Christi periculum mortis adirent: sed eam hæresim statim atque nata fuit, extinctã fuisse narrat. Maioris est momenti quod deinde Optatus scribit olim fuisse hanc in baptismo puerorum formulam exorcismi,* Maledicte exi foras, *quæ etiamnum seruatur. Memini Petrum martyrem familiariter aliquando mihi dixisse, quod & postea scripsit in primum librum Regum, sese cum quendam Cypriani locum diligenter expenderet, singulariter deprahendisse atque obseruasse originem minimè vulgo notam exorcismi cum baptismo*

coniungendi. Cyprianum enim lib. 4. scribere ad Magnum, Spiritus immundos quandoque fallere seruos Dei, dũ adiurati fingunt sese abire: nec tamen abeũt. Tum verò Cyprianum adiicere : Verum cùm ad aquam ventum est, ibi Diabolus minime valet subsistere prórsusque discedit. *Hinc Petrus martyr iactat sese colligere, olim factum esse, vt arreptitij, qui non poterant curari exorcismis, baptizarẽtur. Posteritatem verò generaliter & confuse deinde semper exorcismos cõiunxisse cum baptismo. Ac quidem fatetur Optatum, vt & Augustinum, valde id probasse. Sed vtrumque propterea reprehendit & erroris accusat. Præterea quod inepte allegat nescio quem Optati librum octauum, qui nullus est. Illud modo dico, tam fuisse Optatũ Cypriani temporibus vicinum, vt quod narrat passim suo tempore factum fuisse, intelligi etiam possit factum quoque fuisse tempore Cypriani: neque Optatum accusari posse vt auctorem huius moris & consuetudinis.*

In librum quintum.

Nullus est in hoc libro illustrior locus, quam qui ex libris Iurisconsultorum repetitus est de testamento, cuius testimonio de voluntate testatoris iudicari solet. Vt tali exemplo probet Optatus, ex tabulis sacrarum literarum dirimendam quoque esse litem quam mouẽt Donatistæ. Augustinus, qui Optatum imitari solet, videtur simili vsus esse argumento. Nam in Psalm. xxi. compellans Donatistas, inquit : Fratres sumus:

quare litigamus? Non inteſtatus mortuus eſt pater. Fecit teſtamentum, & ſic mortuus eſt. Tandiu cõtenditur de hæreditate mortuorum, quã diu teſtamentum proferatur in publicum: & cũ prolatum fuerit, tacent omnes, vt tabulæ aperiantur & recitentur. Iudex intentus audit, aduocati ſilẽt, pręcones ſilentium faciunt, vniuerſus populus ſuſpenſus eſt, vt legantur verba mortui. Ille ſine ſenſu iacet in monumento, & valẽt verba ipſius. Sedet Chriſtus in cœlo, & contradicitur eius teſtamento. *Idem Auguſtinus in lib. de quinque hæreſib.* Leges (*inquit*) habent, vt teſtatoris voluntati in omnibus pareatur. Si quis cõtra voluntatem teſtatoris facere voluerit, careat hæreditate. Teſtamentum profero: verba teſtatoris recito. *Ineptus eßem, ſi ex noſtris legum libris nũc ambitioſe atque adeo ocioſe repeterem multa eius generis de fide & authoritate & teſtimonio teſtamẽtorum. Illud magis huius loci eſt, vt obſeruemus, Auguſtinum cautius, quam Optatum, uti ſuperiori exemplo & comparatione. Optatus enim eo vtitur, cum ex nouo teſtamento profert ſcripturam Ioannis de lotione pedum, vt inde probet non eſſe iterandum baptiſmum. Sed Auguſtinus, qui vidit coactum id eſſe mauult uti ſuperiori comparatione, cum ex Pſalmis & Prophetarum ſcriptis probare vult Eccleſiã Chriſti eſſe catholicam. Qua de re cum Donatiſtis altera lis fuit. Sic & in lib. de vnit. Eccleſ. contra Petil.* Sunt (*inquit*) libri Dominici, quorum auctoritati vtrique conſentimus, credimus, ſeruimus. Ibi quæ-

ramus Ecclesiam. Ibi discutiamus causam nostram. *Cæterum non disputat aduersus Donatistas de vnico baptismo eóque non iterando non tam scripturam allegat quàm Traditionem Apostolicam, quasi nuncupatiui potiusquam scripti testamenti testimonio tunc vti mallet. lib. 2. de Baptis. cap. 7. & lib. 4. cap. 6. & lib. 5. cap. 23. Ac quidem etiam aliquando allegauit locum Ioannis de lotione pedum, lib. 3. de Baptis. cap. 14. Sed cum Petilianus eum in nostros retorqueret, Augustinus sic respondet, vt non dissimulet sese non valde vrgere tale argumentum lib. 2. contra Petil. cap. 22. Itaque & in lib. de vnit. cap. 19. ab eo loco statim transit ad Ecclesiæ vsum & authoritatem. Sane tamen locus ille Ioannis, multis etiã post Augustinum annis tam visus est in Africa pertinere ad vnicum baptismum, vt furente Vandalorum tyranno, cum septem illi fratres, quorum nõ minus nobile martyrium fuit, quam olim fratrũ Machabæorum, ab Arrianis vrgerentur ad alterum baptismũ, nihil magis opposuerint. Testis est victor Viticensis lib. 4. de persec. Vandal. nempe, nostri olim fuerũt fortiores martyres quàm acuti disputatores. Illud postremo annotabo quod Optatus in hoc libro respondet aduersariis contendentibus baptismum ab schismaticis administratum esse nullum, & propterea esse repetendum, quia & baptisati à Ioanne sint iterũ baptisati ab Apostolis, vt Lucas refert. Optatus respondet exẽplum eße dißimile, quia baptismus Ioannis alius & diuersus fuerit à baptismo Christi: Baptismus verò Schismaticorũ cõferatur in nomine Pa-*

tris & filij & Spiritus Sancti, tanquam baptismus Christi. Non dißimile responsum & distinctio est Hieronymi in Dial. contra Lucifer. & Augustini lib.2.contra Petil.cap.37.& lib.3.cap.56.& lib.5. de baptis.contra.Don.cap.9.10.&c.

In librum Sextum.

Nihil multos hodie magis offendit in hoc libro,quã quod Optatus tanti faciat altaria.Certe Petrus martyr in 1.lib.Regum,cap.23.valde propterea reprehendit Optatum.Mirum verò cur non potius ipsum, qui antiquior est,Tertulianũ,qui in lib.de pœnitent. aras Dei in Ecclesia celebrat.

Porro quod Optatus hic narrat de incredibili Donatistarum fastu,& aduersus Catholicos immani odio, memini multis pòst seculis in Oriẽte Græculos esse imitatos in suo schismate. Nam innocentius 3. in cap. 6. De baptis.lib.3. Decretal.ex suo consilio lateranensi (quod anno 1215.Romæ coijt)istam repetit narrationẽ. Si quando (*inquit*) Sacerdotes Latini super Græcorũ celebrassent altaria,non prius Græci sacrificabant in ipsis,quã ea, tanquã inquinata, lauissent, Baptisatos etiã à Latinis Græci rebaptisare ausu temerario pręsumebant. *Alter in hoc loco præcipuus locus est de Sanctimonialibus (vt vocabãtur) quas & olim in Africa & Aegypto vocatas fuisse Nonnas,ex Arnobio atque Hieronymo didici. Et quidem Ambrosius lib.1.de Virgin.ait ex vltimis infra vltraque Mauritaniæ partibus deductas Medio*

lanum, ſacrari geſtijſſe ab Ambroſio. Habebant & Donatiſtæ ſuas virgines Sanctimoniales, & cum Catholicos audirent in ſuis oſtentare quoddam decus Eccleſiæ, valde hoc agebant, vt eas ad ſe pellicerẽt, ſicuti indicat Auguſtinus in epiſt. 169. Hoc ergo illud eſt, quod Optatus qui & libro ſecundo aliquid hac de re dixerat, tam valde hic conqueritur tentatus à Donatiſtis fuiſſe tales Veſtales: & earum non modo raptores, ſed & procos tam valde abigit. Paulo antequam Optatus hæc ſcriberet, lata fuerat ab Imp. Iouiano lex ſeueriſſima, quæ capitalem pœnam denunciabat iis qui non modo rapere, ſed & iungendi matrimonij cauſa, ſacratiſſimas Virgines attẽtare auſus eſſet. l. v. C. de ſacros. Eccleſ. Teſtiſque eſt Sozomenus li. 6 cap. 3. Iouianum id edixiſſe, vt reprimeret inceſtam petulantiam, quæ tempore Iuliani impie & impudenter graſſata fuerat ſed Donatiſtarum procacitatem & impudicitiam nulla lex coërcere potuit.

Porro cõmodè nũc mihi in mentẽ, Fulgentiũ Afrum qui annis poſt Optati mortem pluſquam centum in Africana Eccleſia fulſit floruitque, libro ſecundo ad ſuum Monimum ex hoc Optati libro ſexto, vbi de Virginibus agitur laudare Optati interpretationem, Paulinæ de iis ſententiæ ad Corinthios, & conſilij magis quàm præcepti: eámque interpretationem conferre cũ Aug. & Ambroſij alia expoſitione. Et quia integra Optati verba recitat Fulgentius, locũ inſpiciat lector, & cũ noſtra editione conferat. Nã & id maioris eſt momẽti, quã ꝙ præterea Optatus inculcat de velis, q̃bus tegebãtur & veluti obnubebãtur capita ſacrarũ

virginum. Mitrellas vocat, quasi paruas mitras dicas. Mittra verbum est Syriacũ, Graeci dicunt διάδημα, *Latini vittã, & propriè significat vinculũ aut redimiculũ. Vt autem erant vittæ virginales, sic & aliæ erant matronales. Nam nuptæ matronæ aliter quam virgines caput velabant & ornabant. Vnde Propertius,* Cinxit & acceptas altera vitta comas.

Quod sub finem ait Optatus, de ea, quæ secundo nubit, Nõ in altum tollitur, *annotatum est ab aliis, dictum videri ex more Africanæ potius quam Latię Gentis. Fuisse enim apud Pœnos, vt & apud Aegyptios & Græcos, in more, vt nubentes sellæ curuli insiderent, currúque sublimes vectæ, à patris domo in domicilium mariti transferrentur. At Romano more nubentes potius manu ducebantur.*

Quam postremò elegantem similitudinem repetit ab aucupibus Optatus, videtur & Augustinus eum imitatus repetiisse in lib. ad Honor. de vtil. cred, cap. I. Ego nunc edo emendatiorem, vbi pro viuarum volentium, *ex meliori exemplari restitui* auium volantium. *Memini etiam, quod cum nuper me inuiseret Fornierius Iuriscons. Aurelianensis & de Optato forte incidisset sermo, admonuisse, sibi videri, in eo, quod paulò pòst Optatus ait* cantare gutture alieno, *illud* alieno *proprie significare* ficto, *vt apud Horatium,* malis ridentem alienis *id est,* fictis & simulatis genis, *& similiter apud Homerũ. Sed respondi, apud Optatum aues hic dici quasi de gutture alieno cantare, quia earum cantus qui verus est per errorem habeatur pro cantu aliarum auium alioqui*

fictarum atque mutarum. Addidi, apud Valerium Flaccum, illud, Errantésque genæ, atque alieno gaudia vultu, *simile esse versui Horatiano.*

In librum Septimum.

Suspicatus sum aliquando hunc librum, (qui & in editione Germanica præteritus fuit) non esse Optati, cum Hieronymus non nisi sex libros ab eo scriptos esse scribat, & ipse Optatus lib. 1. non nisi sex librorum argumentum proponat. Sed cum hic lib. 7. reperiatur in tribus, quibus vsus sum, manuscriptis exẽplaribus, & stylus résque conueniat, agnoscam esse Optati: verũ dicam esse scriptum post editos sex superiores. Bene autem habet, quod multæ paginæ, quæ desiderabantur, inuentæ sunt in Tiliano exemplari: & postrema pars quæ in eo deerat, in aliis exẽplarib⁹ extiterit: tametsi non dubitauerim detrahere & delere, quod ex fine lib. 3. de causa Macarij, temere hic repetitum, & inepte additum atque assutum fuerat ad finẽ huius li. 7. Sed nolui neque debui prꝫterire quã in exemplaribus duobus appendicẽ postremam reperi, licet deesset in Tiliano. Illud modo confiteor in emendatione huius libri postremi minime mihi ipsi me satisfecisse, neque propter varietatem scripturæ potuisse.
Cæterum vt quod ad rem magis pertinet, & plenior Donatistarum historia postulat, expleam, & Optato hac ratione cumulate satisfaciam, visum est nunc adijcere integram expositionem disputationis de Ecclesia in amplißimo conuentu Carthaginensi cũ Do-

natistis habitę, præsente Augustino, annis aliquot post mortem Optati. Nam & in ea (vt vocata fuit) Collatione, ipsius quoque Optati & librorum eius causa quodammodo acta est, vt & ex iis, quæ paulò antè annotaui intelligi potest. Ac superioribusquidē annis illius collationis historiam separatim edideram. Sed eam relegendo feci vt post recognitionem secunda editio futura sit multò melior, adiectis plerísque ad rem pertinentibus, detractis verò iis, quæ & ad eam minus pertinere videbantur, & quia paulo odiosius acerbiúsue, tamē notabant quosdā huiusce tēporis, multis lectorib⁹, viris alioqui bonis & amicis ingrata esse audiui, quos equidem temere offendere nolim. Nā & ipse, vel si sim iniuria lacessitus, tam abhorreo abs cuiusquam insectatione, quàm valde desidero de religione agi religiosè & placide, sicuti & de Ecclesia cum Donatistis actum fuisse in Carthaginensi Disputatione nunc ostendam. Lectorem modo rogabo, vt auersus à conspectu tristißimæ deformitatis, in qua prope sepulta nunc iacet Ecclesia, iam pridem aliquam frustra expetens reformationem, referat oculos ad tempora Augustini, déque illius temporis Ecclesia, non de huius colluuione agi cogitet.

PRiusquam de Donatistis dicam quod instituí, breuiter dicendum aliquid est de Nouatianis, quibus illi veluti successere. Sed & inter eos similia multa fuerunt, & multi etiam olim doctißimi homines hîc multa confuderunt, quæ discernenda sunt. Adeò Africanæ historiæ Ecclesiasticæ, quæ meliori memoria dignißima est, perturbatio magna est. Sic Epiphanius & Theodoretus aiunt Donatistas fuisse Nouatianæ hæreseos: imò quod de Donatistis propriè dicendum erat imperitè ad Nouatianos refert Epiphanius, cum hos ait Romæ appellatos esse Montenses. Certe licet in anabaptismo conuenirent: tamen in ceremonijs Baptismi non conueniebant. Vtebantur etiam chrismate Donatistæ, non vtebantur Nouatiani: neque pœnitentiæ aduersarij erant Donatistæ, vt Nouatiani: neque secundas, vt hi, nuptias damnabant. Saltem ipse Cresconius Donatista cùm negaret sese hæreticum esse, & hæreticos enumeraret, cum quibus nihil haberet commune, Nouatianos etiam commemorat: neque Augustinus, cùm ei respondit, aliquam Nouatianæ hæreseos notam ei inurit, lib. 2. contra Cresconium cap. 3. Habuit tamen Nouatianum schisma similia multa cum schismate Donatistarum: sed Nouatiani non ita crudeliter grassati sunt, & in Italia atque Oriente regnarunt potius quàm in Africa.

Vt autem quidam olim temerè confundebant Donatum Numidam cum Donato Carthaginensi, sic etiam multi Nouatum cum Nouatiano. Certe Theodoretus de Fab. hæretic. scribit de Nouato, quæ de Nouatiano potius scribenda erant: & Epiphanius

ait Nouatum fuisse Romæ tempore persecutionis, cùm id potius dicendum videatur de Nouatiano. Denique & Zonaras Nouatum hæresiarcham dicit fuisse Romanæ Ecclesiæ presbyterum, eodem errore. Sed qui Cyprianum, vel etiam Hieronymum in Catal. vel Paciani epistolas nuper editas legerunt, facilè animaduertunt quid Nouato, quid Nouatiano propriè ascribendum sit: & tantò propterea magis miror auctores Centuriarum historiæ Ecclesiast. scripsisse Nouatianum à Nouato creatũ fuisse Diaconum Carthaginensem inuito Cypriano. Felicißimum potius dicere debuerant. Sanè Nouatus Cypriani Episcopi Carthaginensis presbiter fuit: qui cùm in Italiam venisset, Nouatianum Romanum presbyterum veluti antipapam Romæ creari curauit, cùm electionem Cornelij, quam impedire non potuerat, legitimam non esse cauillaretur: sicuti Donatus Numida, cùm Cæciliani Episcopi Carthaginensis ordinationem accusaret, Maiorinum, cui Donatus alter succeßit ordinari curauit, vt testis est Augustinus in lib. de hæres. qui etiam propterea adijcit eum in vrbe Carthaginensi primum erexisse altare contra altare: sicuti Cyprianus simili formula vsus anteà dixerat Nouatianos idem fecisse, sed Romæ. Atque hoc illud est schismatis summum malum, quod vt in Donatistis, sic & anteà in Nouatianis accusatum est, magis quàm hæreseos crimen. Certè Dionysius Alexandrinus scribens ad Nouatianum, eúmque sui officij admonẽs, ait, eum quiduis facere debuisse, potius quàm Ecclesiam schismate scindere: neque tam idololatriam, quàm schisma, fugere debuisse, quia cùm hanc fugit, sibi tantùm cauet: cùm

verò illud, vniuersæ Ecclesiæ consulit. Testis est Hieronymus in Catal. Et verò Nouatiani, si schismatis rei non fuissent, suæ de lapsis déque hæreticorum Baptismo opinionis nouum & insolens exemplum non esse dicere fortasse potuissent. Quid enim? Ipse Cyprianus in epistola ad Antonianum scribit, apud suos (vt ait) antecessores in sua prouincia quosdam Episcopos non putauisse dandã pacem mœchis, & in totum clausisse contra adulteria locum pœnitentiæ. Quid verò vt eos vtcumque excuset, adycit? Sed tamen *(inquit)* à coëpiscoporum suorum collegio nõ recesserunt, neque catholicæ Ecclesiæ vnitatem vel duritiæ vel censuræ suæ obstinatione ruperunt. *Atque id quidem etiam Augustinus Cypriano subscribens diligenter obseruauit epist. 48. Omitto quod ipse Tertullianus iam olim videatur in lib. de pudicit. acerrimè defendisse, quod hic Cyprianus ait quosdam ante se Episcopos putauisse. Sed Tertullianus Ecclesiæ vnitatem rupit, vel duritiæ, vel censuræ suæ obstinatione.*

Porrò quod Nouatiani Baptizatos in Ecclesia, quã vt pollutam accusabant, & à qua tanquam prophana desciuerãt, non habebant pro baptisatis, proptereáq; rebaptizabant: faciebant quod hæreticos anteà ausos non esse, indicat Cypri. in epist. ad Iub. & ad Põp. & Aug. lib. 3. de Bapt. ca. 10. Sed tamen principio quodã nitebantur, quod plerique in Africa Catholici sequebantur, & Africanis (vt dixi) quibusdam Concilijs confirmatum esse videbatur. Ergo vt Nouatus *baptismum abs Cypriano administratum non habebat ratum: sic neque Cyprianus eum, cuius minister fuis-*

ſet Nouatus aut Nouatianus . Cæterum hoc interfuit, quod Cyprianus ab iis, qui Baptiſmum non eſſe iterandum credebant, ſic diſſenſit, vt tamen propterea non refugerit eorum communionem, neque vnitatis vinculum ruperit, neque alicuius ſchiſmatis auctor fuerit. Ergo Auguſtinus Cypriani quidem errorem de baptiſmo reprehendit, ſed laudat illam vnitatis charitatem, qua peccatum cooperiri ait, & rebaptiſantes tempore Cypriani, nec tamen ab vnitatis (vt loquitur) compagine recedentes profitetur eadem dilectione pacis ad veniam pertinere, qua Cyprianus ipſe tolerabat admiſſos in Eccleſiam ſine alio quàm hæreticorum baptiſmo: vt quemadmodum propter vnitatis cuſtodiam (ſic enim loquitur) Cyprian⁹ ignoſcebat iis, quos alioqui in baptiſmo non iterando errare putabat: ſic Cypriano reuera erranti in baptiſmo iterando, ignoſceretur propter eandem vnitatis, in qua nihilominus manſit, charitatem. Nouatianis verò ſchiſmaticis, qui hoc errore imbuti ab Eccleſia defecerant, non ignoſceretur, & multò minus Donatiſtis. Nam & horum quàm illorum opinio, quamuis ſimilis eſſet, minus excuſationis habebat: quia Donatiſtæ non ignorabant, in concilio œcumenico errorem illius Africani concilij, quod Nouatiani obtendere potuiſſent, fuiſſe dānatum. Inter tempora Nouati & Donati Sabellius Afer & veluti medius maius aliquid audet, & Eccleſiæ caput ipſum, hoc eſt, Chriſtum ipſum petit, quem non niſi hominem eſſe clamitabat: atque vt Trinitatis myſterium tolleret, non modò vnicam diuinitatis οὐσίαν, ſed etiam hypoſtaſin vnicam eſſe contendit: & hæc, Pater, Filius, Spiritus ſanctus, *non perſonas, ſed vo*

ces & verba esse docuit. Denique repetiit quod eodem tempore Paulus Samosatenus antistes Antiochenus inculcabat. Capitalis fuit hæc hæresis, sed Africanam Ecclesiam minus perturbauit quàm factio Donati: & quia Paulus Samosatenus in Antiochena synodo statim damnatus fuit, Afri Catholici non putarunt esse necesse, vt ad Sabellium damnandum cogerent nouum concilium: & verò Sabellianismus latè in Africa grassatus esse non videtur. Saltem Sabellij non minus quàm Praxeæ aut Marcionis, non solum vitia, sed & nomina Africanis prouinciis propè ignota suo tempore fuisse Optatus lib. I. scribit. Prætereo quod Caluinus in sua Institut. scribit Sabellium post Arrium fuisse. Constat enim Sabellium mortuum esse priusquam natus esset Arrius. Sed nouum non est doctissimos etiam viros in Africanæ Ecclesiæ historia inscitè peregrinari.

Sabellium Pentapolis emiserat: & ecce paulopost in vicina Ægypto Arrius, ex Numidia verò (altero Africæ extremo) Donatus maiores dant turbas, ille in Alexandrina, hic in Carthaginensi Ecclesia. Et quidem vt Optatus lib. 3. de Donato agens ait, in Africa de scintilla conflatum esse incendium: sic & Eusebius lib. 2. de vita Constant. quemadmodum ex modica scintilla ingens ignis accenditur, Arrianum incendium peruasisse ipsam quoque Libyam. Sed de Donatiana tragœdia nunc tantum quærimus, quæ & prior fuit, & minus subtilis. Originem & veluti protasim diligenter exponit Optatus libro I. ex quo etiam Augustinus hanc historiam repetere nos iubet lib. I. contra Parm. cap. 3. vt & quædam in Optati

libris desiderantur, quæ ex Augustino repetenda sunt.

Ac quidem imprimis obseruo, quod Augustinus scribit lib. 7. de Bapt. cap. 7. post Cypriani paßionem annis quadraginta factam esse illam Codicum in Africa traditionem, cuius quæstio Donatiani schismatis prima veluti si non causa, at certè occasio fuisse dicitur. Idem Augustinus lib. 3. contra Crescon. cap. 27. indicat Imp. Diocletianum VIII. & Maximianum VII. Consules fuisse, cùm edixerunt, vt Christianorum libri flammis abolerētur. Describit Eusebius lib. 8. tragœdiam postremæ illius persecutionis. Sed de Africa tantùm ait innumerabilem in ea fuisse martyrum multitudinē. Thermas Maximiani in vrbe Carthaginensi illo tēpore extructas fuisse ait, vt & Diocletiano Romæ aliæ extruebantur, quibus attollendis seruiebāt multa millia Christianorum, veluti ad metalla damnatorum. Sed nunc quæritur de Christianis in Africa lapsis, & Codicum sacrosanctorum traditionis reis, déque Ecclesiæ Carthaginensis statu & conditione. Ac quidē Optatus narrat quoddam tunc fuisse Cōcilium Cirtense, quod reos illos vtcunque absoluit. cum etiam iidem essent propè iudices, qui & rei. Factum id est in Numidia, cuius erat Cirta vrbs nobilißima & potentißima, quondam (vt ait Mela) domus Regum Iubæ & Syphacis, & postea Colonia Romanorum, quam Plinius ait vocatam esse Siteranorum. olim etiā caput Regni Masæsulorum, vt scribit Liuius lib. 30. Porro illius de quo nunc loquor Concilij Cirtensis annum eundem fuisse indicat Augustinus, cum eosdem, quos dixi, Consules nominat. Præerat Secūdus Tigisitanus Numidiæ Primas. Idem ve-

rò qui Cirtæ conuenerãt, postea cum aliquot aliis eiusdem generis in vrbe Carthaginensi conueniunt & quàm in Cirtensi conuentu fuerant molles & indulgentes, tam in hoc Carthaginensi seueri videri voluerunt: Cæcilianúmque Carthaginensem Episcopum, quem vel Traditionis reum faciebant, vel à Traditore ordinatum esse clamitabant, inauditum & absentem damnant, atque abdicare iubent: creant verò quendam Maiorinum, quem illi opponant. Augustinus in Breuic. hoc Concilium Carthaginense contra Cæcilianum fuisse Episcoporum septuaginta narrat: sed iniustum & iniquum: cuius etiam contra Cæcilianum sententia postea rescissa fuit. Itaque dixi indignum fuisse, quod Magdeburgenses in suis Centuriis referrent inter Concilia Ecclesiastica, & fingerent primum fuisse Carthaginense. Hoc autem illud fuit, quod (vt narrat Augustinus in Breuic.) postea Donatistæ in Collatione Carthaginensi, de qua dicturi sumus, potissimum laudabant, sed sine die & Consule, vt primum esse videretur, in quo de Traditione iudicassent: quia opponebatur Cirtense, in quo fuerant indulgentiores. Sed quod siue prius, siue posterius sibi ius dixerant, idem profectò ius aliis in eadem causa dicere debebant: neque erant ferendi, qui quod in aliis crimen ne conuictum quidem, tam acerbè vindicabant, in seipsis etiam confessis impunè esse volebant. Cæterum Carthaginense illud fuisse Cirtensi posterius indicat Optatus lib. 1. cum ait, Non post longum tempus Carthaginem venisse, qui Cirtæ anteà conuenerant. & simili phrasi vtitur Augustinus contra Donat. post Collat. cap. 33. Cæterum eodem tempore oportet aliud

fuiſſe multo maius Carthaginenſe Concilium Donatiſtarum Epiſcoporum, cum Auguſtinus Epiſt. 48. teſtetur ducentos & ſeptuagintá (adeo ſtatim creuit Donati factio) Carthaginem conueniſſe annis quadraginta ante Macariana tempora. Hæc autem tempora fuiſſe tempora Conſtantis Imp. colligo ex libro tertio Optati. Si ergo retro numeremus annos quadraginta, intelligimus id factum eſſe antequam Conſtantinus rerum potiretur ſaltem in Italia aut Africa. Cum autem audio iam tum numerari ab Auguſtino Donatiſtas Epiſcopos cclxx. in illo eorum Concilio Carthaginenſi, neque multo plures conueniſſe centum poſt annis ad Collationem contra Catholicos meminerim, vt poſtea dicam, ſuſpicatus ſum mendoſum eſſe numerum in Auguſtino, præſertim cum vix credibile videatur tam multos tam citò fuiſſe antiſtites Donatiſtarum. Itaque ſuſpicabar poſſe detrahi ducentos, vt ſeptuaginta tantum relinquantur, quot diximus eo tempore conueniſſe contra Cæcilianum: & fortaſſe crediderit aliquis idem fuiſſe Concilium. Sed nihil hic temerè audeo vel affirmare, vel mutare. Illud valde memorabile eſt, quod Auguſtinus adiicit, in illo Carthaginenſi tot Donatiſtarum Concilio, poſt longam deliberationem dierum 75, decretum fuiſſe, vt Traditoribus etiam non rebaptiſatis communicaretur. Quod quidem magis conuenit cum iis, quæ in Cirtenſi ſua ſynodo decreuerant, quàm cum iis, quæ in Carthaginenſi contra Cæcilianum. Porrò quid conſecutum ſit, cùm Cæciliani cauſam ad Conſtantinũ Imper. ſeptem poſt annis Donatiſtæ retuliſſent, & Conſtantinus modò iudices Epiſcopos Romæ dediſſet: modò deinde alios

Arelati, & denique ipse, cùm esset Mediolani, de ea iudicasset, repetere oportet partim ex Optato, partim ex Augustino. Nam in Optato desiderantur, quæ de iudicio Arelatensi, & Constantini sententia Mediolanensi, qua Cæcilianus postremò absolutus est, suggerit Augustinus in epist. 162. & libr. 3. contra Crescon, cap. 71. ne quis alioqui ex Optato temerè colligat, sic Constantinum reiecisse appellationem Donatistarum de Melchiadis sententia conquerentium, vt nullos præterea dare iudices voluerit: aut simpliciter tunc pronunciarit à re bene iudicata temere appellari, sicuti quidam tradidit. Imò verò sciamus Constantinum dedisse iudices huius appellationis, non quidem ipsum Arelatensem episcopum (quod temerè putauit Caluinus, cùm non obseruasset eum iam Romæ cum Melchiade iudicem fuisse) sed alios episcopos, qui Arelati conuenerant. Porro si quis roget de tempore, quo Donatistæ non contenti suo Carthaginensi Concilio appellarunt Constantinum: in Optati libro primo scriptum est, Constantino IIII. & Licinio III. Coss. Romæ de hac causa iudicatum esse ab iis, quos Constantinus primùm iudices dedit. Augustinus verò habet, factum id esse Constantino tertium, & Luciano iterum Consulibus. Non dubium est, Luciano *mendosè scriptum esse pro* Licinio*: sed in Optato rursus mendosè scriptum esse existimo* IIII. *pro* III. *&* III. *pro* II. *sicuti in numeris facilis est lapsus librariorum. Vt autem magis probem, quod dixi, facit quod Augustinus in lib. contra Donatistas post Collat. cap. 33. ait sequenti anno Consules fuisse Volusianum & Anianum. Viuebat ergo etiamnum Diocletianus, sed iampridem*

abdicatus, cùm primum abs Donatistis appellatus est Constantinus. Nam Diocletianus mortuus est Volusiano & Aniano Coss. decimo anno post suum edictum de abolendis Christianorum libris. Vt autem toto illo decennio Donatus sui schismatis fundamenta iecit, sic nouem pòst annis haec causa Constantinum etiam fatigauit: quē August. postremo narrat, cū ipse Consul esset cū Crispo, literas dedisse, quibus Donatist. exiliū soluebat, & eorū furorē Deo relinquebat. Adeò Donatistarum factio coërceri reprimíue non posse videbatur.

Porrò tribus aut quatuor annis post datas illas nimium Donatistis indulgētes literas, Constantinus aduersus Arrium, de quo reprimendo magis sollicitus erat, coëgit Nicaenum Concilium, cui etiam interfuisse ipsum Cecilianum, Acta indicant: Ac quidem cum ex Libya & Thebayde plures eò venissent: tamen ex Africa tota hunc solum adfuisse, affirmauit etiam in quinta Synodo Benignus Episcopus Heracleae, vt eius Synodi Acta testantur. Caeterum Niceni patres cum toti essent in Arrianis refellendis, nescio quomodo Donatistas missos fecere. Neque tamen non aliquid de iis actum esse Niceae suspicor. Cur autem id suspicer, cum eorum neque Niceni canones, qui circunferuntur, neque acta, quae vulgò habentur, meminerint, multi fortasse mirabuntur. Sed in August. libris obseruaui, quod vulgò non obseruatur. Vt de Ecclesia, sic de Baptismo magna aduersus Donatistas quaestio fuit. Hi enim Carthaginense Concilium Cypriani opponebant, cum Baptismum aduersariorum, quos indicabant alienos esse ab Ecclesia, ratum non habebant, & propterea in suo coetu eum iterabant: quod & Arria-

nos fecisse testis est Ambrosius de Basil.traden. Quid Nicenum Concilium? In eo reprobatum fuisse quod placuerat Carthaginensi Concilio Cypriani Augustinus sæpe significat, cùm Carthaginensi huic Concilio prouinciali opponit Concilium (vt vocat) plenarium totius orbis & vniuersæ Ecclesiæ & omnium Gentium: quod quidem post Cypriani paßionẽ, antequam ipse Augustinus natus esset, conuenisse scribit lib.2. de Baptis. cap.9. sed de Niceno aliàs plura. Sed cum in Niceno Concilio actum sit de Nouatianis, & de Lapsis, & illis facilius quam his pœnitentibus venia data sit: tacitè de Donatistis & eorum dogmate, rursus actum satis esse videtur. Nunc Donati historiam & veluti tragœdiam persequamur.

Primus vt dixi Donatistarum Episcopus Carthaginensis, qui Cæciliano sese opposuit, & altare contra altare erexit, fuit Maiorinus. Huic succeßit Donatus alter, qui hoc schisma valde confirmauit. Nam & multa eum scripsisse ad suam hæresim pertinentia, testatur Hieronymus in Catal. Sed & eodem tempore Vitellium Afrum huius factionis acerrimum defensorem fuisse, Gennadius in suo catalogo illustrium scriptorum testis est. Interea verò Catholicum aliquem scriptorem Donatistas refutasse non legi. Credo nostros (vt dixi) in Arrianis refellendis totos fuisse. Ergo in Africa magis atque magis inualescebant Donatistæ: & verò Donatus ille Carthaginẽsis eò euasit, vt non modò tanquam aliquis Hannibal Imperatores Rom. superbè contemneret, sed & tanquam deus aliquis a suis coleretur, & per eius nomen, tanquam numen, iuraretur: denique illi Deus de cælo respondisse credere-

tur. Testes sunt Augu. & Opta. Sanè tamẽ Hierony. in suo Chronico, hunc Donatũ Carthagine tandẽ pulsum esse significat: licet mẽdosꝰ videatur index tẽporis, vbi annis triginta floruisse significat: tyrannum fuisse Optatus notat. Itaque tali duce incitati Donatistæ nihil non audebant. Ac quidem Arriani alicuius sui Imp. Constantij aut Valẽtis præsidio armati, audebãt in Cathol. sæuire: Donatistæ verò non modò non adiuuãtibus, sed etiã reclamãtibus Principibus statim imitati sunt Arrianorũ sæuitiã, cùm tamen non nisi suorũ Circuncellionũ audacia & furore septi essent. Ipse Imp. Cõstans ad eos coërcẽdos in Africã aliquando misit Macarium suum Præfectum, qui seuerè animaduertit in Donatistas. Sed talis animaduersio non potuit tollere insaniam, quæ animos multorum occupauerat: & Catholici maluissent sine armis agi, & ratione atque disputatione discuti errorem, qui præcipites Donastitas agebat, vt Optatus satis significat. Cæterum Donatistarum audaciam tandem armauit Iulianus Apostata, & iis Basilicas restituit, quas Constantinus antea abstulerat. Testis est Augustinus lib. 2. contra Petilianum, cap. 92. qui & sæpe testatur, illum Apostatam propterea laudatum esse à Donatistis. Memorabile autem est, quod Honorius Imp. edixit, rescriptum, quod abs Iuliano impetrarunt proposito programmate publicandum esse, vt Donatistarum desperatio fucata perfidia omnibus innotescat. l. 37. C. Th. de hæret. Vellem extaret etiamnum illud rescriptum. Sed qualecunque fuerit, Apostata fouebat quoscumque audiebat esse aut apostatas aut Ecclesiæ hostes.

Ergo magis atque magis Donatistæ insolescere cæ-

perunt. Donato autem Carthaginensi succeßit Parmenianus, qui suam rursus sectam nouis libellis propagauit atque confirmauit. Tum verò in Numidia excitatus tandem aliquis nostrorum est, qui illi responderet. Is fuit Optatus Mileuitanus Episcopus, qui testatur se illi rescribere & respondere, vt sit inter absentes quædam veluti collatio. Ac multos quidem desiderasse, vt ad eruendam veritatem, partium conflictus haberetur. Sed Donatistas & accessum prohibuisse, & aditus interclusisse, & consessum vitasse, & colloquium denegasse. Itaque non nisi per literas cum iis agi potuisse.

Post Parmenianum Carthaginensis Donatistarum Antistes fuit Primianus ille, qui abs suo Maximiano Diacono, quem damnarat, accusatus effecit, vt Donatistæ inter sese veluti committerentur, & nouo schismate suum schisma distraherent, alteráque pars alteram veluti discerperet: vt & Arrianos in plures sectas tandem dissectos fuisse accepimus. Ergo aduersus Primianum in vrbe Carthaginensi quadraginta tres Donatistæ antistites conuenerunt, qui suo eum preiudicio, vt ait Augustinus, prædamnarunt. Deinde alterum fuit Cubursußitanum plusquam centum eius generis Episcoporum Concilium, qui Primianum magis atque magis damnarũt. Testis est Augustinus lib. 5. contra Crescon. cap. 6. Integram autem & solẽnem eius Concilij sententiam recitat in Psal. 36. Et quidem ipsum Maximianum in vrbe Carthaginensi contra Primianum ab eiusdem erroris centum Episcopis ordinatum esse Augustinus ait in lib. de Hæres. Quo anno & consule factum id sit, minus liquet. Sed vtcun-

que tamen coniicere licet, cùm quidem paulò post secutum sit contrarium Concilium Bagaïtanum, idque conuenisse vno anno ante mortem Theodosii, Augustinus significet lib.3.contra Crescon.cap.56. Fuit autem hoc Bagaïtanum in Numidia Concilium trecentorum & decem antistitum Donatistarum, qui resciderunt sententiam contra Primianum pro Maximiano latam & illos centum, qui non Donatistæ, sed iam Maximianistæ vocabantur, malè iudicasse pronunciarunt, & Primianum in integrum restituerũt. Formulam sententiæ Bagaïensis recitat Augustinus lib.3.contra Crescon.cap.53. Est autem valde necesse, rem illam totam diligenter cognoscere. Nam & illud demum est, quo probat Augustinus Donatistas suo veluti gladio iugulatos esse: & in collatione Carthaginensi propterea id illis imprimis obiecit, & postea congressus in Mauritania cum Emerito, recitansque gesta Collationis auditores valde est obtestatus, vt attentè cognoscerent illam de Maximianistis historiam, quam & eo loco diligenter rursus exponit. Sanè cum in Collatione Carthaginensi Donatistarum veluti Dux & signifer fuisse dicatur Primian⁹ Carthaginensis eorum antistes: credo, eum ipsum esse quẽ defendit synodus Bagaïtana. Nam & inter hanc atque illam Collationem non nisi anni sedecim intersunt. Postremo obseruandum est Donatistas, vt sui Bagaïensis Concilij sententiam exequerentur, Theodosianam de hæreticis legem protulisse, cuius auctoritate, Maximianistas tanquam hæreticos expellerent aut coercerent. Atqui ea lex aduersus omnes Donatistas, vt & reliquos hæreticos lata erat, verum cum

ei non parerent Donatistæ, Maximianistas tamen obnoxios esse volebant, vt etiam occuparent eorum Basilicas. Ea lex erat, vt qui Ecclesiæ Catholicæ nõ communicarent, nihil Ecclesiæ nomine poßiderent, sed potius Vnitati id restituerent, vt ait Augustinus tractatu sexto in Ioannem, & libro 2. contra Petilian. Mitto alias Theodosii leges in hæreticos, quarum Augustinus sæpe meminit, & inter quas duæ nobilißimæ fuerunt duobus aut tribus annis ante Bagaïtanum illud Concilium latæ: Prior, quæ seuerißima est, lata Titiano & Symmacho Coß. extat in Cod. Iustin. l. 3. C. de Apost. Altera lata sequenti anno, hoc est, Arcadio II. & Rufino Coß. de multa decẽ librarum auri, extat in Cod. Theodos. Ceterùm & si vix vlla harum legum executio esset, Donatistæ tamen inuidiosè odiosèque clamabant, sese iniustè vexari, & suam causam non iure agi, sed vi opprimi. Ac quidem cum paulò post mortem Theodosij Gildo comes Africæ dux perduellium omnia misceret in Africa, vt suam tyrannidem stabiliret, præcipuus eius satelles Optatus quidem latrociniis infamis, sic sese dedit partibus Donatistarum, vt circumcellionum etiam furorem superare videretur, sicuti Augustinus huius Optati Gildoniani sæpe meminit. Sed ita agendo suam sectã magis atque magis infamabat, & (vt verbo Augustini vtar) maculabat. Ergo Donatistæ eo tempore potius vsi sunt Petiliano, qui ex causidico factus eorum antistes Cirtensis, & deinde Cæsariensis, acerrimus fuit suæ factionis patronus. Sed bene habet: incidit in Augustinum, qui, quo anno mortuus est Theodosius, factus Episcopus Hipponensis, fortis & aßiduus Ec-

clesiæ Catholicæ vindex fuit, & restitantes aduersarios tandem pertraxit ad Collationem: quæ optima esse visa est eorum conuincendorum ratio.

Nam annis propè cētum Donatistæ sic omnia permiscuerant, vt in Africa discerni vix posset quęnam esset Ecclesia, cum quidem altare contra altare passim erectum esset, & vtraque pars de Ecclesiæ titulo & possessione contenderet. Ergo iampridem multi optabant vt aliqua legitima disceptatione hæc quæstio definiretur, & populus id non minus quam res ipsa postulabat, Scimus *(inquit Augustinus,* in libr. post coll.) quàm multi vestrum & forte omnes, aut pene omnes dicere soletis, O si in locum vnum conuenirent! O si aliquando conferrent, & illis disputātibus veritas appareret! *Sed quam propterea Catholici optabant cum Donatistis congredi, tam congressum refugiebant Donatistæ. Augustinus in Epist. 166. ad Donatistas:* Vestri *(inquit)* Episcopi conuenti à nobis nunquam nobiscum pacificè conferre voluerunt, quasi fugientes cum peccatoribus loqui. *Sane cum aliquando diceretur quidam Episcopus Donatista, dixisse velle se bonis viris sedentibus conferre cum Augustino. Augustinus nihil non fecit, vt ei vltro occurreret, atque etiam currentem incitaret, Epist. 47. Denique cum non impetraret, quod tantopere optabat, curat vt clerici sui Hipponenses Ianuarium Carthaginensem Donatistarum Archiepiscopū sollicitent. Extat eorum epistola, quæ inter Augustini epistolas est 68. Ea autem imprimis vrget, vt queniam iam olim in hac causa appellatus est Imperator, huius auctoritate*

tate

tate instituatur publica Collatio: quia & ille demum sit, qui cùm legibus iam latis non teneatur, liberius poterit & collationem indicere, & de re tota statuere: cùm Præfectis, qui legibus iam latis seruiunt, tantum non liceat. Et quia Donatistæ eo, quem dixi, prætextu recusarunt cum nostris congredi: Hipponenses Clerici eò se demittunt, vt etiam allegent christū ipsum cum diabolo de lege locutum esse: & cum Paulo non solùm Iudæos, sed & Epicuræos contulisse. Donatistæ rursus excipiebant, Dialecticas disputationes non conuenire Christianæ religioni, & Augustinum nihil aliud esse quàm contentiosum disputatorem, qui fugiendus potius & cauendus, quàm refellendus reuincendúsque esset. Quid huic cauillationi responderit Augustinus, legi potest primo eius libro contra Cresconium. Idem libro quarto, Studium (*inquit*) pro veritate certandi, quia sæpe voluimus cum vestris conferre, vt errore sublato, fraterna charitas pacis vinculo necteretur, contentionis & animositatis vitioso nomine reprehendis. *Sed notat hoc Donatistas obtendisse, quia (vt ait) mallent causam malam cooperire excusatione, quàm disputatione finire. Et in eodem libro,* Puto (*inquit*) quod facillimè intelligas, non deuitandæ contentionis causa, quæ nulla est, cum veritas quæritur, vel non pro vana gloria litigatur, sed causæ malæ diffidentia, vos nobiscum nolle cōferre.

Prima Augustini, necdum Episcopi, sed tantùm presbyteri publica huius generis conflictatio fuit duobus diebus cum Fortunato Manichæo in vrbe Hipponensi. Aderant notarij, qui singula exciperent atque

consignarent. Populus auditor erat disputationis. Sed alioqui nullus iudex aderat. Etsi autem planè conuersus non fuerit infelix ille Fortunatus: at saltem perculsus in eo certamine fuit.

Altera in eadem vrbe fuit tribus diebus Augustini disputatio non dissimilis cum Felice Manichæo: sed exitu feliciore. Acrior fuit & celebrior eodem in loco cum Maximino Episcopo Arriano, sed minimè eodem successu. Extant harum Collationum acta in libris Augustini. Fuit & alia cum Pascentio Comite Arriano in vrbe Carthaginensi: sed prima eius coïtio molestior fuit, quia aduersarius notarios consignatores adesse principio nolebat, pactísque conuentis minimè stabat. Tandem tamen legem Collationis accepit, neque solùm notarios adhiberi passus est, sed & Laurentium quondam iudicem tulit, & ab eo sententiam ferri non recusauit. Testis est Augustinus epi. 174. & 178. Sed nulla vel vtilior vel nobilior tametsi fuerit de quæstione minus subtili, & magis populari, quàm cum Donatistis Collatio fuit. Ac iam anteà priuatim & obiter Augustinus cum Fortunio quodam Donatista Episcopo congressus fuerat in populari quadam turba. Cúmque hæc suo strepitu ipsos quoque notarios exceptores interturbaret, & disputatio propterea abrupta fuisset, rogarat Augustinus epist. 163. vt in aliquo recessu tuto & tranquillo hæc peragеretur. Sed multò magis quod optabat, impetrauit, cùm instituta fuit collatio Carthaginensis, Possidius, qui interfuit, scribit eam potissimum ab Augustino procuratam fuisse magno cum Ecclesiæ bono, adiuuante (vt ait) gloriosissimo & religiosissi-

mo Imperatore Honorio, qui ad id perficiẽdum etiam à suo latere Tribunum & notariũ Marcellinum, in Africam, iudicem misit. Nempe ex consilio Augustini miserant catholici *Afri legatos in Italiam ad Honorium, qui hoc postularent. Videbant enim sine principis auctoritate atque presidio, neque conuentum talem indici, neque aduersarios ad eum cogi, neque vt disputationem non eluderent, contineri posse. Sanè vt* Constantinus *ciuilibus concilijs ciuitatum & prouinciarum Africæ, liberam tribuerat potestatem, vt sua desideria ad principem deinde referrent. l.1. C. Th. de legat. & dacr. legat. Sic Theodosius & Honorius descripserunt formam talium conciliorum prouincialium & extraordinariorũ l.12. & 13. C. Th. eod. tit. Sed iam agebatur de desiderio Ecclesiæ Africanæ, & de auctoritate conuentus aut concilij Ecclesiastici.*

Ne quis autem miretur causam hanc Ecclesiasticam ad Principes relatam, & ab his eius cognitionem magistratui ciuili demandatam esse, meminerit extraordinarium quoddam & singulare exemplum fuisse propter necessitatem, quæ legem non habere dicitur: proptereáque ad consequentiam trahi non debere. Id ipse Augustinus *indicat libro tertio contra Iulianum. Pelagiani post Episcoporum concilia Prouincialia, prouocabant ad nescio quam (vt vocant) æcumenicam synodum, & ab Imperatore literas eo nomine impetrarant. Catholici id recusant, cùm intelligerent id peti non minus insidiosè quàm ambitiosè. Pelagiani obiiciebant exemplum, de quo agimus. Augustinus iis respondens,* Nec verò *(inquit)* vos

& alios decipiatis, velut talem vocem habentes aduersus nos, qualem nos aduersus Donatistas, quos ad Collationem nobiscum venire per imperialia iussa compulimus. Illorū enim furor occupauerat Africam totam, nec prædicari à Catholicis veritatem contra suum patiebantur errorem, violentis aggressionibus, latrociniis, rapinis, ignibus, cædibus, multa vastantes, cuncta terrentes. Cum quibus apud Episcopos, quos communes non habebamus, nihil agere poteramus. Quod verò aptè cētum fermè annos Maiores nostri cum iis egerant, iam populorum memoriam non tenebat. Hæc igitur necessitas compulit, vt saltem gestis nostra Collatione confectis, eorum contunderemus inuerecundiam, & reprimeremus audaciam. *Hæc ille. Et si autem hoc genus collationis quodammodo extraordinarium fuerit, & in Africa magis quàm alibi, fuerit vsitatum, tamen memini Epiphanium scripsisse non dißimilem disputandi præsentibus notariis, qui gesta exciperent, potestatem cōcessam ab Imp. Constantino fuisse Photino hæretico iam alioqui in Sardicensi synodo damnato: & quidem inter auditores eius disputationis & arbitros abs Constantino datos, Epiphanius numerat quendam Marcellinum. Fuit autem illa inter Photinum & Basilium Ancyranum Collatio de quęstione multò subtiliori, quàm quæ cum Donatistis habita est. Nam caput, hoc est, christū ipsum oppugnabat Photinus: Donatistæ verò non nisi corpus, hoc est, Ecclesiam. Adde, contra Donatistas fuisse quandam ve-*

luti mixtam causam, cui etiam inerat quædam ciuilis quæstio facti de Ceciliano & eius ordinatore Felice: quàm & ipsi Donatistæ olim priores retulerant ad Constantinum, quàmque hic Imperator partim suis in Africa Præfectis, partim Ecclesiasticis in Gallia & Italia Antistitibus mandarat. Postea creuit Donatistarum intemperies, qui pro offensione iactabant victoriam, neque tamen in ius siue ad Collationem trahi poterant nisi imperio magistratus: quique in Collatione, vt ad rem venirent, cogi non poterant, nisi eiusdem potestatis præsidio & auctoritate: denique quorum furor militaris & Circuncellionum gladiis armatus coërceri non poterat, nisi terrore Principali. Erant mirabiles pragmatici, magisque versipelles & versuti calumniatores, quàm vlli vnquam fuerint in suo foro causidici. Erant etiam gladiatores magis sanguinarij, quàm vlli in castris educati milites, qui non ex iure manu consertum, sed mage ferro (vt ait Ennius) rem repetunt. Et verò ni Marcellinus aliquis cum sua Apparitione adfuisset periculum erat, ne collationem efficerent, qualis paulò post mortem Augustini fuit Ephesina illa furiosa synod⁹, quę ληςρικὴ appellata fuit. Certè non dubitassent Augustinum tractare, vt in ea synodo Flauianum tractarunt Nestoriani. Quid enim? Posidius, bonus imprimis auctor, narrat, Donatistas, cum ad moderatam disputationem prouocarentur, furiosè exclamasse, Augustinum tanquam lupum esse opprimendum, & eos, qui eum trucidassent, abs Deo veniam facile impetraturos esse. Credo, propter has causas Honorium voluisse suum Marcellinum cum armata Appari-

tione adesse huic collationi. *Alioqui sanè voluisset Augustinus tale præsidium abesse. Nam & in epist. 203. cùm Donatistas prouocat,* Cessabit *(inquit)* à nostris partibus timor temporalium potestatum: cesset etiam à vestris partibus terror congregatorum Cicuncellionum. *Et in epist.* 173. *prouocans Crispinum Donatistam ad collationem,* Mappalienses *(inquit)* ambos nos audiant, ita vt scribantur quæ dicemus, & à nobis scripta eis Punicè interpretentur, & remoto timore dominationis eligant quod voluerint.

Denique prospiciebat quod catholici meritò exprobrarunt improbo illi Ephesino & armato concilio, quod reprobabāt. Nam fuit hæc eorum, qui Flauiani causam posteà egerunt in Chalcedonensi Synodo, exceptio, Vbi gladij & fustes, qualis Synodus est? *Interea patres qui ad Chacedonensem Synodum conuenêre, cùm metuerent Eutychianorum tumultus & arma, rogarūnt per legatos Leonis Papæ Imper. Martianum, vt adesset ad vim inhibendam, alioqui sine tali præsidio nolle se conuenire dixerunt & protestati sunt, vt testis est Liberatus Carthaginensis cap. decimo tertio.*

Postremo & illud obseruandum est, vt Donatistæ actum agebant, sic Marcellinum iuris minimè aut noui aut dubij arbitrum fuisse: & facti potius quàm iuris fuisse quæsitorem, & quidem cognitionem illi potius quàm iurisdictionem mandari: denique iudicem cum formula dari: vt olim rerum priuatarum iudices priuati à Prætore dabantur. Sed neque hîc sedere voluit Marcellinus, nisi si aßiderent collocutores: cum

tamen in iudicio ciuili solus sedeat iudex: stare autem iubeantur litigatores. Denique protestatur, quod Constantinus in Niceno concilio protestatus erat sedens in imo subsellio. Et tamen ut collatio diuersa fuit abs forensi aliquo iudicio, sic & ab Ecclesiastico concilio, in quo potius iudices sunt Antistites. Quàm autem demissè, temperanter, modestè, hîc se gesserit Marcellinus, Acta ipsa melius ostendent. Nullam autem hîc fieri mentionem Episcopi Romani, non mirabitur, qui, quæ iam dixi, expendet. Eum certè reuerebantur & obseruabant Afri, tametsi in concilio Mileuitano & Carthaginensi, cùm suam in utroque sententiam de Pelagianis ad eum retulissent, dicantur transmarinas alioqui appellationes inhibuisse. Sed neq; prætereundum est quod obseruant, quo tempore hæc collatio postulata est, eo tempore Innocentium Episcopum Rom. Vrbe abs Gothis capta longè aliud domi habuisse quod ageret. Et quid si dicam eum Honoriano rescripto mandatæ collationis veluti subscripsisse? Certè Orosius narrat eum Rauennæ fuisse, quo tempore Romani inuaserunt Gothi. Si tunc Rauennæ fuit, fuit cum Imp. Honorio. Adiiciã qđ magis mirari aliquis posset, Felicem quendam, qui se vrbis Romæ Episcopum esse iactabat, in hac collatione cum Donatistis fuisse, Acta significant, vbi & Romana nescio quæ Nobilitas simul adesse dicitur. Sed suspicor aliquem Donatistam pseudepiscopum, qui Romæ suis Donatistis Montensibus (vt ibi appellabantur) præfuerat, vrbe capta, Gothos fugiẽtem cum suis in Africam traiecisse, & sese collationi Carthaginensi, in quam fortè incidit, cupidè & ambitiosè

immiſcuiſſe. Nam & Donatiſtis tempeſtiuè ſummiſſum videbatur tale auxilium.

Porrò cùm audimus Marcellinum Tribunum & Notarium præfuiſſe huic collationi, intelligimus virum ſapientem & religioſum, & poteſtate magna præditum magiſtratum dico ſpectabilem & clariſsimum (nam hiſce titulis ornabantur Tribuni Notarij, & Auguſtinus ipſe in epiſt. 159. & 160. ijs ornat hunc Marcellinum) operam dediſſe huic cognitioni. Tribunus etiam & Notarius fuiſſe dicitur Dulcitius ille, cui poſteà in Africa demandatam quoque fuiſſe curam legum & iuſsionum Imperalium contra Donatiſtas ſcribit Auguſtinus. Et Ambroſius in epiſt. 32. ait miſſum ad ſe eſſe ab Imper. Valentiniano Dalmatium Tribunum & Notarium, qui ad cōſiſtorium euocaret Ambroſium in cauſa Religionis. Omitto, Claudianum Poëtam eius temporis, Tribuni & Notarij titulo ornari in Epitaphio, quod Romæ in foro Traiano proſtabat. Extat lib. xij. cod. Titulus vij. de Primicerio & Notariis, vbi & de Tribunis Notariis agitur. In Theodoſii lege ſcriptum eſt. Præcipua eſt noſtræ pietatis intentio circa Notariorum nomen. *Deinde in lege Leonis Imp.* Præclaram nobilémque militiam ſpectabilium Tribunorum Notariorum, diuerſis beneficiorum titulis muniendam credimus & augendam. *Videntur hi Notarij fuiſſe, qui nunc dicuntur Secretarij Regum, in Gallia. Theodoſius in l. 12. C. de excuſ. mun. Notarij (inquit) noſtri à ſordidis muneribus excuſentur. Qualis autem quantuſq; vir fuerit hic Marcellinus, quàm æquus arbiter, quàm moderatus index, ipſa huius*

collationis acta melius indicant. Dicerem quod Orosius dicit, virum imprimis prudentem fuisse & industrium, omniúmq; bonorũ studiorum appetentißimum. Sed vnius Augustini testimonio contentus sum, vt intelligam virum magnum, & Iurisconsultum minimè prophanum fuisse. Scripsit Augustinus ad eum non solum libros de peccatorum meritis & remißione contra Pelagainos, & de spiritu & litera: sed & eruditißimos illos de ciuitate Dei, inchoatos paulò post vrbem captam, hoc est, circa tempus collationis Carthaginensis: sed & epistolas duas v. & vii. *ex quibus apparet, in media Reipub. gubernatione Marcellinum de religione imprimis sollicitum fuisse, & subtilißimas etiam in eo generequæstiones intellexisse: imò quẽdam veluti* ἐργοδιώκτην *fuisse, qui Augustinum incitaret. Adde eiusdem Augustini ad eum epistolas duas,* CLVIII. & CLIX. *vbi quoq; scriptum est, causas ecclesiasticas eius excellentiæ potißimum iniunctas fuiße. Non erat, vt ille apud Ciceronem ridiculus L. Gellius, qui cùm in Asiam iturus, Athenas venisset, putauit sese statim omnes omnium Philosophorum, quos ad se vocauit, cõtrouersias obiter definire posse, cùm tamen ne eas quidem intelligeret. Noster Marcellinus non diuini minus quàm humani Iurisperitus erat. Et verò tales Iurisconsulti, tales (inquam) politici viri, tam digni sunt, quibus hæc cura mãdetur, quam huius temporis prophanos nescio quos Vlpianos, religionis irrisores & proculcatores, potiùs quàm procuratores, Ecclesia Christi meritò execratur. Augustin⁹ epist. 50. ad Bonifacium Comitem,* Laudo (*inquit*) & gratulor, & admiror, fili di-

lectissime Bonifaci, quod inter curas bellorum & armorum vehemẽter desideras ea nosse, quæ Dei sunt. *Sed quanto magis id dicere potuit de Marcellino togato? Extat & Hieronymi epistola ad hunc Marcellinum, quæ testis est hunc virum subtilissimas Ecclesiæ quæstiones, veluti de origine animæ solicitè proposuisse, & ad discendum magis paratum fuisse quàm erat Hieronymus ipse ad respondendum: ac ne hoc quidem studium remisisse in media Reip. perturbatione, cùm Hieronymus ei rescribens, fateatur sese vrbis Romæ vastatione confusum non posse literis operam dare.*

Nolo hoc loco præterire, quod ipse Augustinus in lib. post collat. cap. 24. *ait Donatistas à Primate suo per Tractoriam fuisse euocatos. Tractoria verbum est iuris nostri, sicuti & in eadem propè significatione,* Euectio, *quo etiam verbo vtitur Augustinus lib.* 5. confess. *Significat autem libellum vel diploma vt missis aut euocatis detur viaticum de publico, & vt vti possint cursu publico. Extat lib.* xii. *cod. Titul. de Tract. vbi interpres præterea refert quoddam fragmentum cuiusdam edicti Constantini facientis mentionem Tractoriarũ & Euectionis publicæ dandæ Donatistis propter causam* Ceciliani. *Superest vt quæramus, quo anno habita sit* collatio *Carthaginensis. Quod quidem quò magis necesse sit imprimis rescire, tantò magis miror nusquam ab Augustino expressum aut notatum esse. Nec spes vlla erat, aliunde id posse intelligere. Sed tãtò magis mihi gratulatus sum, cum in Actis manuscriptis, atque adeo statim in prima pagina legi habitam esse* P.C. Varanis Kal. Iun.

Sic tandem intellexi habitam eſſe Kalendis Iunij, poſt cõſulatum Varanis, hoc eſt, anno CHRISTI *quadringenteſimo vndecimo, poſt captam vrbem Romam proximo. Sanè anno* CHRISTI *quadringenteſimo decimo Kalendis Ianuarij, nulli fuiſſe dicuntur creati Cõſules Ordinarij, & propterea in quibuſdam Faſtis reperio eum annum hoc modo notari P. C. Imp. Theodoſij Iunioris A.* iii. *& Imp. Honorij A.* viii. *Sed tamen conſtat eo anno, Kalendis Februarij in Oriente creatum eſſe Varanem Conſulem, Romæ verò circa Kal. Iulias Tertullum. Et propterea in chronico Proſperi & Caßiodori ſcriptum eſt, Varane & Tertullo coſſ. captam à Gothis Vrbem Romam fuiſſe. Sed Tertulli rarior & obſcurior fuit memoria. Itaque in chronico Marcellini ſcriptum eſt, Varane ſolo coſ. captam illam fuiſſe. Scio huius nominis variam eſſe ſcripturã. Nã modò hũc Varonẽ, modò Vararim, modò Varanũ nominari audio. Puto tamen rectius Varanẽ.*

Sequenti anno fateor Theodoſium A. iiij. *coſ. indicari in chronico Proſperi, Caßiodori & Marcellini. Sed Proſper addit Varanem non ſolum Vrbe à Gothis capta ſolum fuiſſe Orientalium partium Conſulem, ſed & in ſequenti anno obſeruatum id eſſe. Ergo in Actis quæ dixi, ſcriptum eſt* P.C. *Varanis, hoc eſt, Poſt conſulatum Varanis, ad indicãdum eum annum qui ſecutus eſt illius Conſulatum.*

Captam à Gothis fuiſſe Vrbem Romam ix. *Kalen. Septemb, verius eſt. Eodem autem anno paulò pòſt ab Imp. Honorio indictam & imperatam fuiſſe Collationem Carthaginenſem obſeruaui, quia eius hac de re reſcriptum extat in illis, quæ dixi, Actis, quod datum*

dicitur Rauennæ pridie Idus Octobres. Consul non a-scribitur, negligentia librarij. Sed ascribi potest debetque, Varanes. *Sic quod in hac Historia imprimis quærebatur, & aliunde cognosci non poterat, liquet de tempore Collationis: quod quidem tantò diligentiùs inuestigaui, quia & maximum operæprecium sit imprimis obseruare tempus, quo Honorius ab Afris Catholicis tam valde interpellatus est contra Donatistarum intemperiem. Desidebat Rauennæ in summa rerum suarum non solùm perturbatione, sed etiam desperatione, præsertim iam mortuo Stilicone. Gothi Romam ceperant, totámque Italiam euastabant, omnibúsque Imperij Rom. prouinciis imminebant. Neque tamen propterea infelix attonitúsque Honorius non audit Ecclesiæ Africanæ preces. Multas & ipse paterno exemplo iam leges tulerat aduersus Donatistas. Sed tam suas quàm paternas leges veluti suspendi patitur, cùm audit aliter cum Donatistis nunc agendum esse. Aliquot ante annis edixerat quod ad earũ executionem pertinebat, ne eas Donatistæ putarent refrixisse aut saltem tepuisse, vt loquitur in l. 46. C. Th. de Hæret. Sed & eo quoque tempore iusserat, vt publicè proponeretur quod in Africam miserat Edictum de vnitate l. 2. c. Th. de relig. Verum Donatistarum schisma solis Edictis tolli non posse audiebat: & Africanæ Ecclesiæ tamen vnitatem omnibus modis restitui optabat.*

Denique Ecclesiæ illius curam maiorem gessisse videtur, quàm suæ Romæ atque Italiæ. Qua in re facilè admirabilem Dei prouidentiam agnoscet, qui quanta huius principis alioqui siue socordia, siue ignauia, siue

(vt Ciceronis verbo vtar) non curantia, quantáque eorum temporum confusio fuerit, recordabitur. Nempe fecit Deus, vt Honorius hic audierit viros bonos, & ab iis sibi dictari passus sit rescripta, quæ consignaret. Ergo in mandato huius Collationis diceres Theodosium potius quàm Honorium loqui. Ambrosius ait, Theodosium, magis de Ecclesiæ, quàm animæ suæ salute sollicitum fuisse. Non dicã Honorium filium fuisse omnino eiusdem animi. Sed in hac saltem Donatistarum causa fecit, quod pater fecisset: & edicta emisit plena paternæ pietatis. Viuo Stilicone solebant multi calumniari leges, quæ in Africam mittebantur, tametsi Honorij nomen præ se ferrent, tamen magis abs Stilicone, quàm abs Theodosii filio mitti, vt Augustinus narrat epist. 129. Nunc mortuo Stilicone dici tale aliquid non potuit. Idem Augustinus epist. 166. scribit Donatistas conquestos esse de legibus filiorum Theodosij. Sed ipse respondet nihil eas aliud quàm repetere atque confirmare iudicium Constantini, Valentiniani, Gratiani, Theodosij: simúlque detestatur Iulianum Apostatam, qui (vt ait) permiserit libertatem perditioni partis Donati, cùm eo modo putaret Christianum nomen posse perire de terris, si sacrilegas dissensiones liberas esse permitteret. Donatistæ contrà hoc nomine prædicabant Iulianum illum, & apud eum solũm solam iustitiam locum habere propterea iactabant. Augustinus nihil iniustius, nihil indignius, nihil perniciosius esse ait. Et quæ *(inquit)* pe-ior mors animæ, quàm libertas erroris? *Intereà tamen ne Donatistæ queri possent, aut sibi iniuriam fieri, aut sese inauditos damnari: placuit, rursus in*

Collatione tandiu audiri, quandiu vellent: & interea liberos esse. Sed alioqui semper in Africa permittere altare contra altare, maiorem Ecclesiæ deformitatem esse iudicauit Imp. Honorius, quàm eo tempore Romæ erat in vrbis euersione atque vastitate.

Nunc veniendum est ad Acta, siue (vt appellabantur) gesta Collationis: quæ quidem olim studiosè excepta, conscripta, collatáque fuerant, sed temporis iniuria, posteritatísque neglgentia interciderant. Ergo cùm nuper maiorem melioremque eorum partem, beneficio Io. Tilij nactus essem, existimaui magnum mihi quendam thesaurum oblatum esse. Nam etsi ex Augustino summa capita facilè repetere liceat: tamen multa, quæ ille præterijt, desiderabam, & memineram quàm valdè olim Ecclesia voluisset integra hæc Acta legi, eorúmque memoriam conseruari. Nam & ipse Augustinus in lib. de gestis cum Emer. narrat, apud omnes (vt ait) diligentes Ecclesias Africanas quotannis ea à capite ad finem vsque ordine recitata fuisse, quo tempore populo maximè integrum erat audire. Fateor non modò leptologica, sed & propè battologica posse videri: quia recitentur omnes Donatistarum cauillationes, ac ne verbum quidem vllum prætermittatur. Sed Ecclesiæ & Reipub. interfuit, singula eo modo conscribi atque exponi. Et tamen ne eorum fortè longitudo lectores deterreret, Augustinus epitomen etiam conscripsit, quam vocauit Breuiculum: & rursus eadem de re scripsit in lib. post Collat. & denique ex synodo Cirtensi eandem narrationem repetit, epist. 152. quam quidem epistolam indicat, cùm ad Marcellinum scribens de hisce suis laboribus in epist. 158.

Mihi (*inquit*) fuit Breuiatio gestorum Collationis nostræ satis operosa, cùm viderem neminem velle tanto aggeri literarum legendo se committere: sicut mihi fuit etiam epistola ad ipsos laïcos Donatistas de hac eadem Collatione nostra. *Scribit autem ad Marcellinum, vt publicentur gesta in causa quorundam crudelium Donatistarum in iudicio conuictorum. Nam & talia recitari per omnes Ecclesias optat non minus quàm gesta ipsius Collationis. Adeò historia Donatistarum visa est digna, quæ inculcaretur. Obiter autem admoneo, falli Erasmum, qui in argumēto eius ad Marcellinum epistolæ annotat, Augustinum ab Marcellino petere, vt quæ aduersus Donatistas in Concilio Episcoporum decreta sunt, publicētur. Certè in Concilio Episcoporū non decernebantur quod pro tribunali Marcellini. Porrò vt gaudebat Augustinus Marcellinum Collationis cognitorem fuisse, sic & Bonifacium Comitem optabat eius historiā cognoscere. Itaque ad eum scribens epist.* 50. Quoniam (*inquit*) valde prolixa sunt gesta, & tibi aliis rebus Romanæ paci necessariis occupato, multum est vt legātur, breuiarium eorum tibi legi poterit. *Quid multis? Existimauit in iis sitam esse Ecclesiæ victoriam. Itaq; in epist.* 204. *ad quendam Donatistam*, Præstitit (*inquit*) misericordia Dei, vt & nos & Episcopi vestri tam frequenti numerosóque conuentu Carthaginem veniremus, atque inter nos dè ipsa dissensione ordinatissimè cōferremus. Gesta cōscripta sunt: nostræ etiam subscriptiones tenentur. Lege, vel patere vt tibi legantur: &

tunc elige quod volueris.

Sanè cùm nuper incidissem in Acta Concilij Constantinopolitani secundi, quod Iustiniani nostri tempore fuit, & quintum œcumenicum esse dicitur, & in iis forte occurrisset quoddam caput tanquam fragmentum Gestorum Collationis Carthaginensis, quod tum in illo Orientali Concilio prolatum fuit annis plusquam centum & quadraginta posteaquam fuerat scriptum in Africa: existimaui me nactum esse aliquid, quod minimè in hoc commentario negligendum esset. Est autem eiusmodi. Ex Gestis, quæ apud Marcellinum V.C. Tribunum & Notarium acta sunt, cap.clxxxvij. Augustinus Episcopus Ecclesiæ Catholicæ dixit: Non in hominibus spes ponenda est Ecclesiæ, si boni sunt, neque si mali sunt, iudicanda est Dei Ecclesia periisse. Sed tamen ipsorum causam tanquam fratrum nostrorum suscipimus: &, si nobis ostendi potuerint criminosi, hodie illos anathematisam⁹: non tamen propter illos Ecclesiam à Deo promissam & exhibitã deserimus & relinquimus.

*Hoc fragmentum & cap.*clxxxvij. *Gestorum Collationis deerat etiam in Tiliano exemplari, quod multis aliis modis mancum & mutilum est. Sed intereà dum expectabimus, vt aliquando integra illa Gesta reperiantur & edantur, præcipuam partem huiusce Collationis exponamus.*

Ac imprimis quidem obseruo magnũ & celebrem fuisse Conuentum cum Catholici Episcopi ducenti & octoginta sex, Donatistæ verò ducenti septuaginta nouem cõuenissent. Et tamen paulò antè multò plures

Donatistæ

Donatistæ cōuenerant in Bagaïensi Concilio aduersus suos Maximianistas, alteram Donatistarum sectam. Adeo in Africa inualuerat Donati sobòles: neque non de sua multitudine illi gloriabantur non minus quàm aliàs de sua paucitate. Augustinus vanitatis eos redarguere vult, quia iactarent sese esse plusquam quadringentos in Africa antistites. Sed si suos Maximianistas sibi adiungi patiebantur, reuera erant plusquàm quadringenti. Maximianistas autem, qui non minus optabant huic Collationi interesse, quàm reliqui Donatistæ eam refugiebant, non modò Donatistæ reiecerunt, sed & Catholici exclus erunt. Cur id factum sit, indicat Augustinus in libro tertio contra Iulianum. Cupientes (*inquit*) exiguitatem suam nomine saltem certaminis consolari, & ideo videri aliquid apud eos, quibus cōtēptibiles erant, quia inire nobiscum sinerentur examen interpellentes eos & libellum dantes prouocantésque contempsimus. Magis enim de certamine nominari desiderabant, quàm formidabant in certamine superari: nec sperabant victorię gloriam, sed famam requirebant Collationis, quia multitudinis non habebant. *Hæc ille: qui inde probat non esse consequens, vt qui conferre in aliquo iudicio volunt nec sinuntur, putari debeant de veritate confidere: ídque obijcit Pelagianis, qui cùm iam damnati in Concilio Episcoporum fuissent, iactabant quasdam literas Imperatorias, ex quibus ad nouam Collationem Catholicos prouocabāt, eámque Catholicis recusantibus, victores se esse stolidè gloriabantur.*

Porrò quàm vltrò sese offerebant Maximianistæ, qui repulsi sunt, tam reliqui Donatistę, qui restitabāt, inuitabantur: & vt in his euocādis cogendísque multum negocij fuit: sic etiam, cùm iam venissent, in pertrahendis ad Collationem: eius licet æquissimæ cōditiones proponerentur. Lepidum autem est, quod cùm Marcellinus in suo Secretario siue auditorio, honoris causa, rogaret Donatistas, vt sederent, sicuti Catholici sedebant: illi recusando responderunt scriptum in Psalmo 36. esse, Cum impiis non sedebo: *appositè verò nostri replicarunt, iam eos tamen fecisse, quod in eodem Psalmo Dauid subijcit:* & cum iniquis non ingrediar. *Sed addendum erat, quod in eodem Psalmo Dauid adijcit, sese ita odisse impiorum societatem, vt tamen propter eos non sit deserturus tēplum aut altare Domini. Et certè mirum est, Donatistas nimis ineptè morosos stare quàm sedere maluisse, cùm illud reorum, hoc iudicum sit. Imò cùm reus sedere iubebatur, absolutus esse intelligebatur. neque alia absolutionis formula vsi erant eorum Maiores in primo illo suo Cirtensi concilio, cuius anteà mentionem feci. Fuit profectò incredibilis quidam fastus horum hypocritarū. Sed factum est iusto Dei iudicio, vt honorem nimis liberaliter ijs oblatum, quo indigni erant, recusarent. Optatus lib.* 1. *narrat indignè etiam tulisse, quòd Fratres à Catholicis appellarentur: & multis post annis atque adeò in ipsa Collatione hanc nostrorum humanitatem superbè respuerunt. Augustinus lib.3. contra Gaudent.* An (*inquit*) irasceris, quia te fratrem voco? Hoc enim nomen à nobis etiam in nostra Collatione respuistis. &c.

Cum multa sint in gestis huius Collationis singulariter obseruanda, tum verò illud memorabile est, quod catholici, vt Donatistis vterentur æquioribus, non recusant iniquam vltro subire conditionem, aduersariis verò deferre vtilem. Offerunt enim, si in hac Collatione vincantur, sese abdicaturos, vt verbo Romano vtar: sin vincant, nihilominus vt victis aduersariis integrum sit non abdicare: sed victores iis resipiscentibus communicent honorem & dignitatem muneris Episcopalis, vt in eadem Ecclesia duo tolerentur Episcopi, tanquam Collegæ, & vt olim Romæ Consules: sed ita, vt sit inter eos quadã (vt Græcorum Iuriscõsultorum verbo vtar) ἀλληλοκληρονομία, & quoddam veluti ius accrescendi: vt qui prior decedet, socium relinquat Episcopum tanquã hæredem in solidum. Sanè Canon Niceni Concilij prohibebat duos in vna vrbe esse Episcopos. Nam prospiciebat incõmoda talis societatis, & vt Romæ non nisi vnus erat princeps Senatus, quamuis essent Consules duo: sic visum fuit, Collegio presbyterorum non nisi vnum esse præficiendum. Sed, vt id placuit, pacis fouendæ causa: sic etiam vbi Conciliationis ratio visa est postulare, vt duo tolerarẽtur, cùm alter expelli vix posset Canonis finem & sententiã potius quàm verba intueri oportuit. Sanè tamen cùm Augustinus passus esset sese Valerij Episcopi Hipponensis Collegã creari, vt esset veluti Coëpiscopus: ignotum sibi Canonem Nicenum fuisse dixit. Et propterea Possidius narrat, eum, cùm Episcopus esset, publicè recitari sæpius Canones Nicenos voluisse. Sed hæc ex Ecclesiæ vsu atq; vtilitate æstimanda atque metienda esse nemo nega-

uerit, vt vbi iusta causa postularet, ille Canon cedat. Qualis causa esse visa est, vt Donatistis antistitibus, quos ambitio retinebat, obijceretur spes aliqua honoris, si resipiscerent: detraheretúrque timor infamię & ignominiosæ abdicationis, si ad Ecclesiam Catholicam redirent. Nam & ipsi quoque Niceni patres cùm agerent de Nouatianis, id tribui posse confeßi sunt. sed & Arrianis, qui iam aliquot annis Ecclesiæ gubernationem in Oriente occupauerãt; & de ea possessione si sanari nollent, decedere abs Theodosio iubebantur, non dißimilis conditio fuit oblata: quo etiam tempore Meletius Episcopus Antiochenus, pacis retinendæ causa, Paulino, qui separatos alioqui habebat suos cœtus non dißimili prætextu quo Donatistæ, obtulit, vt conciliatio fieret, societatem sui episcopatus, ea lege, vt altero mortuo, alter qui superstes esset, in solidum Episcopus maneret. Quid moror? Augustinus in epist. 163 narrat, cùm Melchiades Rom. Episcopus ex sententia suorum Collegarum damnaret Donatum, Donatistis, qui resipiscere vellent, ita pepercisse, vt sanitatis recuperandæ (inquit Augustinus) optionem liberam iis fecerit, paratus communicatorias literas mittere etiam iis, quos à Maiorino ordinatos esse constaret: ita vt quibuscunque locis duo essent Episcopi, quos dissensio geminasset, eum confirmari vellet, qui fuisset ordinatus prior: alteri autem eorum plebs alia regenda prouideretur. De hac Melchiadis sententia loquens Augustinus exclamat, Quàm innocens? quàm integra? quàm prouida atque pacifica? O virum optimum! ô filium Christianæ pacis, & patrem Christianæ plebis! *Idem Augustinus*

epist. 50. eandem historiam recitat, & simul significat catholicos hoc deinde exēplum secutos esse in recipiendis Arrianis, qui, cum resipiscerent, clerici & Episcopi, vt anteà fuerant, in eodem ordine manerent. Narrat etiam id tam displicuisse Lucifero, vt propterea desciuerit ab Ecclesia. quod & narrat Hieronymus contra Lucifer. Sed iniusta schismatis causa hæc esse nostris visa est. Illud nūc inculcare volo, Melchiadis illius iudicium secutos paulò post esse Nicenos quoque Patres, cùm de Nouatianis agerent. Nam licet eos, quos Lapsos vocabant, ad se Ecclesiæ quidem communionem post exomologesim admittendos, non etiam ad vllum ordinem cleri vel ministerij Ecclesiastici, decreuissent: Nouatianis tamen resipiscentibus non modò remiserunt duriorem longioris exomologeseos conditionem: sed & ministerij Ecclesiastici functiones permiserunt. Cur erga Donatistas Afri Antistites duriores essent, nulla causa erat: magna verò, vt etiam essent indulgentiores, si fortè hac conditione redimere vnitatis & Ecclesiæ pacem possent. Omitto quę iam olim de sua erga Lapsos humanitate Cyprianus ad Cornelium papam scripsit, antistes alioqui & ipse Afer & seuerus & rigidus. Illud dico in resipiscentium hæreticorum causa qui errore peccassent, magis quàm in Lapsorum, qui metu, auditam fuisse veterem illam legem xii. *Tab.* Sanatibus idem ius esto, quod fortibus. *Porrò non modò obtulerunt Catholici Donatistis conditionem, quam iam dixi, sed etiam liberaliter addiderunt alteram, quam didici ex Augustini libro de Gestis cum Emerito, vbi & narrat aliquid memorabile accidisse, cum de ea proponenda*

Catholici inter se deliberarent. Recitabatur in quodam Conuentu Mauritaniæ Cæsariensis Notaria abs Catholicis in Collatione Carthaginensi proposita. Cùm ventum est ad hunc locum: Si fortè populi Christiani singulis delectentur Episcopis,& duorū consortium inusitata rerum facie tolerare non possunt, vtrique de medio discedamus,& Ecclesiis singulis damnata schismatis causa, in Vnitate pacifica constitutis, ab his singulis in Ecclesiis singulis annuentibus, vnitati factæ, per loca necessaria singuli constituantur Episcopi. *Augustinus Episcopus dixit: Dicam Charitati vestræ & commemorem rem dulcißimam & suauißimam, quam Domino adiuuāte sumus experti. Cùm ante ipsam Collationem inter nos aliqui fratres, de hac re colloqueremur: quia pro pace Christi Episcopi debent esse aut debent non esse: quod vobis fatēdum est, circunspicientes omnes fratres & Coëpiscopos nostros, non facilè nobis occurrebant, qui hoc vellent suspicere, & de hac humilitate Domino sacrificare: dicebamus vt fieri solet:* ille potest, ille nō potest: ille consentit hoc, ille non tolerat: *loquentes magis pro suspicionibus nostris, qui corda illorum minimè videre poteramus. Quando autem ventum est, vt hoc palàm fieret, in Concilio vniuersorum tam frequenti penè trecentorum Episcoporum, sic placuit omnibus, sic exarserūt omnes, vt parati essent Episcopatū pro Christi vnitate deponere: & nō perdere, sed Deo tutiùs commendare. Duo ibi vix inuenti sunt, quibus displiceret. Vnus annosus senex, qui hoc etiam dicere liberius ausus est: alter voluntatem suam ta-*

cito vultu significauit. Sed posteaquam illum liberius »
hoc dicentem obruit omnium fraterna correptio, illo »
mutante sententiam, vultum etiam ille mutauit. Hæc »
Augustinus. » *Quæ quidem tantò magis recito, quod in Actis Collationis sint prætermissa, & tamen memorabile exemplum sit, & imprimis sit vtile, quoties de pontificatu certatur, & ambitio contendentium, perturbandæ Ecclesiæ causa est.*

Redeo ad gesta Collationis. Vt citius ad rem veniretur, & de grauioris causæ statu ageretur, Catholici voluerunt disiungere atque separare causam Ceciliani, & eam quæstionem missam facere, quæ facti magis erat, quàm iuris. Nam & priuata & personalis erat ea causa, quę cum altera (vt ita dicam) reali & generali, nempe de Ecclesia, nihil habebat commune. Itaque non recusabant vltrò hoc largiri, quod tamen falsò prætexebant Donatistæ, Cecilianum fuisse Traditorem. Nam ne tum quidem ab Ecclesia Catholica, quæ ei communicasset, Donatistas desciscere debuisse, nostri aiebant. Nihil certè erat facilius quàm probare Cecilianum talem non fuisse. & rectè fuisse absolutũ: & Donatistarum propterea calumnias retegere, impudentiámque propè incredibilem. Sed tamen Donatistæ in ea cauillatione perstabant, potius quàm ad iuris quæstionem de Ecclesia pertrahi se paterentur. Sic enim multa confusè miscendo tenebras offundere, vt elaberentur, volebãt. Cùmque aliàs in ore habere solerent forensem illam præscriptionem, Nec causa causæ, nec persona personæ præiudicat: *tamen indignè ferebant eam exceptionem sibi obijci, vbi Ceciliani causam cum Ecclesiæ causa ita coniungebant,*

dicitur Rauennæ pridie Idus Octobres. Consul non adscribitur, negligentia librarij. Sed ascribi potest debétque, Varanes. Sic quod in hac Historia imprimis quærebatur, & aliunde cognosci non poterat, liquet de tempore Collationis: quod quidem tantò diligentiùs inuestigaui, quia & maximum operæprecium sit imprimis obseruare tempus, quo Honorius ab Afris Catholicis tam valde interpellatus est contra Donatistarum intemperiem. Desidebat Rauennæ in summa rerum suarum non solùm perturbatione, sed etiam desperatione, præsertim iam mortuo Stilicone. Gothi Romam ceperant, totámque Italiam euastabant, omnibúsque Imperij Rom. prouinciis imminebant. Neque tamen propterea infelix attonitúsque Honorius non audit Ecclesiæ Africanæ preces. Multas & ipse paterno exemplo iam leges tulerat aduersus Donatistas. Sed tam suas quàm paternas leges veluti suspendi patitur, cùm audit aliter cum Donatistis nunc agendum esse. Aliquot ante annis edixerat quod ad earũ executionem pertinebat, ne eas Donatistæ putarent refrixisse aut saltem tepuisse, vt loquitur in l. 46. C. Th. de Hæret. Sed & eo quoque tempore iusserat, vt publicè proponeretur quod in Africam miserat Edictum de vnitate l. 2. c. Th. de relig. Verum Donatistarum schisma solis Edictis tolli non posse audiebat: & Africanæ Ecclesiæ tamen vnitatem omnibus modis restitui optabat.

Denique Ecclesiæ illius curam maiorem gessisse videtur, quàm suæ Romæ atque Italiæ. Qua in re facilè admirabilem Dei prouidentiam agnoscet, qui quanta huius principis alioqui siue socordia, siue ignauia, siue

(vt Ciceronis verbo vtar) non curantia, quantáque eorum temporum confusio fuerit, recordabitur. Nempe fecit Deus, vt Honorius hic audierit viros bonos, & ab iis sibi dictari passus sit rescripta, quæ consignaret. Ergo in mandato huius Collationis diceres Theodosium potius quàm Honorium loqui. Ambrosius ait, Theodosium, magis de Ecclesiæ, quàm animæ suæ salute sollicitum fuisse. Non dicã Honorium filium fuisse omnino eiusdem animi. Sed in hac saltem Donatistarum causa fecit, quod pater fecisset: & edicta emisit plena paternæ pietatis. Viuo Stilicone solebant multi calumniari leges, quæ in Africam mittebantur, tametsi Honorij nomen præ se ferrent, tamen magis abs Stilicone, quàm abs Theodosii filio mitti, vt Augustinus narrat epist. 129. Nunc mortuo Stilicone dici tale aliquid non potuit. Idem Augustinus epist. 166. scribit Donatistas conquestos esse de legibus filiorum Theodosij. Sed ipse respondet nihil eas aliud quàm repetere atque confirmare iudicium Constantini, Valentiniani, Gratiani, Theodosij: simúlque detestatur Iulianum Apostatam, qui (vt ait) permiserit libertatem perditioni partis Donati, cùm eo modo putaret Christianum nomen posse perire de terris, si sacrilegas dissensiones liberas esse permitteret. Donatistæ contrà hoc nomine prædicabant Iulianum illum, & apud eum solũm solam iustitiam locum habere propterea iactabant. Augustinus nihil iniustius, nihil indignius, nihil perniciosius esse ait. Et quæ *(inquit)* peior mors animæ, quàm libertas erroris? *Intereà tamen ne Donatistæ queri possent, aut sibi iniuriam fieri, aut sese inauditos damnari: placuit, rursus in*

Collatione tandiu audiri, quandiu vellent: & interea liberos esse. Sed alioqui semper in Africa permittere altare contra altare, maiorem Ecclesiæ deformitatem esse iudicauit Imp. Honorius, quàm eo tempore Romæ erat in vrbis euersione atque vastitate.

Nunc veniendum est ad Acta, siue (vt appellabantur) gesta Collationis: quæ quidem olim studiosè excepta, conscripta, collatáque fuerant, sed temporis iniuria, posteritatísque negligentia interciderant. Ergo cùm nuper maiorem melioremque eorum partem, beneficio Io. Tilij nactus essem, existimaui magnum mihi quendam thesaurum oblatum esse. Nam etsi ex Augustino summa capita facilè repetere liceat: tamen multa, quæ ille prætery̆t, desiderabam, & memineram quàm valdè olim Ecclesia voluisset integra hæc Acta legi, eorúmque memoriam conseruari. Nam & ipse Augustinus in lib. de gestis cum Emer. narrat, apud omnes (vt ait) diligentes Ecclesias Africanas quotannis ea à capite ad finem vsque ordine recitata fuisse, quo tempore populo maximè integrum erat audire. Fateor non modò leptologica, sed & propè battologica posse videri: quia recitentur omnes Donatistarum cauillationes, ac ne verbum quidem vllum prætermittatur. Sed Ecclesiæ & Reipub. interfuit, singula eo modo conscribi atque exponi. Et tamen ne eorum fortè longitudo lectores deterreret, Augustinus epitomen etiam conscripsit, quam vocauit Breuiculum: & rursus eadem de re scripsit in lib. post Collat. & denique ex synodo Cirtensi eandem narrationem repetit, epist. 152. quam quidem epistolam indicat, cùm ad Marcellinum scribens de hisce suis laboribus in epist. 158.

Mihi (*inquit*) fuit Breuiatio gestorum Collationis nostræ satis operosa, cùm viderem neminem velle tanto aggeri literarum legendo se committere: sicut mihi fuit etiam epistola ad ipsos laïcos Donatistas de hac eadem Collatione nostra. *Scribit autem ad Marcellinum, vt publicentur gesta in causa quorundam crudelium Donatistarum in iudicio conuictorum. Nam & talia recitari per omnes Ecclesias optat non minus quàm gesta ipsius Collationis. Adeò historia Donatistarum visa est digna, quæ inculcaretur. Obiter autem admoneo, falli Erasmum, qui in argumēto eius ad Marcellinum epistolæ annotat, Augustinum ab Marcellino petere, vt quæ aduersus Donatistas in Concilio Episcoporum decreta sunt, publicētur. Certè in Concilio Episcoporū non decernebantur quod pro tribunali Marcellini. Porrò vt gaudebat Augustinus Marcellinum Collationis cognitorem fuisse, sic & Bonifacium Comitem optabat eius historiā cognoscere. Itaque ad eum scribens epist.* 50. Quoniam (*inquit*) valde prolixa sunt gesta, & tibi aliis rebus Romanæ paci necessariis occupato, multum est vt legātur, breuiarium eorum tibi legi poterit. *Quid multis? Existimauit in iis sitam esse Ecclesiæ victoriam. Itaq; in epist.* 204. *ad quendam Donatistam*, Præstitit (*inquit*) misericordia Dei, vt & nos & Episcopi vestri tam frequenti numerosóque conuentu Carthaginem veniremus, atque inter nos dè ipsa dissensione ordinatissimè cōferremus. Gesta cōscripta sunt: nostræ etiam subscriptiones tenentur. Lege, vel patere vt tibi legantur: &

tunc elige quod volueris.

Sanè cùm nuper incidissem in Acta Concilij Constantinopolitani secundi, quod Iustiniani nostri tempore fuit, & quintum œcumenicum esse dicitur, & in iis forte occurrisset quoddam caput tanquam fragmentum Gestorum Collationis Carthaginensis, quod tum in illo Orientali Concilio prolatum fuit annis plusquam centum & quadraginta posteaquam fuerat scriptum in Africa: existimaui me nactum esse aliquid, quod minimè in hoc commentario negligendum esset. Est autem eiusmodi. Ex Gestis, quæ apud Marcellinum V.C. Tribunum & Notarium acta sunt, cap.clxxxvij. Augustinus Episcopus Ecclesiæ Catholicæ dixit: Non in hominibus spes ponenda est Ecclesiæ, si boni sunt, neque si mali sunt, iudicanda est Dei Ecclesia periisse. Sed tamen ipsorum causam tanquam fratrum nostrorum suscipimus: &, si nobis ostendi potuerint criminosi, hodie illos anathematisam⁹: non tamen propter illos Ecclesiam à Deo promissam & exhibitã deserimus & relinquimus.

*Hoc fragmentum & cap.*clxxxvij. *Gestorum Collationis deerat etiam in Tiliano exemplari, quod multis aliis modis mancum & mutilum est. Sed intereà dum expectabimus, vt aliquando integra illa Gesta reperiantur & edantur, præcipuam partem huiusce Collationis exponamus.*

Ac imprimis quidem obseruo magnũ & celebrem fuisse Conuentum cum Catholici Episcopi ducenti & octoginta sex, Donatistæ verò ducenti septuaginta nouem cõuenissent. Et tamen paulò antè multò plures

Donatistæ

Donatistæ cõuenerant in Bagaiensi Concilio aduersus suos Maximianistas, alteram Donatistarum sectam. Adeo in Africa inualuerat Donati sobôles: neque non de sua multitudine illi gloriabantur non minus quàm aliàs de sua paucitate. Augustinus vanitatis eos redarguere vult, quia iactarent sese esse plusquam quadringentos in Africa antistites. Sed si suos Maximianistas sibi adiungi patiebantur, reuera erant plusquàm quadringenti. Maximianistas autem, qui non minus optabant huic Collationi interesse, quàm reliqui Donatistæ eam refugiebant, non modò Donatistæ reiecerunt, sed & Catholici excluserunt. Cur id factum sit, indicat Augustinus in libro tertio contra Iulianum. Cupientes *(inquit)* exiguitatem suam nomine saltem certaminis consolari, & ideo videri aliquid apud eos, quibus cótẽptibiles erant, quia inire nobiscum sinerentur examen interpellentes eos & libellum dantes prouocantésque contempsimus. Magis enim de certamine nominari desiderabant, quàm formidabant in certamine superari: nec sperabant victorię gloriam, sed famam requirebant Collationis, quia multitudinis non habebant. *Hæc ille: qui inde probat non esse consequens, vt qui conferre in aliquo iudicio volunt nec sinuntur, putari debeant de veritate confidere: idque obijcit Pelagianis, qui cùm iam damnati in Concilio Episcoporum fuissent, iactabant quasdám literas Imperatorias, ex quibus ad nouam Collationem Catholicos prouocabãt, eámque Catholicis recusantibus, victores se esse stolidè gloriabantur.*

Porrò quàm vltrò ſeſe offerebant Maximianiſtæ, qui repulſi ſunt, tam reliqui Donatiſtæ, qui reſtitabãt, inuitabantur: & vt in his euocãdis cogendíſque multum negocij fuit: ſic etiam, cùm iam veniſſent, in pertrahendis ad Collationem: eius licet æquiſsimæ cõditiones proponerentur. Lepidum autem eſt, quod cùm Marcellinus in ſuo Secretario ſiue auditorio, honoris cauſa, rogaret Donatiſtas, vt ſederent, ſicuti Catholici ſedebant: illi recuſando reſponderunt ſcriptum in Pſalmo 36. eſſe, Cum impiis non ſedebo: *appoſitè verò noſtri replicarunt, iam eos tamen feciſſe, quod in eodem Pſalmo Dauid ſubijcit:* & cum iniquis non ingrediar. *Sed addendum erat, quod in eodem Pſalmo Dauid adijcit, ſeſe ita odiſſe impiorum ſocietatem, vt tamen propter eos non ſit deſerturus tẽplum aut altare Domini. Et certè mirum eſt, Donatiſtas nimis ineptè moroſos ſtare quàm ſedere maluiſſe, cùm illud reorum, hoc iudicum ſit. Imò cùm reus ſedere iubebatur, abſolutus eſſe intelligebatur. neque alia abſolutionis formula vſi erant eorum Maiores in primo illo ſuo Cirtenſi concilio, cuius antè mentionem feci. Fuit profectò incredibilis quidam faſtus horum hypocritarũ. Sed factum eſt iuſto Dei iudicio, vt honorem nimis liberaliter ijs oblatum, quo indigni erant, recuſarent. Optatus lib. 1. narrat indignè etiam tuliſſe, quòd Fratres à Catholicis appellarentur: & multis poſt annis atque adeò in ipſa Collatione hanc noſtrorum humanitatem ſuperbè reſpuerunt. Auguſtinus lib. 3. contra Gaudent.* An (*inquit*) iraſceris, quia te fratrem voco? Hoc enim nomen à nobis etiam in noſtra Collatione reſpuiſtis. &c.

Cum multa sint in gestis huius Collationis singulariter obseruanda, tum verò illud memorabile est, quod catholici, vt Donatistis vterentur æquioribus, non recusant iniquam vltro subire conditionem, aduersariis verò deferre vtilem. Offerunt enim, si in hac Collatione vincantur, sese abdicaturos, vt verbo Romano vtar: sin vincant, nihilominus vt victis aduersariis integrum sit non abdicare: sed victores iis resipiscentibus communicent honorem & dignitatem muneris Episcopalis, vt in eadem Ecclesia duo tolerentur Episcopi, tanquam Collegæ, & vt olim Romæ Consules: sed ita, vt sit inter eos quadã (vt Græcorum Iuriscõsultorum verbo vtar) ἀλληλοκληρονομία, & quoddam veluti ius accrescendi: vt qui prior decedet, socium relinquat Episcopum tanquã hæredem in solidum. Sanè Canon Niceni Concilij prohibebat duos in vna vrbe esse Episcopos. Nam prospiciebat incõmoda talis societatis, & vt Romæ non nisi vnus erat princeps Senatus, quamuis essent Consules duo: sic visum fuit, Collegio presbyterorum non nisi vnum esse præficiendum. Sed, vt id placuit, pacis fouendæ causa: sic etiam vbi Conciliationis ratio visa est postulare, vt duo tolerarẽtur, cùm alter expelli vix posset Canonis finem & sententiã potius quàm verba intueri oportuit. Sanè tamen cùm Augustinus passus esset sese Valerij Episcopi Hipponensis Collegã creari, vt esset veluti Coëpiscopus: ignotum sibi Canonem Nicenum fuisse dixit. Et propterea Poßidius narrat, eum, cùm Episcopus esset, publicè recitari sæpius Canones Nicenos voluisse. Sed hæc ex Ecclesiæ vsu atq; vtilitate æstimanda atque metienda esse nemo nega-

uerit, ut ubi iusta causa postularet, ille Canon cedat. Qualis causa esse visa est, ut Donatistis antistitibus, quos ambitio retinebat, obijceretur spes aliqua honoris, si resipiscerent: detraheretúrque timor infamię & ignominiosæ abdicationis, si ad Ecclesiam Catholicam redirent. Nam & ipsi quoque Niceni patres cùm agerent de Nouatianis, id tribui posse confeßi sunt. sed & Arrianis, qui iam aliquot annis Ecclesiæ gubernationem in Oriente occupauerãt; & de ea possessione si sanari nollent, decedere abs Theodosio iubebantur, non dißimilis conditio fuit oblata: quo etiam tempore Meletius Episcopus Antiochenus, pacis retinendæ causa, Paulino, qui separatos alioqui habebat suos cœtus non dißimili prætextu quo Donatistæ, obtulit, ut conciliatio fieret, societatem sui episcopatus, ea lege, ut altero mortuo, alter qui superstes esset, in solidum Episcopus maneret. Quid moror? Augustinus in epist. 163 narrat, cùm Melchiades Rom. Episcopus ex sententia suorum Collegarum damnaret Donatum, Donatistis, qui resipiscere vellent, ita pepercisse, ut sanitatis recuperandæ (inquit Augustinus) optionem liberam iis fecerit, paratus communicatorias literas mittere etiam iis, quos à Maiorino ordinatos esse constaret: ita ut quibuscunque locis duo essent Episcopi, quos dissensio geminasset, eum confirmari vellet, qui fuisset ordinatus prior: alteri autem eorum plebs alia regenda prouideretur. De hac Melchiadis sententia loquens Augustinus exclamat, Quàm innocens? quàm integra? quàm prouida atque pacifica? O virum optimum! ô filium Christianæ pacis, & patrem Christianæ plebis! *Idem Augustinus*

epist.50.eandem historiam recitat, & simul significat catholicos hoc deinde exẽplum secutos esse in recipiendis Arrianis, qui, cum resipiscerent, clerici & Episcopi, vt anteà fuerant, in eodem ordine manerent. Narrat etiam id tam displicuisse Lucifero, vt propterea desciuerit ab Ecclesia. quod & narrat Hieronymus contra Lucifer. Sed iniusta schismatis causa hæc esse nostris visa est. Illud nũc inculcare volo, Melchiadis illius iudicium secutos paulò post esse Nicenos quoque Patres, cùm de Nouatianis agerent. Nam licet eos, quos Lapsos vocabant, ad se Ecclesiæ quidem communionem post exomologesim admittendos, non etiam ad vllum ordinem cleri vel ministerij Ecclesiastici, decreuissent: Nouatianis tamen resipiscentibus non modò remiserunt duriorem longioris exomologeseos conditionem: sed & ministerij Ecclesiastici functiones permiserunt. Cur erga Donatistas Afri Antistites duriores essent, nulla causa erat: magna verò, vt etiam essent indulgentiores, si fortè hac conditione redimere vnitatis & Ecclesiæ pacem possent. Omitto quod iam olim de sua erga Lapsos humanitate Cyprianus ad Cornelium papam scripsit, antistes alioqui & ipse Afer & seuerus & rigidus. Illud dico in resipiscentium hæreticorum causa qui errore peccassent, magis quàm in Lapsorum, qui metu, auditam fuisse veterem illam legem xii. *Tab.* Sanatibus idem ius esto, quod fortibus. *Porrò non modò obtulerunt Catholici Donatistis conditionem, quam iam dixi, sed etiam liberaliter addiderunt alteram, quam didici ex Augustini libro de Gestis cum Emerito, vbi & narrat aliquid memorabile accidisse, cum de ea proponenda*

Catholici inter ſe deliberarent. Recitabatur in quodam Conuentu Mauritaniæ Cæſarienſis Notaria abs Catholicis in Collatione Carthaginenſi propoſita. Cùm ventum eſt ad hunc locum: Si fortè populi Chriſtiani ſingulis delectentur Epiſcopis, & duorũ conſortium inuſitata rerum facie tolerare non poſſunt, vtrique de medio diſcedamus, & Eccleſiis ſingulis damnata ſchiſmatis cauſa, in Vnitate pacifica conſtitutis, ab his ſingulis in Eccleſiis ſingulis annuentibus, vnitati factæ, per loca neceſſaria ſinguli conſtituantur Epiſcopi. *Auguſtinus Epiſcopus dixit: Dicam Charitati veſtræ & commemorem rem dulciſſimam & ſuauiſſimam, quam Domino adiuuãte ſumus experti. Cùm ante ipſam Collationem inter nos aliqui fratres, de hac re colloqueremur: quia pro pace Chriſti Epiſcopi debent eſſe aut debent non eſſe: quod vobis fatẽdum eſt, circunſpicientes omnes fratres & Coëpiſcopos noſtros, non facilè nobis occurrebant, qui hoc vellent ſuſpicere, & de hac humilitate Domino ſacrificare: dicebamus vt fieri ſolet:* ille poteſt, ille nõ poteſt: ille conſentit hoc, ille non tolerat: *loquentes magis pro ſuſpicionibus noſtris, qui corda illorum minimè videre poteramus. Quando autem ventum eſt, vt hoc palàm fieret, in Concilio vniuerſorum tam frequenti penè trecentorum Epiſcoporum, ſic placuit omnibus, ſic exarſerũt omnes, vt parati eſſent Epiſcopatũ pro Chriſti vnitate deponere: & nõ perdere, ſed Deo tutiùs commendare. Duo ibi vix inuenti ſunt, quibus diſpliceret. Vnus annoſus ſenex, qui hoc etiam dicere liberius auſus eſt: alter voluntatem ſuam ta-*

cito vultu significauit. Sed posteaquam illum liberius » hoc dicentem obruit omnium fraterna correptio, illo » mutante sententiam, vultum etiam ille mutauit. Hæc » Augustinus. » *Quæ quidem tantò magis recito, quod in Actis Collationis sint prætermissa, & tamen memorabile exemplum sit, & imprimis sit vtile, quoties de pontificatu certatur, & ambitio contendentium, perturbandæ Ecclesiæ causa est.*

Redeo ad gesta Collationis. Vt citius ad rem veniretur, & de grauioris causæ statu ageretur, Catholici voluerunt disiungere atque separare causam Ceciliani, & eam quæstionem missam facere, quæ facti magis erat, quàm iuris. Nam & priuata & personalis erat ea causa, quę cum altera (vt ita dicam) reali & generali, nempe de Ecclesia, nihil habebat commune. Itaque non recusabant vltrò hoc largiri, quod tamen falsò prætexebant Donatistæ, Cecilianum fuisse Traditorem. Nam ne tum quidem ab Ecclesia Catholica, quæ ei communicasset, Donatistas desciscere debuisse, nostri aiebant. Nihil certè erat facilius quàm probare Cecilianum talem non fuisse. & rectè fuisse absolutũ: & Donatistarum propterea calumnias retegere, impudentiámque propè incredibilem. Sed tamen Donatistæ in ea cauillatione perstabant, potius quàm ad iuris quæstionem de Ecclesia pertrahi se paterentur. Sic enim multa confusè miscendo tenebras offundere, vt elaberentur, volebãt. Cùmque aliàs in ore habere solerent forensem illam præscriptionem, Nec causa causæ, nec persona personæ præiudicat: *tamen indignè ferebant eam exceptionem sibi obijci, vbi Ceciliani causam cum Ecclesiæ causa ita coniungebant,*

vt hanc ex illa pendere vellent. Certè Augustinus epist.204. ait, nihil in Actis Collationis fuisse quod Donatistæ magis deleri voluissent. Fuit sanè vetus illud hæreticorum artificium, vt, frustrationis ergô, cùm suum dogma tueri non pòssent, suos mores, quos laudabant, allegarent: aut cùm aduersariorum doctrinam refellere non possent, mores eorum accusarent. Sed hæc diuerticula sunt eorum, qui eludere volunt. Sanè ante Collationem Petilianus Augustinum, cum quo certabat, multis conuiciis propterea impetebat, vt iam de Augustini persona potius quàm de Ecclesia, de qua instituta erat disputatio, quereretur. Me (*inquit Augustinus*) facit causam, cùm defecisset in causa, *Item*, Relicto negocio publico, priuata quadam simultate, hominis vnius vitam maledicis opprobriis insectat⁹ est, quasi homo ille esset causa, quæ inquiritur. *Sed vt Augustinus indicat quorsum id faceret astutus aduersarius, sic obstat, ne ille tali astu eludat: & iniuriã priuatã pati maulult quàm alio excurrendo, deserere causam publicam. Ergo & Cresconio Donatistæ respondens,* Desine (*inquit*) talibus. Vnus homo sum: Eclesiæ inter nos agitur causa, non mea. *Sicque etiam constrinxit Pelagianos, qui in disputatione captabant, quod Donatistæ:* Quod (*inquit lib.3. contra Iulianum*) ad mores nostros pertinet, quemadmodum viuamus, in promptu est eis, cum quibus viuimus. Nunc de Catholico agitur dogmate. *Manichæi, quamuis minus essent Rhetoricis illis artibus eruditi: tamen non dissimilia rursus diuerticula quæsierunt: neque solùm mores alienos*

accusarunt, sed etiam cùm essent impurißimi, suos prædicarunt. Sic Fortunatus Manichæus de fide rogatus, de sua suorúmque vita respondet. Quid Augustinus? In lib. contra Fortu. Alia (*inquit*) est quæstio de fide, alia de moribus. *Ac quidem alias, Donatistarum Manichæorúmque mores accusauit, & suorum cōstantißimè defendit. Sed non patitur causam religionis cum tali actione permisceri. Sic & Hieronymus contra Rufinum imprimis hoc agit & vrget, vt non coniungantur captiosè, quæ disiungēda sunt.* Non est (*inquit*) necesse, vt in Ecclesiasticis tractatibus rem tribunalem ventilemus. *Item*, Quis nostrorum, omissa causa, in superflua criminum obiectatione versatus est? Quæ non chartæ Ecclesiasticæ, sed libelli Iudicum debent continere? Aut quid refert si causa cadas, & crimine superes? Istæ machinæ hæreticorum sunt, vt conuicti de perfidia, ad maledicta se conferāt. *Hæc ille. Est autem operęprecium talia diligenter obseruare, quia hoc quoque tempore videmus, eos, qui de religione contendunt, intempestiuè, vt omnia misceant, transilire ad criminationem personarum. Sanè quò magis gesta Collationis Carthaginensis considero, tantò magis sentio, tam ad rem principalem Catholicos venire statim voluisse, quàm Donatistas id refugisse: qui (quemadmodum sæpe Augustinus dixit) hoc vnum agebant, vt nihil ageretur. Nam & Carthaginem tantum venisse videntur, vt redirent. Dixit etiam aliquando Augustinus in libris contra Iulianum Pelagianum, frontem hæreticorum non esse frontem. Id verò de incre-*

dibili Donatistarum impudentia multò magis dici potuit debuítque. Sanè cùm refelleret Cresconiũ Donatistam Grammaticum, significat propè esse vt exclamet illud Persii, Frontem periisse de rebus. *Et alio loco dixit se mirari Donatistas habere in corpore sanguinem, & tamen nunquam erubescere. Dicerem, quàm crudeles fuerunt siccarij, tam vafros fuisse pragmaticos. Sed Acta, de quibus loquor, testabuntur, strophas eorum non tam erudito aliquo artificio tectas, quàm meretricia quadam proteruia communitas fuisse. Sunt in libris iuris explicata hæc verba legis,* Si caluitur. *Sed vix vnquam magis quid illud sit, apparuit, quàm in Donatistarum tergiuersatione atque frustratione. Ergo Marcellinus interlocutiones propè sexcentas, vt eorum ludificationi occurreret, interponere coactus fuit, prius quàm ad rem eos restitantes reuocare, & ad causam principalem iudicandam venire potuerit. Et verò oportuit non minus ciuilis qàum diuini iurisperitum fuisse, vt hîc præstaret quod erat necesse. Nam Donatistæ cùm simularent sese causam agere velle tantùm ex sacris literis, sicuti Theologos decebat: tamen præscriptiones infinitas ex forensi technologia repetebant, quæ sine iuris ciuilis cognitione refelli non poterant. Miraretur aliquis, eos, cùm vndique conquirerẽt omnes (vt vocant) declinatorias exceptiones, tamen non excepisse, quod Ambrosius anteà exceperat ad Valentiniani iunioris consistorium, aulica fraude Iustinæ euocatus, vt in eo cum Arrianis disputaret. Sed dissimilitudinem obseruare facilè licet: & Donatistæ sibi gratulari debebat, sese ad aulam Honorij vel*

transmarinum aliquod tribunal, sicuti anteà euocari curarant Cæcilianum, nunc non euocari. In Actis scriptum est, hanc Collationem habitam esse in Secretario Thermarum Gargilianarum, quod in vrbe Carthaginensi videtur fuisse auditorium aliquod nobile. Cyprianus reus dicitur ad Paternum Proconsulem Carthaginensem adductus fuisse in quoddam Secretarium. Et in Codice Constitutionum sæpe vocatur Secretarium iudicum, vt Consistorium principis. Secretarium Prætorij vocat Augustinus libro 3. contra Crescon. cap. 56. In Hipponensi Balneo Sosn. sub præsentia populi sese contulisse cum Fortunato Manicheo scribit in libro contra Fortun. In Trullo palatij conuenisse Synodum Constantinop. non est ignotum. Quod dico, ne quis hic offendatur Thermis Gargilianis. Nunc ad rem.

Cùm primum sese stiterunt Donatistæ, cauillati nescio quid fuerunt, de tempore, quod præstitutum fuerat iam elapso. Sed interlocutus est Marcellinus de prorogatione: & tenebat illud Vlpiani. Qui pro tribunali cognoscit, nonnumquam tempus iudicati prorogat. &c. *l. 2. De re iudic. Credo equidē lubenter etiam Donatistæ submurmurassent illud è medio iure ciuili, moram purgari non posse, vbi lapsu temporis commissa est. Sed hisce cauillis non erat nunc locus. Cæterùm cùm ordo Collationis imprimis postularet, vt vtrinque certi deligerentur actores, idque Marcellinus ediceret, & Catholici probarent, Donatistæ rursus reclamabant, qui cùm propè trecenti cōuenissent, volebant omnes disputare: quod profectò sine tumultu & confusione fieri non poterat. Ergo*

Marcellinus interloquitur, obseruãdum hîc esse, quod in publicis actionibus & Corporibus custoditur, vt per certas, sicuti ait, & ordinatas & firmatas personas omnia peragantur: sicuti noster Vlpianus scribit, Quibus permissum est corpus habere collegij siue societatis nomine, eorum proprium esse, ad exemplum Reipublicæ habere actorem siue Syndicum, per quem, quod cõmuniter agi fieriq́; oporteat, agatur & fiat. l. 1. Quod cuiusque vniuers. nom. Ergo tandem placuit & conuenit, vt septem ex numero Catholicorum, & totidem ex parte Donati deligerentur, qui suæ vniuersitatis nomine & mandato causam agerent, & disputationem pertexerent in hac Collatione. Eorum autem septem princeps veluti fuit hinc Augustinus, illinc Petilianus: vt & anteà hi scriptis aduersarijs conflictati inter sese fuerant, & erat in suo quisque ordine præstantissimus. Et Petilianus, qui aliquando causidicus fuerat, iactare solebat suam quondam potentiam in aduocatione forensi, vt ait Augustinus lib. 3. contra Petil. cap. 17. Sed res ipsa ost[illegible]t nihil aliud quàm ineptum rabulam fuisse, qui, [illegible]uam in Collatione causam de Ecclesia impotenter ageret, ne intelligeret quidem: vt impudentes & garruli causidici in foro educati temerè & imperitè & confusè balbutire solent de religione.

Porrò quia Catholici ab Imperatore petierãt Collationem, Donatistæ volebant initio sibi edi & nomina Legatorum & preces. Quærebant enim, quod in eo quoque genere arroderent. Marcellinus nihil hoc ad rem pertinere pronunciat: & respondet, Rescripto pragmatico preces inseri non solere. Petitam ab Im-

peratore esse Collationem non omnino audebant Donatistæ reprehendere: quia & ipsi priores aliquando id petiissent, & causam Cæciliani olim ad Constantinum retulissent. Sed clam tamen nescio quid submurmurabant. Nobis (*inquit Augustinus in libro post Collat.*) inuidiam concitát, quod apud Imperatorem causam agamus Ecclesiæ. Hinc illa Primiani Donatistæ vox: Illi portant multorum Imperatorum sacras: nos sola portamus Euangelia. *Dixi ea de re quippiam in annotat. ad Optatum, vbi & alteram ex Augustino recitaui exprobrationem Petiliani,* Quid nobis cum Regibus sæculi, quos nunquam Christianitas nisi inuidos sensit. *Si & doctior & acutior fuisset Petilian⁹, fortasse potuisset id ita vrgere, vt Augustino difficilior fuisset responsio. Et quid si ex Tertulliani Afri apologet. obiecisset illud, Cæsares credidissent Christo, si & Christiani potuissent esse Cæsares? Sed Donatistæ obtusiores fuisse videntur, quàm ut potuerint valdę pungere prameréque aduersarium. Saltem fuissent minus aulici, vt aduersarios, si qui nimis aulici erant, instiori exprobratione castigassent. Fateri enim cogimur, optandum esse, vt aulicis strophis religio non inuoluatur ac polluatur, quales nimium ipsis Donatistis familiares fuêre. Quid dicam Africanam Ecclesiam, quæ anteà domi suę nullos aut Imperatores aut Reges viderat, paulò post sensisse quid sit tales habere in suo sinu, quales habuit Vandalos. Tunc igitur tunc ad eorum tribunal citata, in quo Arriani antistites regnabant, subscripsisset Donatistis exclamantibus apud Optatum,* Quid Episcopis cũ palatio?

Nunc redirem ad Donatistarum Collationem fugitantium circuitiones atque tergiuersationes. Sed quis omnes enumeret? Interea sedati iudicis fuit, quicquid tandem illi dicerent, tametsi sæpius eadem ociose & frustra inculcarent, patienter id audire: quod quidem Marcellinum fecisse, Acta testantur. Sanè mira fuit illa eorum cauillatio: quòd vbi proferebatur Ecclesiasticum Concilium cum suo die & Consule: propter adiectam hanc temporis notationem, causabantur fictum esse Concilium. Rursus cùm aliquod Constantini rescriptum iis obijciebatur, cui fortè adiectus non erat Consul, index ipsius anni: propterea cauillabantur falsum & fictum quoque esse. Quid Marcellinus? De Conciliis nihil dicit. Nimis enim notum certúmque erat, diem & Consulem ijs ascribi, vt ficta non esse intelligantur. Sed pronunciat, non nocere tamen veritati legum & rescriptorũ, si omissa sit hac temporis notatio. Cognitor *(inquit Augustinus)* interlocutus est, euidentissimis legibus definitũ esse, imperialia constituta, etiamsi Consules non legerentur, in dubium non vocari. *Scio Constantinum rescripsisse, auctoritate carere personalia beneficia, quæ sine die & Consule proferũtur, l. 4. C. de diuers. rescript. Sed talium beneficiorum alia ratio est: & ipse Iustinianus, licet hoc rescriptum in suum Codicem retulerit, tamen præfatus est id dici nõ posse de Constitutionibus. Nam nullam dubitationem inde emergere vult, quod quædam sine die & Consule composita legãtur. Sanè cùm quæreretur de quadam epistola siue cautione, respondit noster Ceruidius Sceuola, non ideò nullius esse momẽti quod sine die &*

Consule sit. l. 34. De pignor. Et quod in Pandectis non extat, inuenitur quoddam fragmentum ex libris regularum nostri Modestini, nihil nocere testamento, si dies & Consul adiecti non sint. Adijci tamen sæpius solebant: licet vbi testamẽtum aperiebatur, diem & Consulem (inquit noster Vlpianus) non patiebatur Prætor describi vel inspici, ne quid falsi fiat. l. 2. Quemadmod. testam. aper. Sed quis mirabitur Donatistas in Collatione omnia frustrationis diuerticula captasse, quæ ne forensis quidem causidicus in mala causa inuenisset? Etiam post rem iudicatam exceptiones obtendebant, & quidem ex iure ciuili repetitas esse fingebant: de quibus aliquid posteà dicam. Deniq; in ijs quæ ad rem principalem alioqui non pertinebant, plus & temporis & verborum consumptum frustra hîc fuit, quàm in ea quæstione de qua sola Collatores agere debebant.

Age, nunc de causa principali iterum cognoscatur, & quis eius status fuerit, videamus. Vt duobus verbis dicam, quæstio fuit de Ecclesia: an hæc esset penes Catholicos, an verò penes Donatistas. Sed tantò difficilior diiudicatio fuit, quod vtrobique propè eadẽ alioqui sonaret doctrina, & forma similis conspiceretur: imò & eædem formulæ audirentur, sicuti & Optatus lib. 1. significat. neque temerè est, quod Augustin⁹ in lib. de vera relig. cap. 5. non modò in Schismaticis id obseruat, sed etiam in quibusdam hæreticis vt Arrianis & Photinianis. Manichæos verò & nõnullos alios ait etiam ritu sacramentorum dispares esse voluisse. vt minus mirandum sit, quod hos, minus quàm illos, Ecclesia Catholica ferre potuerit. Cùm

ergo Donatistæ pares esse viderentur doctrina & ritibus, difficilior cum iis fuit de Ecclesiæ agnitione quæstio: & aliis indiciis fuit opus quàm doctrinæ & sacramentorum. Et verò si Donatistæ cum Ecclesia Catholica cõmunicarent tam in doctrina fidei, quàm in ritibus & ceremoniis, tametsi cum personis non cõmunicarent, quas tanquam pollutas refugiebant, non nisi cuiusdam morositatis schisma fuisse videtur. Sed in sua actione sic variarunt, vt sibiipsis non consentirent, & in Collatione miscerent inconstanter quædam repugnantia. Alioqui dicerem eò recidisse certamen, vt quod in symbolo omnes profitebantur, Ecclesiam vnam esse sanctam & Catholicam, in Collatione Carthaginensi variè agitatum sit: cum nostri vrgerent vaticinia prophetarum, quæ Catholicam promittunt: Donatistæ verò opponerent vaticinia, quæ sanctam describunt Ecclesiam. Fateor causam hanc aduersus Petilianum, & neruosiùs & planiùs egisse Augustinum lib. de Vnit. quàm in ipsa Collatione: quia scriptionem non interrumpebat aduersarius, vt orationem. Sed eadem semper causa fuit. Obseruemus autem, Catholicos alia non admiscuisse, quæ institutam disputationem perturbasset.

Poterant fortasse Donatistis odio se obijcere aliquid Arrianismi. Sed nolunt aliò excurrere, & malunt amicè confiteri, sibi cum iis rem esse, non de capite, id est, Christo, sed de corpore, id est, Ecclesia, Quinimo quæstionem de anabaptismo, cuius erant rei Donatistæ, hîc etiam omittunt: & cum iis agunt perinde atque cum Luciferianis, qui eodem tempore in ipsa etiam Africa separatos ab Ecclesia Catholica suos

cœtus

cœtus habebant, neque tamen hæretici, sed potius schismatici erant: multò tamen quàm Donatistæ modestiores. Quandam cum his Collationem quodam Cathaginensis cum Donatistis Collationis exemplo, Hieronymus describit. Augustinus vtrósque coniunctim damnat. Mam in lib. de agone Christiano cap. 30. posteaquàm de Donatistis egit. Nec eos (*inquit*) audiamus, qui quanuis neminem rebaptizent, præcidere se tamen ab vnitate, & Luciferiani dici quàm Catholici maluerunt. Quod non rebaptizant, non reprobamus: sed quod etiam ipsi præcidi à radice voluerunt, quis non detestandum esse cognoscat? Hi sunt, de quibus Apostolus dicit: Habentes speciem pietatis, virtutem autem eius abnegãtes. Hanc illi non habent; quia præcisi ab vnitate sunt. &c. *Sed & Prosper Augustini discipulus, lib. 2. de promiss. & prædict. cum Donatistis Luciferianos comparat, & vtrósque ait, Christi corpus, id est, Ecclesiam, humanis calumnijs insectatos esse: vt alij hæretici, Ecclesiæ caput, id est, Christum ipsum, insectabantur. Denique Hieronymus disputans contra Luciferianos simul damnat Donatistas, quos vocat Montenses, sicuti eo tempore Romæ vocabantur: & pronunciat apud eos non Ecclesiam christi, sed Antichristi esse synagogam. Donatistæ clamitabãt, Ecclesiam Catholicam (vt loquebantur) apostatasse, & cum asylo Romuli eam compararunt, vt ait Augustinus lib. 2. contra Crescon. cap. 13. Luciferiani dicebant de Ecclesia factum esse lupanar, vt Hieronym⁹ cõtra Lucif. narrat. Vtrorumque similis erat ratio: quia lapsi; vel hære-*

tici, qui resipiscerent, recipiebantur. Sed schismatis iustam excusationem hanc non esse, Catholici responderunt. Lucifer Caralitanus in Sardinia Episcopus, acerrimus erat Nicenæ fidei defensor, & ab Athanasio, Hilario, Hieronymo, propterea laudatus est. Sed iniusti tamen schismatis non minus quàm Donatus, reus fuit, cùm dolens Arrianis facilè ignosci, & existimans earum communione Ecclesiam pollui, secessit, & Catholicam communionem deseruit, inque sua demum Sardinia, vt Donatus in Africa, hoc est, in suo cœtu, Ecclesiam superesse dixit. Sic Luciferiani ad Donatistas accessère, & vt propiùs accederent, in Africam traiecerũt. Sed mihi venit in mentem quod Ambrosius narrat in oratione de obitu fratris sui Satiri. Laudat fratrem illum suum, qui cùm in Africam forte traiecisset, vbi erat Ecclesia quadam Luciferiana, noluit cum ea communicare, quæ cum Catholica non communicabat. Quamuis enim (*inquit Ambrosius*) Lucifer pro fide exulasset, & fidei suæ reliquisset hæredes, tamen non est fides in schismate: & licet fidem erga Deum teneret, tamen erga Dei Ecclesiam non tenebat, cuius patiebatur velut artus diuidi, & membra lacerari. Etenim cum propter Ecclesiam Christus passus sit, & Christi corpus Ecclesia sit, non videtur ab his exhiberi Christo fides à quibus euacuatur eius passio, corpusque distrahitur. *Hæc Ambrosius.*

Feci non inuitus, vt obiter de Luciferianis aliquid interfererem, quod & Donatistarum conditionem illustret. Nam & vbi illos damnari audimus, multò

magis hos damnandos esse intelligimus. Sanè Augustinus in epist. 48. grauiter reprehēdit eorum errorem, qui existimabant nihil interesse, in qua quisque parte Christianus sit, sed vbi fidem teneat. Obijcit autem, hoc vni Deo congruere, vt in vnitate colatur. Narrat etiam lib. 1. contra Parmen. Tichonium illum, qui inter Donatistas moderatißimus simul & doctißimus erat, ingenuè quidem agnouisse, Ecclesiam Catholicā toto orbe diffusam esse: sed negasse (quod tamen erat consequens) Donatistas peccare, qui illi non communicabant. Recte quidem solet laudari illud Christi tanquam prouerbium: Vbicunque fuerit corpus siue cadauer, illic congregabuntur & aquilæ: *vt intelligamus, cùm de religione quaritur, in Christum nos intueri, ad eúmque accurrere debere, sicuti corui aut vultures ad cadauer conuolant. Sed Christus eodem loco, corporis quoque sui, hoc est, Ecclesiæ Catholicæ, cuius veluti ductu ad eum accurramus, gloriam & lucem, quam spectemus, nobis commendat, cum de suo nouo regno, & eius repentina admirabilíque propagatione loquens ait,* Sicut fulgur exit ab Oriente & apparet ad Occidētem. &c. *Ergo & Augustinus lib. 1. Euangel. quaest. cap. 38.* Orientis *(inquit)* & Occidentis nomine totum orbem voluit significare, per quem futura erat Ecclesia. *Tunc addit:* Constituta ergo auctoritate Ecclesiæ per orbem terrarum clara atq; manifesta, consequēter discipulos Christus admonet atq; omnes fideles, ne schismaticis credant, qui occultè congregant tanquam in Penetralibus & paucos in deserto. &c.

Vt redeam ad gesta Collationis: nihil iam est quod magis obseruare imprimis oporteat, quàm quod Augustinus in lib. de Vnit. contra Petilianum scribit. Quia *(inquit)* cum Donatistis quæstio nobis est, non de capite, sed de corpore: id est, non de ipso saluatore Iesu Christo, sed de eius Ecclesia: ipsum caput, de quo consentimus, ostendit nobis corpus suum, de quo dissentimus. *Rectè. Sed si illi, vt nos, caput illud ostentent: vbi potius corpus esse existimabitur? Augustinus monet, Capitis verbis, hoc est, sacris literis id satis indicari. Quibus? Quæ Ecclesiam ostendunt esse Catholicam. Vbi cum iis hæreticis, cum quibus de capite, id est, de Christo, eiúsue siue essentia & natura, siue officio aut beneficio, imprimis quæstio erat, & deinde de corpore, id est, de Ecclesia, vt cum Arrianis: Catholici simpliciter contendebant, ad dignoscendum corpus, inspiciendum esse caput, & de capite potissimum agebant. At vbi cum Donatistis res erat, qui de illo capite consentiebant: alio, vt necesse fuit, argumento, corpus, de quo solo cõtrouersia erat penes se esse contenderunt. Difficilis in tanta alioqui similitudine fuit hæc diiudicatio. Sed sufficere visa est illa, quam dixi, indicatio. Ergo & si Donatistæ cum Capite fortasse ostentarent alicuius corporis, hoc est, suæ societatis & conspirationis speciosiorem siue faciem siue colorem, hoc est, ritus & mores minus viciosos: tamen præualuit altera Catholicorum probatio, qua penes se, Christi corpus, id est, Ecclesiam, esse euicerunt: & simul apud Donatistas non esse ostenderunt. Nam & esse vnicam constat. Frustra autem de capite glo-*

riantur, qui de corpore non sunt. Nam vbi alterum non est, neutrum est, cùm & totus Christus, caput & corpus sit, vt ait Augustinus. Hinc protritum illud eiusdem contra Donatistas. Extra Ecclesiam non est salus. *Sanè Paulus Ecclesiam appellat Christum. Cúmque Iehoua sit proprium nomen Dei, tamen etiam attribuitur non modo altari Hierosolymitano, sed & nouæ Hierusalem, id est Ecclesiæ. Hæc autem obiter dico, vt magis intelligamus, quanta de re quæratur, cùm de Ecclesia quæritur, & cum Donatistis agi de re magna omniúmque adeò maxima, meminerimus,*

Posteaquam autē iam intelligimus τὸ κρινόμενον, *quæramus* τὸ κριτήριον: *tametsi & hoc iam indicauerimus illud nolo præterire quod Chrysostomus in Omil.*xlix. *in* xxiiij.*cap. Matth. fatetur suo tempore fuisse deficilimum cognoscere & discere & discernere Ecclesiam in tanta confusione similitudinis, cùm hæretici ostentarent, quæ Catholici ostendebant. Vnicum verò reliquum fuisse indicium ex scripturis. Sed quomodo? Augustinus id explicat.*

Donatistæ in Collatione rogabant, quibus testimoniis, diuinis an humanis ageretur, & quo iudicio lis definiretur? Nostri sacram scripturam, & testem & iudicem sibi fore respondent. Sed quomodo ea vtantur, & quid inde repetant, vt euincant quod volunt, obseruandum etiam est. Cùm Augustinus de Baptismo ab hæreticis, id est, extra Ecclesiam administrato, aduersus Donatistas disputat, non tantùm allegat scripturam, sed Apostolicam traditionem & Ecclesiæ vsum, consuetudinem, testimonium, auctoritatem:

vt lib. 2. de Baptismo, cap. 7. & lib. 4. cap. 6. & lib. 5. cap. 23. & lib. 1. contra Crescon. cap. 31. 32. 33. Sciebat Optatum quæstionem de vnico Baptismo contra Donatistas voluisse definire ex nudis sacris literis. Sed infeliciter id eum tētasse agnoscebat: neque ingenuum esse iudicauit, locos scripturæ detorquere. Ergo quod Optatus de Baptismo dicturus contra Donatistas prouocauerat sacras literas, & quod ex testamenti tabulis de voluntate testatoris iudicandum esse Iurisconsulti aiunt, huc retulerat: id Augustinus in Psal. 21. ita imitatus est, vt tamen in quæstione de Ecclesia potius hoc diceret. Nam in grauiori hac causa sentiebat scripturam liquidiùs probare quod aiebat. Atque ita etiam in libro de vnitate Eccles. contra Petilianum, Non audiamus (*inquit*) *hæc dico, hæc dicis:* sed audiamus, *hæc dicit Dominus.* Sunt certè libri Dominici, quorum auctoritati vtrique con sentimus, vtrique credimus, vtrique seruimus. Ibi quæramus Ecclesiam, ibi discutiamus causam nostram.

Non recusarunt hanc legem Donatistæ: sed in hypothesi dissensio erat, & cum vtrique suas veluti theses ex sacris literis repeterent, minimè conueniebant in fine, vsu, interpretatione. Catholici enim cum suam Ecclesiam esse catholicam, hoc est, toto orbe diffusam, liquere non dubitarent, satis superque esse statuunt, si probent sacris literis catholicam commendari. Ordiuntur autem à veteris Testamenti libris. Non enim hos repudiebant Donatistæ, vt Manichæi. Et vt à principio res repetatur, promissio facta Abrahæ imprimis proponitur. (nam & ex illo fœdere dependet

quicquid deinde in vniuersa Ecclesia admiramur) Deinde vaticinia Prophetarum de vocatione gentiũ, quæ Christo exhibito futura est, accumulant. Nam & ea conueniunt cum promißione facta Abrahæ.

Est autem diligenter obseruandum, quod Augustinus grauiter obseruauit & religiosè monet concione secunda in Psal.30. nempè, Prophetas apertiùs de Ecclesia quàm de Christo locutos esse: idque propterea, quòd viderent in spiritu (vt ait) homines contra Ecclesiam facturos esse particulas, & de Christo non tantam litem habituros, sed de Ecclesia magnas contentiones excitaturos. Ergo illud, de quo maiores lites futuræ erant, planius & apertius prædictum esse. Proponit huius rei exemplũ ex Geneseos cap.22. vbi post Isaacum è morte ereptum promittitur Abrahæ semen infinitum, atque eo modo Ecclesia apertè prædicatur, cùm Christus non nisi figuratè. Tandem concludit, penè vbique Christum in aliquo inuoluto sacramento prædicatum esse à Prophetis: Ecclesiam verò apertè, vt eam viderent & qui futuri erant contra illam.

Quid Donatistæ? Augustinus in lib. de Vnit. cap. 9. ait eos nõ ausos quidem esse planè dicere, falsa esse, quæ ex Prophetis recitabantur vaticinia de futura amplitudine Ecclesiæ Christianæ toto orbe diffusæ, hoc est, Catholicæ: sed excepisse tamen, non esse ea impleta, quia homines noluerint. Hîc verò multò magis insurgit & clamat Augustinus, nihil hoc aliud esse, quàm dicere, Prophetiam esse falsam, & Prophetas fuisse pseudoprophetas. Fateor peruersitate ingratorum hominum factum esse, vt multa Dei promißio-

nes, non dico irritæ fuerint, sed fuerint quodammodo impeditæ, quatenus erant conditionales appendices fœderis. Sed quod attinet ad principalem, quæ pura fuit, promißionem, veluti de Meßia exhibendo, & eius regno instaurando atque propagando: Apostolus profitetur eam non potuisse impediri hominum indignitate. Fateor etiam multa de Ecclesiæ excellentia & maiestate Prophetas prædixisse, quæ in cælis impleantur. Sed in terris saltem inchoari nemo negauerit. Apud Isaiam Deus loquens de Ecclesiæ amplificatione, cum iureiurando ait, Mihi flectetur omne genu. *Id autem Paulus refert ad finem mundi, & postremum (vt vocatur) iudicium. Sed interea, non negat quin suo etiam quodam modo id fiat in Ecclesia Christiana.*

Cùm Donatistæ negare non possent aliquam Catholicam Ecclesiam extare, suæ Ecclesiæ hũc titulum arrogarunt: & cùm aduersarios negabant esse, quod dicebantur, Catholicos: tum verò in Collatione sese nuncuparunt Episcopos & defensores Catholicæ Ecclesiæ & veritatis. Hîc verò cepit esse quæstio facti, potius quàm iuris: & tantò rursus difficilior, quod Donatistæ doctrinã Fidei Catholicam retinere etiam videbantur, neque apostasiæ in eo genere accusabantur. Aduersus alios hæreticos veluti contra Manichæos & Arrianos facilior fuit huius quæstionis diiudicatio. Sanè Lactantius lib. 4. cap. 30. scribit, singulos cœtus hæreticorum existimasse suam esse Ecclesiam Catholicam. Saltem id iactarunt, cùm viderent primã hanc esse Ecclesiæ Christianę conditionem. Sed cùm ad probationem vẽtum erat, erant ridiculi.

Imò etiam eueniebat, vt nostris tandem concederent, quod temerè imprudentes, iis eripere voluerant. Augustinus contra epist. Manich.cap 4. In Catholicæ *(inquit)* Ecclesiæ gremio me tenet ipsum nomen Catholicę: quod non sine causa inter tam multas hæreses sic ista Ecclesia obtinuit, vt cũ omnes hæretici se Catholicos dici velint: quærenti tamen peregrino alicui, vbi ad Catholicam conueniatur, nullus hæreticorum, vel Basilicam suam, vel domum audeat ostendere. *Idem Augustinus in lib. de Vera relig.cap.*7. Tenenda est *(inquit)* eius Ecclesiæ communicatio quæ Catholica est, & Catholica nominatur, non solùm à suis, verùm etiam ab omnib⁹ inimicis. Velint enim nolint, ipsi quoque hæretici & schismatum alumni, quando non cum suis, sed cum extraneis loquuntur, Catholicam nihil aliud quàm Catholicam vocant. Non enim possunt intelligi, nisi hoc eam nomine discernant, quod ab vniuerso orbe nuncupatur. *Sed & rursus in lib. de Vtil. creden. cap. 7. scribit quidem omnes hæreticos velle videri & dici Catholicos: sed vnam tamen esse (vt omnes concedunt) Catholicam Ecclesiam, multitudine refertiorem, si totum orbem consideres, & veritate sinceriorem cæteris omnibus. Ex quo (vt ait) liqueat iudicantibus arbitris, quos nulla impedit gratia, cui sit Catholicum nomen tribuendum, quod omnes ambiunt. Sed & posteà audiemus ex Victore Vticensi Arrianos in quadam Carthaginensi Collatione imprimis de hoc titulo litem mouisse.*

Sanè Nouatianos aliquando id irrisisse, quia (vt aiebant) sub Apostolis nemo Catholicus vocabatur, obseruaui in quadam epistola Paciani Barcinonensis ad Sympronianum Nouatianum. Quid autem vt hoc nomen tueretur, responderit Pacianus, magnus olim in Ecclesia antistes, eodem epistola suggerit: quam & Donatistæ legisse potuerũt. Præterea quid paulò ante Augustinum ipse Imp. Theodosius lege lata edixerit ea de re l.1.c. de summa Trinit. Nunc videamus quid Donatistæ obtenderent, vt hunc titulum sibi arrogarent, nostris autem detraherent. Cresconius Donatista clamitabat, Ecclesiam, cui Augustinus communicabat, non esse Catholicam, quia totus ei orbis non communicaret, cùm quidem multæ adhuc gentes barbaræ, quæ in Christum nondum crediderant, & multæ hæreses sub nomine Christi, alienæ à societate communionis Augustini essent? Augustinus libro tertio contra Crescon. cap. 63. arripit, quod ipse Cresconius confessus erat, totum quotidie mundum verti in nomen Christianum: & respondet, Ecclesiam ad residua occupanda quotidiè diffundi.

Fortunius Donatista audiens illam demum Ecclesiam esse Catholicam, quæ toto se terrarum orbe diffunderet, ausus est dicere, suam vbique terrarum esse communionem. Augustinus epist. 163. vt ei respondeat, rogat, num possit, epistolas Formatas, quò velit, dare. Sic enim facillimè terminari posse hanc quæstionem. Erant hæ epistolæ communicatoriæ, certa formula conceptæ, quas vltrò citróque mittebant Episcopi, vt testes & veluti tesseras suæ consensionis. Sic Optatus libr. 2. contra Donatistas, ait suos cum Damaso

communicare, cum quo totus orbis commercio Formatarum concordat. Donatistæ iactabant saltē magnam esse multitudinem suæ sectæ, & vt eam ostentarent, tam multi certatim confertimque concurrerant Carthaginem ad collationem: conquestique etiam sunt, iniuriam sibi fieri ab iis, qui eos non esse multos dixerant. Sed tamen cum præ Catholicis pauci esse viderentur, paucitatem nihilominus suam voluerunt esse indicium Ecclesiæ, quia (vt eorum patronus Cresconius dicebat) in paucis frequenter sit veritas: errare autem multorum sit. Augustinus lib. 3. contra Crescon. cap. 66. respondet, bonos veròsque Christianos, qui per seipsos multi sunt, in comparatione malorum falsorúmque itidem paucos esse. Idem lib. 2. contra aduers. leg. cap. 12. cùm audisset quēdam Manichæum commendare suorum paucitatem, quia (vt dicebat) paucorum sit sapientia: respondet hoc omnibus hæreticis aduersariis Ecclesiæ Catholicæ, quæ per omnes terras copiosa fertilitate diffunditur, in sua cuiusque propria vanitate commune esse. Omnes de sua paucitate gloriari, & seducere multitudinem, si poßint, velle. Sane Socrates hist. Eccles. lib. 5. cap. 10. narrat Arrianos primum gloriatos esse de sua multitudine. Vbi verò abs Theodosio repreßi & ciuitatibus eiecti essent, iactasse in desertis suis synagogis illud, Multi vocati, pauci electi.

Cum sentirent Donatistæ sese numero & multitudine non posse euincere nomen Catholicorum, confugiunt ad aliam cauillationem. Nam Acta Collationis narrant, Gaudentium dixisse, hoc esse Catholicum quod sacramentis plenum est, quod

perfectum, quod immaculatum. Sic & Augustinus in Breuic. scribit, Donatistas respondisse, Catholicum nomen non ex vniuersitate Gentium, sed ex plenitudine sacramentorum esse institutum. Verum inepta & inanis erat hæc argutiola. Acutum aliquid sibi dicere videbantur *(inquit Augustinus epist. 49.)* cùm Catholicæ nomen non ex totius orbis cõmunione interpretantur, sed ex obseruatione præceptorum omnium & sacramentorum. *Augustinus respondet, aliam esse huius vocis significationem: & tamen se non in ea hærere, sed diuinis oraculis inniti promittẽtibus Ecclesiam toto orbe diffusam. Et verò ille idem Gaudentius tandem eò recidit, vt cum vrgeri se sentiret, indignabundus exclamarit, Catholicã Ecclesiam humanum esse figmẽtum. Testis est Augustinus lib. 2. contra Gaudent. Maiori colore dixissent, Catholicum nomen esse prophanum & ciuile, quo leges vtuntur, cum significant Procuratorem Cæsaris l. pen. C. de bon. proscr. Sanè ante Augustinum, Optatus lib. 2. contra Donatistas disputans non solùm vrget, Ecclesiam esse catholicam, & ita appellari, quæ sit toto orbe terrarum diffusa: sed & alias (vt vocat) Ecclesiæ dotes, quibus illa & ornatur & dignoscitur, indicat: tametsi id faciat frigidè & obscurè. Præterea, quæ paulò post Augustinũ Vincentius Lirinensis ea de re acutius scripsit. Sed illud dico, cum apostolica Ecclesia defenditur, non defendi apostaticam colluuionem quorundam nebulonũ, qui κακολυκοὶ potius dicendi sunt. Ergo Donatistæ postremò Catholicis Apostasiam obiecerunt, cuius tamen ipsi potius rei erant. Augustinus in lib. de agone*

*Christ.cap.*19. Cùm (*inquit*) Donatistis obiicis locos scripturæ de Ecclesia toto orbe diffundenda, dicunt, iam ista omnia fuisse completa, antequam esset pars Donati: sed postea totam Ecclesiam periisse, & in sola Donati parte reliquias eius mansisse contendunt. *Quid ad hæc Augustinus?* O linguam (*inquit*) superbam & nefariam! *Idem in libro de Vnit.contra Petilianum narrat, Donatistas quidem confessos tandem esse, quæ Prophetæ prædixerunt de Ecclesiæ amplitudine: sed excepisse, postea orbem terrarum (vt loquebantur) apostatasse: defecisseque ex omnibus Gentibus Christianam religionem, excepta parte Donati: sicut in Enoch, in Noha, in Abrahamo, Isaac & Iacob, & in duabus tribus Iuda olim remansit Ecclesia. Speciosa erat hæc Donatistarum replicatio, qui & apostasiam quasi Catholicam dici posse obiiciebant, si longe & latè diffusa occupet orbem terrarum. Sed in apostasia probanda imperite hærebant, qui eam non ex doctrina fidei, sed ex hominum moribus & degeneri nequitia æstimari volebant, homines profecto præposteri & morosi & importuni, potiusquam acres aut acuti.*

Non potuit hæc controuersia melius diiudicari, quàm ex successione. Ergo Catholici responderunt legitimam iam inde ab Apostolis successionem sibi suffragari: Donatistis verò nullam esse. Dico successionem non modò personarum, sed etiam rerum: neque tantùm doctrinæ, sed & ordinationis: neque solùm ordinationis, sed etiam religionis. Certè vbi talis successio est, defectio non est: imò verò est

continuatio: vt neque ij, quibus ita succeditur, decessisse omnino videantur. Vsi antea erant hac defensione Irenæus & Origenes aduersus sui temporis hæreticos, & ipse quoque Tertullianus Afer de Præscrip. hæretic. Optatus eandem opponit Donatistis lib. 2. & eius exemplo Augustinus, qui & Manichæis eundem veluti arietem obiicit quinquies aut sexies in libris contra Faustum, & in lib. contra epist. Manich & in lib. de Vtil. cred. & in lib. 1. contra aduers. leg. ca. 20. Sed cum aduersus Donatistas agitur, difficilior hæc ratio est: quia & Donatistæ se cum veteri optima Ecclesia Ro. consentire contendebant, & non nisi à degeneri defecisse. Sic iam causæ quædam translatio erat, vt nō tam de Africana quàm de Rom. Ecclesia deinceps quæreretur & rursus multiplex quæstio facti oboriebatur. Non negabant Donatistæ Africanas Ecclesias tanquam colonias respicere debere Romanam tanquam metropolim, vt & Tertullianus Afer de præscrip. Videamus (*inquit*) quid Ecclesia Rom. didicerit, quid docuerit, cùm Africanis quoq; Ecclesiis contesserarit. *Ergo Donatistæ, astutè curarant, vt aliquam Romæ Ecclesiam haberent. Sed non potuerunt efficere, vt iam inde ab Apostolorum temporibus viderentur ibi habuisse Episcopum suæ sectæ. Ergo reuocati ad originem euanescebant. Originem autem, cùm de successione ageretur, inspiciendam esse, ipse quoque Tertullianus præmonuerat in lib. de Præscript. Sanè Acta Collationis testantur, Petilianum anticipatione quadam vsum, etiam Augustino & eius collegis vltro litem mouisse de origine & successione. Rogasse enim, quis eos ordinasset? quem patrem*

& auctorem haberent? vnde cœpissent? Augustinum autem respondisse, ab ipso Christo indicari exordium suæ communionis & originem suæ Ecclesiæ, quæ ab Hierusalem diffusa est per omnes gentes cõtinuò quodam progressu. Sic se Christum habere caput, Deum, Patrem: matrem, Ecclesiam talem. Rogant Donatistæ, quis Augustinum ordinasset. Augustinus fatetur fuisse Megalium Primatem Numidiæ. Donatistæ aliquid vitij in ea ordinatione notare & reprehendere volebant. Sed futilis eorum cauillatio fuit, quæ non extorquebat Afris Catholicis defensionem suæ cum Ecclesia Rom. communionis, in qua hi exultabant.

Optatus lib. 2. disputans contra Parmenianum Donatistam, enumerat iam inde à Petro continuam successionem Episcoporum Ro. cum quibus Afri catholici communicabant. Tum verò insultans Donatistis, Vos *(inquit)* vestræ cathedræ originem edite. *Respondebant (vt erant insulsi) Donatistæ, se quoque in Vrbe Roma habere Antistitem. Optatus replicat, primum, quem ibi habuerunt, vel potius quem eò miserunt, fuisse quendam Victorem, eumque Afrum, qui ante Donatum non fuerit. Ergo & Augustinus in quodam Psal. contra Donatistas,* Numerate *(inquit)* Sacerdotes ab ipsa Petri sede: & in ordine eorum patrum, quis cui successit, videte. *Sed & in lib. Quæst. Veteris & No. Testa. cap.* 110. *(qui liber Augustino ascribitur)* Ordinem (inquit) ab Apostolo Petro ceptum, & vsque ad hoc tempus per traducem succedentium Episcoporum seruatum perturbãt, ordinem sibi sine origine vindicantes, corpus sine capite.

Donatistæ, vt Romanorum Episcoporum illam successionem, quam Afri Catholici cum iis communicantes iactabãt, interruptam & vitiosam esse ostenderent, neque tamen confusè ea de re declamitare viderentur, aliquando dixère, primos aliquot illos quidem inculpatè (sic enim loquebantur) Ro. Episcopatũ gessisse: sed alios deinde dissimiles fuisse: quos & incredibilibus calumniis insectati sunt, vt ait Augustinus in lib. de vnico Baptismo. Denique clamitarũt Marcellinum, Miltiadem, Siluestrum, non minus Traditores fuisse quàm Cæcilianum. Mirum verò, potius non obiecisse Liberij quãdam desertionem & Damasi qui ei successit, seditiosam ordinationem, quam & Pelagiani propterea exagitarũt. Nam id Augustin⁹ significat, cùm lib. 6. contra Iulian. inquit: De constituendo Episcopo dissentionem populi Ro. insultabũdus obiectas. *Notum autem est ex Ammiano; qualis & quàm cruenta fuerit ea dissensio, cùm Damasus crearetur Episcopus. Sed & Iulianus Pelagianus, cum sedis Romanæ auctoritate premeretur, etiam ipsum (vt ait eodem loco Augustinus) beatæ memoriæ Zozimum, Apostolicæ sedis Episcopum, præuaricationis accusauit. Verùm vbi talia obijciebantur, Catholici respondebant esse calumnias: & licet vera crimina essent, tamen priuata vicia personarum religioni & Ecclesiæ, quæ & talia peccata damnat, non obesse. Plus habuisset coloris, si Donatistæ obiecissent, quod ipse olim Tertullianus Afer in lib. contra Prax. notauerat eius temporis antistitem Ro. propè Montanistam fuisse, & reliqua cumulassent, quæ ipse Tertullianus suo schismati obtendit in lib. de*

Pudic.

Pudic. & contra Psyph. Sed vsi sunt patrono Petiliano, qui tam fuit ineptus, quam fuerat olim acer & vehemens Tertullianus. Si Tertullianũ alterum habuissent suarum partium in Collatione, magis sudasset Augustinus. Nunc languidos & molles vincere facile fuit. Nam & si quid obiiciunt, quid aliud quã (vt ait Poeta) telum imbelle sine ictu contorquent, vel (quod dicitur) plumbeum & obtusum pugionem intentant? Ecce ne vagari in aëre viderentur, & agere, sine vllo testimonio, aliquando (inquit Augustinus epist. 48.) veluti insidiantes testimoniis diuinis, tanquam iam periisset Ecclesia de orbe terrarum, obiiciebant Hilarij quandam querimoniam de prouinciis Asiaticis, quæ Arrium sequebantur. Poterant, si doctiores acrioréſque fuiſſent, talem apostasiæ exprobrationem exaggerare. Nam ipse Hieronymus contra error. Ioan. Hieros. Totum (*inquit*) Orientem, excepto Athanaſio & Paulino, Arrianorum hæreſis poſſidebat, *Imò verò & Occidentem peruaserat, & ipsum Episcopum Ro. infregerat. Quid multis? Basilius epist. 60. fatetur sese cogitasse principia esse illius apostasiæ, cuius meminit Paulus ad Theſ. Neque non in Collatione Donatistæ obiicere poterant, Vrbem Romam à Barbaris captam esse, & Imperium Ro. iam pessum ire: sicuti eo tempore Hieronymus ipse alludens ad illum Pauli locum ad Theſſalon. & ruinam Romani Imperij, quæ Apostasia regnum præcessura credebatur, deplorans in epistola ad Gerontiam de Monog. inquit:* Qui tenebat, de medio fit: & non intelligimus Antichriſtum appropinquare? *Sed Donatistæ agunt paulò remiſſius. Neque sanè*

sui schismatis excusationem probabilem inde poterãt repetere, cùm quidem iam tempore Constantini, quo & Imperium Rom. & Ecclesia Christiana maximè florebat, ipsi defecissent ab Ecclesia. Neque Augustinus nunc laborat, vt illum Pauli ad Thessalonicenses de Antichristo locum exponat: quod postea fecit ad Marcellinum nostrum lib. 20. cap. 19. de Ciuitat. Dei. Tantum nunc diluit, quod ex Hilario Donatistæ obiecerant. Hilarij verba in libr. de Synod. hæc sunt: Audiui & vidi vitia præsentium non laicorum, sed Episcoporum. Nam absque Episcopo Eleusio, & paucis cum eo, ex maiori parte Asianæ decem prouinciæ Deum nesciunt. Atque vtinam eum nescirent. Cùm procliuiori enim venia ignorarent quàm obtrectarent. *Si Donatistæ hinc probare volebant Ecclesiam iam tum in orbe periisse, inepte Asiam pro toto orbe accipiebant. Quinimo in eodem libro Hilarius confitetur saltem Galliæ & Britanniæ Ecclesias in fide syncera perstitisse. Neque verò minus Africanæ Ecclesiæ Arrianismum reiecerant. Sed Augustinus alia defensione vtitur. Quánam? Ait, Hilarium decem prouinciarum Asianarum Zizania arguisse, non ipsum triticum: aut etiam ipsum triticum, quod defectu quodam periclitatur, quantò vehementius, tantò vtilius arguendum esse putasse. Ait Donatistas calumniari docto viro, qui grauiter increpabat, quos iterum parturiebat: & eodem modo potuisse dicere, nec tot Ecclesias Galatiæ tunc fuisse, quando dicebat Apostolus,* O stulti Galatæ, &c. *Ait, Ecclesiam aliquando obscurari, & tanquam obnubilari multitudine scan-*

dalorum : sed etiam tunc in suis firmißimis eminere: & aliquando multitudinem tranquillitate temporis quieta & libera apparere: aliquando tẽtationum & tribulationum fluctibus operiri atque perturbari. Tale autem tempus fuisse, de quo scripsit Hilarius. Addo, paulò post, tempore Theodosij, Ecclesiam illam vtcunque liberatam fuisse, vt rursus esset, qualis fuerat tempore Constantini. Addo, non dißimilem vicißitudinem olim visam esse & in regno Dauidis. Sed interruptio, quæ videtur continuitatem abrumpere, non tollit perpetuitatem. Caterùm vt ad Donatistas redeam: Si ex Hilario aliquid proferre volebãt, quod Augustino obiicerẽt in hac causa, cur non potius protulerunt quod Hilarius scripsit contra Auxentium de Ecclesia? Cur non vrgent quod scripsit Rufinus, Ecclesię faciem iam eo tempore fœdam admodum fuisse? Imò verò cur non obiiciunt grauiorem querimoniam Basilij & horribilem, quam edit, picturam Ecclesiæ (vt ita dicam confusè) confusæ? Cur non clamant Hieronymum confiteri, Ecclesiæ facem pro Ecclesia sua perfuisse tempore huius Collationis? Cur non ipsius Augustini ad ipsum Marcellinum verba ex epist.v. repetunt, In ista*(inquit)* Colluuie morum pessimorum & veteris disciplinæ deperditæ, &c. *Verùm simplicem Historiam actionis Donatianæ persequamur.*

Cùm Donatistæ clamitarent Ecclesiã Catholicam apostatasse (vt loquebantur) atq; periisse, & hoc clamore eludere vellent Prophetarum vaticinia de Ecclesiæ gloria, amplitudine, perpetuitate: rogarunt Catholi in Collatione, Vbinam scriptum esset tam citò.

esse perituram: vt & Augustinus in lib. de Vnit. quærit à Petiliano, Quando, quis, quomodo deleuerit Ecclesias Apostolico labore fundatas? sicuti & in epist. 161. ad Honoratum, rogat, Quomodo Christus perdiderit hæreditatem Gētium sibi promissam? Hæc enim interrogatio fuit, quæ Donatistis minimè vt oportebat ad hoc certamen instructis, veluti os obstruxit. Miror non obiecisse, quod in Ezechiele vel in Daniele vel in Apocalypsi scriptum esse dicitur de Antichristo, vel etiam in epist. ad Thessalonic. An suo tempore nondum venisse tempus illius Antichristi sentiebāt? Supererat alius locus Pauli ad Timotheum de Apostatis, qui nouißimis temporibus emergent. Sed ipse Augustinus in libro de Vnitate contra Petilianum, veluti præoccupat, & id pertinere ait ad purgamenta Ecclesiæ, & ad eos, qui ab Ecclesia defecêre: sicuti & in Manichæos locum illum retorquet lib. 5. contra Faustum cap. 10. & lib. 30. & lib. 1. contra Felicem Manichæum cap. 7. & in libro contra Secundinum, cap. 2.

Venio ad id, quod Donatistæ in Collatione potißimum vrgebant: vt cùm Catholica Ecclesia prædicaretur, ipsi sanctam quoque esse debere vicißim contenderent: qualem aduersariorum hoc est Catholicorum Ecclesiam, non esse clamitabant. Catholici agnoscebāt quid sibi deesset, & qualis illa esse deberet. Sed in hac vita perfectam non fore fatebantur: futuram verò in cælis: & hoc quotidie agi, vt maculæ deleantur, & rugosa esse desinat. Sed integram reformationem in hac hominum Colluuione non extare. Ergo Augustinus vt Fulgentio Donatistæ sic respondit, gloriosè gar-

rienti de suæ Ecclesiæ perfectione, sic in epist. 50. *ad Bonifacium,* Absit, *inquit,* vt quisquam nostrum ita se iuste dicat, vt sine peccato se esse iactare audeat, in hac vita, sicuti Donatistæ in nostra Collatione dixerunt, in ea se esse Ecclesia quæ non habeat maculam aut rugam, aut tale eiusmodi. *Fuit tamen non dissimilis iactatio Pelagianorum, vt indicat Augustinus lib.* 4. *ad Bonifacium cap.* 7. *& libr.* 2. *de bono perf. cap.* 5. *& libr.* 2. *contra Iulianum Sed quàm sit ventosa vanitas hæreticorũ, non est ignotum.*

Porrò cum Catholici in Collatione distinxissent Ecclesiam quæ est in cælis ab ea quæ est in terris: Donatistæ calumniati sunt, eos fingere duas esse Ecclesias: nec meminisse, vnam modò esse. Catholici talem calumniam facilè refutarunt, cum replicarunt & ostẽderunt, eandem ipsam vnam & sanctam Ecclesiam, nunc esse aliter, tunc autem aliter esse futuram vt ait Augustin. Collat. 3. *cap.* 4. *Ego non dubitarim tres gradatim agnoscere formas & species Ecclesiæ, primam Mosaicam siue Iudaicam, secundam Catholicam, tertiam cælestem, & quidem secundam priori multo excellẽtiorem, & tertiam secunda rursus multò meliorem promitti à Prophetis: & tamen talis profectus non interrumpit continuationem vnius Ecclesiæ: neque obstat, quin & prima illa Ecclesia, quæ & secundæ præmonstratio quædam erat, valde laudata sit. Vnde & Psalmus* 87. *de Sione & Hierosolymis, Gloriosa (inquit) de te dicuntur, ô vrbs diuina.*

Redeo ad Donatistas, qui repetito ab illius memoria exemplo, speciosè iactabant, sese esse tanquam duas il-

las Tribus,quæ non defecère, cùm aliæ decem tribus Israëlis abs Iuda regno desciuerāt secutæ Ieroboamū. Sed Catholici meritò inuertebant hanc cōparationem, & quamuis faterentur multas esse maculas & labes suæ Ecclesiæ, tamen quandiù illa Christum habebat caput, Schisma Donatistarum esse impium contendebant. Sed & Augustinus in lib. contra Fulgent. cum audiret Catholicos à Donatistis vocari Samaritanos, probat ipsos potius Donatistas esse tanquam Samaritanos. Hinc autem pendebat iudicium de exemplo communionis ex veteri Iudæorū Ecclesia repetito, de quo in Collatione maximè certatum est:tametsi non dissimulē vtranq; partē in ea cōtentione parū cauisse videri,cùm neutra in exēplo Prophetarum,quod allegat,satis obseruat discrimen,quod Prophetæ tamē omnes inculcant. Adeò feruor contentionis interdū confusè miscet,quæ discernenda erant. Itaque tantò magis excutiendum nunc est hoc caput Collationis, vt cū ventum sit ad præcipuum causæ statum, vtriusque partis rationes propius expendamus. Acta Collationis testantur Catholicos suam (vt vocant) Notariam, & Donatistas suam proposuisse atque opposuisse,cum scriptis potius quàm verbis agerent & contenderent. Notariam eo seculo siue etiam Notoriam vocabant scripturam, quæ aliquid notum faciebat vel indicabat:neque alioqui sic appellatur à nobis vel notariis. Vt autem hoc verbo Augustinus quoque in historia huius Collationis vtitur eo modo,quem dixi,sic & alibi magis ciuiliter in historia Donatistarum, Notoriam siue Notariam vocat scriptum ab Irenarchis elogium de reis Donatistis, vt in epist.159.& 160.

Atque ita etiam vsurpatur in Iure ciuili, vt in l. Diuus. De Custod.reor.l. ab accusatione.§.accusatores. Ad senat.Turpil.l.ea quidem C.de accusat.l.31. C.Th.de Episcop.& cleric. Apud Vopiscum duobus locis Notoria generaliter dicitur Epistola. Sed redeo ad Notariam vel Notoriam Catholicorum in hac Collatione propositam, in qua Acta testantur scriptam & propositam imprimis fuisse hanc Thesim.

Prophetæ populum peccatorem, & Dominum multis execrabilibus: abominationibus offendentem tam seueris vocibus arguebant, & flagellis correptionis duros atque indomitos animos, vsque ad inimicitias aduersum se horribiles excitabant: nec tamen se ab eo populo, in quo vtique etiam boni inter malos erant, corporali discrimine diuidebant, melius iudicantes per patientiam ferre malos, quàm per calumniam relinquere bonos.

Donatistarum responsio in illis Actis longior est: sed cõclusio est hæc de Prophetis, quorum mentio facta erat: Quod inter eos, quos damnabant, fuerũt, commorationis fuit, non communionis &c.

Quid deinde replicarint Catholici, breuiter exponit Augustinus in Breuiculo Collationis tertiæ diei, his verbis. De Prophetis, quià dixerant Donatistæ in literis suis, non eos communicare illis, in quos mala tanta dixerunt, responderunt Catholici, Quod vnum Templum fuerit, quo vniuersi vtebantur, nec quenquam Prophetarum, qui tanta dixerunt in malos constituisse sibi aliud Templum, sacrificia, sacerdôtes. *Idem Au*

guſtinus in libro contra Donatiſt.poſt Collat.cap.20. Adhuc*(inquit)*audent commemorare Prophetica & Apoſtolica teſtimonia,quibus nos vniuerſaliter in illa Collatione reſpondimus, oſtendentes ipſos Prophetas ſanctos cum iniquis in vno templo , ſub iiſdem ſacerdotibus inter eadem ſacramenta verſatos , nec tamen à malis fuiſſe pollutos , quia nouerant, inter ſanctum & immundum , non ſicuti iſti ſentiūt corporaliter populum diuidēdo, ſed bene iudicando & bene viuendo,diſcernere.*Idem paulo poſt propius accedēs ad Donatiſtarum obiectionem, ait*,Quod iuſſus eſt quidem Propheta nec panem manducare, nec vinum bibere in Samaria,quò miſſus fuerat,vt corriperet eos qui vaccas conſtituerant adorandas more idolorum Ægyptiorum,hoc omnino facere debuit quod præceperat Dominus , cui tunc eo modo illos corripere placuit,vt nihil ibi tangeret Propheta quem miſerat.Nūquid enim in Eccleſia non fit quotidie,quādo eos, quos acri⁹ corripimus, etiam ſi in eorum poſſeſſione ſumus , nihil ibi apud eos contingimus , vt ſentiant quantum eorum peccata doleamus? Nunquid tamen ideo plebis diſceſſio facienda eſt, vt ſicut mollis herba, indiſcretè eradicentur infirmi , qui de pectoribus hominū, & ignotis factis,etiam ſi nobis ſint cognita,iudicare nō poſſunt?Nam in ipſa Samaria & Helias & Heliſeus erant,& ſi ipſi in ſolitudine,non tamen deuitandorum ſacramētorum cauſa , ſed quia perſecutionem

ab impiis regibus patiebantur. Nam illic erant non vtique in solitudine, separata, quæ ipse ignorabat Helias, septem millia virorum, qui non curuauerunt genu ante Baal. *Hæc ille. Hîc verò necesse est, vt ingenuè dicam, quod sentio. Cùm diligentius considero quæ iam recitata sunt, vidētur mihi tam Catholici quàm Donatistæ incōsideratè confundere discrimen, quod olim fuit inter Iudam & Israëlem, intérque Hierusalem & Samariam. Nam vt Donatistæ confusè contendunt, Prophetas propter hominum vitia non communicasse sacrificiis siue Hierosolymitanis siue Samaritanis: sic Catholici non minus confusè contrà contendere vidētur, tam his quàm illis sacrificiis illos communicasse, & tametsi moribus sese separarent, tamen altaribus fuisse cōiunctos. Atqui, vt ipse Augustinus lib.17. de Ciuit. Dei, cap. 22. rectè dixerat, in Israële omnes reges fuisse reprobos, non etiam in Iuda: sic dicere debuit de Sacrificiis: & quidem sacrificiis Hierosolymitanis communicasse Prophetas & communicare debuisse, quandiu illorum legitima erat forma: tametsi sacerdotum & populi magna esset alioqui corruptio, & damnanda hypocrisis. Sed sacrificiis Israëlis siue Samariæ, neque Prophetas communicasse, neq; communicare debuisse: cùm quidem non esset legitimum altare extra templum: tametsi sacerdotum & populi vita fuisset minimè vitiosa. Et verò Prophetæ aliter reprehendunt sacrificia Iudæ, aliter Israëlis. In illis enim reprehendunt hypocrisim & impietatem personarum: in his verò formam quoq; & substātiam ipsorum sacrificiorum. Augustinus in libro post Collat. ait, Quæstionem hanc*

in Collatione fuisse euidenter solutam. Ego verò (ut nihil dissimulem) cogor dicere fuisse euidẽtem vtriusq; partis quendam errorem, & quidem iuris & facti errorem quandiu non adhibetur distinctio, quam dixi. Itaque miror, cùm in Collatione Carthaginensi adessent tam multi praeclari Antistites, neminem obseruasse discrimen illud, quod toties & tam euidenter Prophetae inculcant.

Rectè Donatistae aiunt Eliam & Elisaeum nũquam communicasse altaribus Samariae, & propterea in solitudine moratos esse. Itaque miror Augustinum respondere, Eliam & Elisaeum non fuisse in solitudine deuitandorum Samariae sacramentorum causa. Habitarunt etiam in Bethel. Sed nunquam aut ibi sacrificarunt, aut eius loci sacrificiis communicarunt. Denique & singulare & extraordinarium fuit, quod in monte Carmelo Elias semel sacrificauerit. Saltem cùm Augustinus ait Eliam aut Elisaeum non deuitasse sacramenta Samariae, distinguendum esset inter sacramenta Circuncisionis & sacramenta Sacrificiorum. Sacrificia certè in Samaria omnino vitanda & fugienda erant: quia non nisi in Templo Hierosolymitano fas erat sacrificare. Sed Circuncisio similiter templo alligata non erat.

Rectè rursus Donatistae de Prophetis Osea & Amos dixère, quod de Elia & Elisaeo, quia similiter illi Prophetae agebant cũ Israëlitis, & tamen clamabãt, Ne eatis in Gilgal, ne ascendatis in Bethauem: *hoc est, ne communicetis sacrificiis Israëlis siue Samariae. At non similiter dixissent,* Ne ascendatis in Hierusalem. *Ergo malè Donatistae subiiciunt:* Iam

verò in vrbe Hierosolyma quomodo poterãt Prophetę sacrificiis peccantium hominum cõmunicare, quę diuino spiritu pleni damnabãt. *Atque in his propheta damnabãt non tam sacrificij formam, quàm sacrificantis hypocrita personam.*

Sed & vbi Donatista concludebant. Commorationis fuisse non communionis, quod Prophetæ fuerint inter eos, quos damnabant: *Rursus distinguendum fuit inter Iudam & Israëlem. Propheta quidem etiam oriundi ex Iuda, migrarunt in Israëlem, vt ibi commorantes, non quidem altaribus Samaria communicarent: sed vt ea damnarent: sicuti fecère Amos & Oseas. Leuita autem, qui in Israëlis Tribubus habitabant, inde omnes fugerunt in Vrbem Hierosolymam, vbi tantùm sacrificare fas erat.*

Donatista, vt refellerent, quod Catholici in Collatione dixerant, moribus non corporibus bonos à malis separari debere, allegarunt illud Iesaia: Discedite, discedite, exite medio eorum. Mundamini &c. *quia & Paulus id repetit in epist. ad Corinth. Sed quod ad Iesaiam attinet, constat prima illa eius verba tantùm hoc velle & agere, vt Iudai sint parati ad discedẽdum ex Babylone statim atque dies Liberationis venerit. Interea autem etiam monet, vt sint mundi: ne scilicet communicẽt idolis Chaldęorũ: quod Apostolus ad suos Corinthios repetit, ne & ij communicent idolothytis, &c. Sed alioqui non iubet; vt patriam suam relinquant, & ex idololatrarum vrbibus fugiant. Alioqui ex mundo exire eos oporteret, vt alibi ait. Quod autem Iudai ex Babylone*

discedere iubebantur, peculiarem rationem habet, quæ ad alios trahēda non est. Augustinus in lib. de Vnit. cap.12. narrat, Petilianum clamitasse, decem Tribus diuisas esse & traditas seruo Solomonis, nempe Ieroboamo: duas verò remansisse filio Solomonis, deinde comparationem fingēdo dictitasse: Si & nunc totus mundus apostatauit: nos autem tanquam duæ illæ tribus permansimus in templo Dei, *id est,* in Ecclesia. *Quid ad hæc Augustinus?* Ostendant (*inquit*) scriptū esse, se esse tales, sicut scriptum est, illas duas Tribus tales fuisse: & tunc nihil resistimus. *Sed successio, de qua dixi, ostendebat potius Catholicos esse tales. Schisma verò indicabat Donatistas potius esse similes decem Tribubus. Olim quidem decem illæ Tribus Israëlis penes se esse Ecclesiam, potius quam in Hierusalem, contendebant. Sed nunquam id euicerunt, neque vllus vnquam Propheta id iis concessit, Cùm abducta in seruitutē eæ essent & iis successissent Samaritæ, durauit eadem contentio: adeò vt æmulum templum in monte Garisim ædificatum sit, quale Hierosolymis fuerat à Iudæis reducibus non multò antè instauratum. Ac quidem quæstio tunc quoque agitata est, vtrum esset templum legitimum: tandémque est relata ad iudicium Ptolomæi Ægypti Regis: & quidem terribili cōditione, vt qui aduocatus causa caderet, morte mulctaretur. Sed audita Mosis lege, & probata Pontificum Iudæorum cōtinua successione, rectè iudicatum est pro templo Hierosolymitano. Testis est Iosephus lib.13. cap.6. Estque profectò historia illa memorabilis, & idoneum exemplum, quod hîc laudetur. Sed simul miremur, Sama-*

ritanos tamen sibi nihilominus arrogasse quod solebant: quod etiam fecêre cùm eorum templum Garizitanum fuisset dirutum: adeò vt Christi tempore eam litem etiamnum perdurasse audiamus. Nihil dicam de altero Templo apostatico, quod in Ægypto ad exemplum Hierosolymitani conditum ab ipsis Iudæis est. conniuente Rege Ptolomęo. Nunc enim me contineo in exemplo veteris dissensionis inter Samariam & Hierusalem. Neque potest in hoc argumento exemplum illustrius ex historia veteris, Ecclesiæ repeti: in quod quidem cū intuemur, tam horribilis etiam schismatis, quod tādiu durauit, memoria nos percellat, necesse est. Neque dubium est, quin Augustinus multa prospiciens inde colligeret, quòd in schismate Donatistarum gemens deploraret, vt tristißimam Ecclesiæ calamitatem defleret.

Redeo ad eum locum, in quo Augustinus negat, Donatistas esse, quod dici volunt, hoc est, tanquam Tribum Iudæ. Adiicit enim per conceßionem, etsi id essent, tamen legere debere Prophetas, qui dicunt Israëlem auersatricem iustificatam esse peccatis Iuda præuaricatricis. Hoc certè Ieremias cap. 3. & Ezechiel cap. 16. dixêre, vt & suos Iudæos castigarent, Ecclesiæ titulo nimis indigne abutentes: neque dubito quin & ipse Augustinus peccatis suorum minimè indulgens, sæpius suo populo id exprobrarit. Illud miror quod in eodem suo lib. de Vnit. contra Petilianum. cùm hanc quæstionem tractat, adiicit, partem illam veteris populi, hoc est, Israelem, deputādam non esse, tanquam hæresis fuisset. Deum enim decem illas Tribus iußisse separari, non vt religio, sed vt regnum

diuideretur. Cùm hæc lego, fateor (ne quid iterum dissimulem) me hærere & subsistere. Deus quidem iustè meritóque decreuerat, Ieroboam fore regem, vt puniret peccatum Solomonis. Sed nihilominus Israël peccauit, cùm perfidiosè talem sibi regem asciuit, vt à regno Dauidis & à templo deficeret. Sed & ipse Augustinus lib. 1. contra Cresc. cap. 31. ait Samaritanos fuisse veluti hæreticos Iudæorum. Audio, quod contra Petil. ait, Deum iussisse, vt regnum Iudæ diuideretur, non etiam religio. Non enim iussisse fieri schisma : sicuti (*inquit*) sæpe in orbe terrarum regna diuiduntur, & tamen Christiana vnitas nõ diuiditur, quia in vtraque parte inueniatur Ecclesia Catholica. *Verùm (si mihi fas est ingenuè dicere quod sentio, vt quod verum esse puto, verecũde quidem, sed tamen liberè exponam, nullo Augustini præiudicio impeditus) existimo obseruandum esse, aliam fuisse rationem Regni Iudaïci siue Dauidici, aliam esse aliorum regnorum. Nam in Regno Dauidis sic inclusa fuit Ecclesia, sicq́ue cum eo coniuncta, vt non potuerit diuidi, quin religio diuideretur, hoc est, quin qui ab eo desciisset, schismatis reus esset. Nam qui ab eo deficiebat, ab Ecclesia quoq; ipsa deficiebat. Certè orabatur pro hoc regno, vt pro Ecclesia, Psal. 77. & 108. & Dauid propterea dicebatur primogenitus inter Reges, Psal. 89. At (inquies) Deus tamen dicitur diuisisse regnum Dauidis. Fateor, sed longè alio fine, quàm ipse Ieroboam schismaticus, aut quæ eum secutæ sunt decem Tribus, quarum longe aliud fuit, quàm Dei consilium. Hæc obiter dicta sunto. Conclusio Augustini contra Petilianum est, fuisse*

etiam in Israële Prophetas. Audio. Sed tunc fateor Donatistas rectè dixisse, commorationis illud fuisse non communionis. In Iuda verò non modo commoratos esse, sed etiam communicasse, dicendum etiam est, vt antè admonui.

Hîc ego veniam audaciæ peterem, si paulò liberius videor notare in Augustino & eius collegis, non satis ab iis obseruatum esse discrimen Iudæ & Israëlis. Sed pudoris potius quàm petulantiæ vllius vestigium in meo facto agnoscet æquus & veritatis studiosus iudex. Certè vt mihi integrũ non fuit dissimulare quod sentiebam, sic agnosco factum esse quodam impetu disputationis, ad Donatistarum molestissimam importunitatem reprimendam, vt Catholici in Collatione minus distinxerint Iudam ab Israële, cùm Prophetas quantumuis seueros vitiorum reprehensores minimè omnium fuisse schismaticos ostendere vellent, & Donatistas valde reprehenderent, qui sui schismatis exemplum repetebant à Prophetis, quos fugisse suæ gentis sacrificia confusè clamitabant, contrario quodam modo Iudæ & Israëlis discrimen confundentes. Cæterùm minimè alioqui Augustinum ignorasse quod dixi, imò verò tale discrimen diligenter alias indicasse, testis est eius liber 17. de Ciuit. Dei. Iam verò si quæratur, quid post Collationem Marcellinus iudex pronuntiarit, qui tam academicus non erat, vt pronuntiaret non liquere. Augustinus in breuic respõdet pronunciasse confutatos esse Donatistas omnium documentorum manifestatione,

Possidius, qui etiam interfuit, ait Donatistas sententia Cognitoris notatos esse, & post eorum appella-

tionem, piissimi Regis responso iustè inter Hæreticos esse condemnatos. Nempe sententiam Marcellini consecuta est lex Imperatoria. Nam & quæ in Codice Theodosiano l.54. de Hæret. extat Honorij constitutio contra Donatistas, data Rauennæ Cōstantio & Constante Coss. non nisi duobus post Collationem Carthaginensem annis edita est. Atque ita quidem olim solebant Christiani Imperatores sancire Decreta Conciliorum. Præfatur autem Honorius sese hactenus pepercisse Donatistis, quos (inquit) patientia clementiæ nostræ seruauit. Id verò non satis intelligeretur, nisi meminerimus quàm patienter & benignè paulò antè auditi in Collatione fuissent. Neque tamen planè nouum est, quod Honorius iubet eos esse intestabiles, nullámque potestatem vllius (vt loquitur) ineundi, habere ait. Certe Theodosiana quoque lex fuit, qua iis vel faciendi testamenta, vel per donationes alicui quid conferendi facultas adimitur, vel ex donationibus testamentísve aliquid capiendi, vt ipse Augustinus recitat ad finem lib. 1. cont. Parmenian. Sed & ad ius ciuile pertinet, proptereáque minus præterire possum, quod eodem loco narrat Augustinus, cùm homo quidam nobilis Imperatoribus supplicasset, quia soror eius, quæ de parte Donati fuerat, cùm defungeretur, in aliquos communionis suæ plurima contulisset, præceptum esse, vt omnia fratri restituerentur. Hic ergo locum non habuit lex Papia de caducis, ex qua fiscus capiebat, quod relictum erat ei, qui capere non poterat. Sed etsi frater ille fuisset præteritus vel exhæredatus, iure communi potuisset rescindere sororis testamẽtum, in quo turpes & infames personæ (quales erant

Dona-

Donatistę) fuissent instituta. Sed quia nũc de iure Ciuili disputandi locus non est, prætereo quod pluribus verbis ea de re dici posset. Moneo tamen Lectorem, vt conferat quam huius legis deprauationem postea in Africa edidit Hunnericus Vandalus, vt Victor Vticensis libro 3. narrat, & nos ad eum annotauimus. Illud præterea ex lib. xvi. *Cod. Theodos. Tit.* v. *cap.* v. *didicimus, quod huc omnino referendum est, non multo post Collationem mortuum fuisse Marcellinum, proptereaq; quæsitum fuisse, an eius morte Acta Collationis labefactarentur. Imperatorem verò Honorium duobus circiter mensibus post superiorem legem suo ea edicto iterum cõfirmasse. Sic enim Iuliano Proconsuli Africæ rescribit:* Notione & solicitudine Marcellini spectabilis memoriæ viri cõtra Donatistas gesta sunt ea, quæ tanslata in publica monimenta habere volumus perpetuam firmitatem. Nẽque enim morte cognitoris perire debet publica fides. Dat. iii. kalend. Septemb. Rom. Constantio & Constante Coss. *Sed ad huius legis siue rescripti sententiam intelligendam, necessaria fuit Collationis historia, quam exposui. Et vt fragmenta colligam, quæ dispersa dissectáque non intelliguntur: nunc adiiciam quod Honorius scribit, & ad hunc locum pertinet, inquit lib. 7. cap.* 42. His diebus præcipiẽte Honorio, pax & vnitas per vniuersam Africam Ecclesiæ Catholicæ reddita est: & corp⁹ Christi (quod nos sumus) redintegrata discisione sanatum est, imposita execution e sancti præcepti Marcellino Tribuno viro imprimis prudenti & industrio om-

niúmque ſtudiorum bonorum appetẽtiſſimo: quem Marinus comes apud Carthaginem (incertum, zelo ſtimulatus, an auro corruptus) occidit: qui cõtinuo reuocatus ex Africa, factúſq; priuatus, vel ad pœnam, vel ad pœnitentiam, conſcientiæ ſuæ dimiſſus eſt. *Hæc Oroſius. Quæ quidam indicant, quis fuerit ſiue fructus, ſiue exitus Collationis cum Donatiſtis: & quid eam cõſecutũ ſit, vt & iis ſatisfiat, qui quærunt, ecquid illa profuerit? Ac quidem primùm reſpondeo de Donatiſtis, quod Hieronymus de Luciferianis eorum propè ſociis, nẽpe vinci poſſe perſuaderi non poſſe. Et tamen multos, qui ſanabiles erant, reſipuiſſe ipſe Auguſtinus teſtatur in lib. de Geſt. cum Emer. vbi de hac Collatione loquens,* Donatiſtas *(inquit)* in nomine Chriſti in gremium Catholicum magna ex parte ſuſcepimus, ita vt penè omnes communioni Catholicæ ſociatos eſſe gaudeamus. *Idem Auguſtinus in epiſt. 50. ad Bonifacium, ait,* Maximè poſt Collationem quæ inter nos & Epiſcopos eorum apud Carthaginem fuit ex magna parte correcti ſunt. *Ergo effecit hæc Collatio quod vix vnquã efficere potuerunt maxima & optima alioqui Concilia. Sed vellem etiam quod Auguſtinus optabat, effecit, vt Catholici mali, quorũ deprauatio irritabat Donatiſtas, horum tumultibus correcti & emendati fuiſſent. At quàm potius facti ſint deteriores, bonus eſt teſtis Saluianus Maſſilienſis in lib. de prouid. & iudic. vbi Carthaginenſium incredibilem inſaniam & proiectam nequitiam deſcribit. Ergo non multo poſt Collationem accidit, vt hoſtes Donatiſtis longè*

immaniores in Africam inundarint, qui terribile diuinæ vltionis aduersus deploratam improbitatem exemplum ediderunt, excisis plusquam quadrigentis Ecclesiis, & ipsa deniq; Carthagine euersa: moriénsq; Augustinus talem calamitatem ita defleuit, vt tamen in ea gemens iustum Dei iudicium agnosceret, sicuti Posidius narrat. Interea gratulandum est Donatistis, si qui sanabiles erant, nullum scandalum obstitisse, quominus ad eam redirent, quam in Collatione Ecclesiam agnouerant. Sanè Posidius, qui Collationi, vt dixi, interfuit, testatur, potissimum per hanc Collationem factum esse, vt Augustino palmam Deus dederit, & in dies ageretur pacis vnitas & Ecclesiæ confraternitas, & multi Donatistarum Episcopi ad pacem Catholicam redierint, & quiduis eo nomine ab Donatistis passi sint. Interea tamen idem Posidius adiicit, non defuisse qui calumniosè dicerent non fuisse permissos Donatistas apud Potestatem, quæ causam audiuit, dicere omnia pro suis partibus, quoniam Catholicæ communionis Cognitor suæ fauebat Ecclesiæ. Sed inanem fuisse hanc cauillationem Posidius ostendit. Alij fingebant, precio corruptum Marcellinum fuisse. Sed hoc eadem impudentia dicebant, qua olim cùm appellassent Constantinum, & is Cæcilianum absoluisset damnassétque Donatum, cauillati sunt corruptum fuisse Imperatorem. Atque vt intelligamus nihil non eos captasse, quod calumniarentur, etiam conquesti sunt noctu Marcellinum iudicasse. Ipsi cauillando in Collatione iam diem consumpserant, vt in tenebris effugerent. Iudex volens sua patientia iis præcidere omnem in posterum occasionem

iusta querimonia, abiiciebat clepsydram, & patiebatur eos quiduis dicere, potius quàm actionem interrumperet. Sed tamē tādem sententiā tulit, cùm illi dixissent, & dixisse se confeßi essent: neque, quia serius iudicauerat, propterea rem iudicatam eludi passus est. Gellius libro decimo quarto scribit Senatusconsultum nec ante exortum, nec post occasum solem factum, ratum fuisse. Imò & cùm de iudiciis ageretur, in xii. *Tab. scriptum fuit,* Sol occasus suprema tempestas esto. *Sed non eadem fuit omnium decretorum ratio: neque semper ea lex seruata est. Nam & sæpe Romani imitati sunt Areopagitas, qui non nisi noctu iudicabant, & ipse noster Iustinianus in Nou.* 82. *iubet pedaneos suos iudices sedere pro tribunali à summo diluculo vsque ad vespertinum crepusculum, siue vt loquitur,* εἰς δείλην ὀψίαν, *neque quicquam obstat, quin si causa postulet, iudex poßit diutius etiam sedere. Denique & testamenta & contractus noctu posse fieri, dubitādum non esse lex ait. L.* 22. §. *penult. de Testam. L. non minorem, C. de Transact. Noster quidem certè Augustinus respondens Donatistis exclamat:* Quis ferat victos homines conqueri, quòd nocte contra eos est prolata sententia: quasi non sæpe iudices audiendi necessitas teneat, vt vsque ad multam partem noctis sedere cogantur? An ideò non est verum, quod dicitur, quia per noctem dicitur? &c.

Interfuerat Collationi Emeritus Donatista: Sed ingenuè nō fatebatur sese in ea victum esse, & nescio quos calumniarum fumos spargebat in sua Cæsariensi Mauritania. Eò itaque cùm profectus esset Augusti-

nus, non recusauit veluti actum agere, & Gesta Collationis rursus exponere atque tueri. Ait, id se fecisse Honorio xij. *& Theodosio* viij. *Coss. Itaque apparet septem annis post Collationem id accidisse, atque adeò eo ipso anno, quo in Carthaginensi Concilio, causa Pelagianorum agebatur, & vt in Mileuitano iudicata fuerat anno priori Augustinus lib.2.retract. simpliciter ait aliquanto post Collationem, cùm quædam orta esset necessitas pergẽdi in Mauritaniam. Cæsariensem, sese egisse cum illo Emerito: neque alioqui causam illius suæ profectionis exprimit. Sic & in epist.*207. Eò(*inquit*) nos iniuncta nobis à Zosimo Apostolicæ sedis Episcopo Ecclesiastica necessitas deduxerat. *Et Possidius qui interfuit Cæsariensi illi actioni, non minus quàm Collationi Carthaginen, tãtum ait, cedis Apostolicæ literas compulisse Augustinum cum aliis Episcopis venire in Mauritaniam ob terminandas alias Ecclesiæ necessitates: cùmque incidisset in Emeritum eius loci Donatistarum Episcopum, cum eo iterum congressum esse, vt is libere diceret pro sua parte, quæcunque vellet, quia quidam dictitabant eum in Collatione prohibitum esse omnia dicere. Quid ibi gestum sit, ipse Augustinus conscripsit, vt Gesta Cæsariensis illius collocutionis cum Actis Carthaginensis Collationis coniungerentur. Ridiculum est, quod Exscriptores Centuriarum historiæ Ecclesiasticæ nuper annotarunt, illi Cæsariensi repetitioni interfuisse Imperatores Honorium & Theodosium, quia hanc iis Consulibus habitam Augustinus dicat.*

Nõdum dicam me de Donatistis dixisse. Scio enim multa superesse dicenda, quæ multi vulgo miserè &

imperitè miſcent. Sed cùm vix eſſet aliquomodo tranſactum hactenus cum Donatiſtis, ecce Africanam Eccleſiam interturbat & diſtrahit noua cauſa ſubtiliórque actio Pelagianorum: quæ tamen vt magis philoſophica & minus turbulenta fuit, ſine vi, ſine latrocinio, ſine ſanguine, ſic inſidiis & cuniculis vſa eſt ſpecioſis: tantóque magis pij antiſtites in Africa duce Auguſtino, relictis iam quodammodo Donatiſtis, ad illam reprimendam conuenere in Mileuitana & Carthaginenſi Synodo. Sed vt de vtraque hac Synodo nugatores indignè & falsò multa ſparſere, ſic ſentio totam Pelagianorum cauſam poſt Donatiſtas, ſentio Africanæ hiſtoriæ Eccleſiaſticæ egregiam partem eſſe, de qua deinceps diligẽtius etiam nobis dicendum ſit quàm de Donatiſtis.

* *
*

S. VICTORIS VTICENSIS EPISCOPI DE VANDALICA PERSECVTIONE IN AFRICA, LIBRI III.

Cum prolegomenis Fran. Balduini I. C.

EX RERVM ECCLESIASTICARVM COMMENTARIIS Fran. Balduini I. C.

AD Africanam Ecclesiam vexandam Donatistis successisse videntur Vandali: inter quos & illud simile fuit, quod vt Donatistæ non erant alieni ab Arrianismo, sic Vandali Arriani ab iis Anabaptismum didicisse videntur. Scio Augustinum in epistola quinquagesima ad Bonifacium, nolle cum Arrianis omnino comparari Donatistas. Sed idem tamen in lib. de hæresib. fatetur Donatum non habuisse (vt loquitur) Catholicam de Trinitate sententiam: & in epistol. 163. ait se audiuisse Arrianos cum à Catholica communione (vt eius verbis vtar) discrepassent, tentasse sibi sociare Donatistas in Africa. Denique Epiphanius & Theodoretus, cùm de hæreticis agunt, Donatistas Arrianæ quoque impietatis accusant. Et verò libellus Victoris testis est, Vandadalorum tyrannum Arrianum in suo Edicto non dissimulasse, sibi non probari quod lex Theodosiana Circuncelliones mulctaret. Ergo post Donatistarum historiam visum fuit subiicere Vandalicam persecutionem, & cum Optato Victorem coniungere: neque (opinor) Mileuitanus recusabit Vticensem, tanquam Collegam adiungi. Nam & vt dissimulem quod Iurisconsulti nostri aiunt in Pandectis Titulo de censibus. Vticam non minus quàm Carthaginem Iuris Italici fuisse: & quod Plinius libr. v. cap. 4. ait, eam coloniam ciuiũ Ro. fuisse Catonis morte nobilem: memini iam olim Cirtensem in Numidia Coloniam

ex Vticensi conuentu deductā fuisse videri, cū quidem illam Sittianorum vocatam esse Plinius scribat. P. autem Sittium Equitem Ro. de Cōuentu Vticensi fuisse Hirtius testetur. Neque verò vt Mileuim Optati eruere difficile fuit, Vticam Victoris magis illustrare necesse est. Sed dico Numidiam non cessisse Africæ, si conferamus, quos & hæc & illa præstantes in Ecclesia antistites habuerit. Nam vt Mileuim nunc prætercam: non modo Cirta, sed & Sicca Arnobij auditorio nobilis, & Hippon Regius Augustini sede nobilissimus, Numidiæ ascribitur. Vtica verò fuit Proconsularis prouinciæ Carthaginensis. Sed ex Optato & Victore vtriusque decora cognoscere magis licebit. Cæterùm falluntur homines temporum imperiti, qui existimant (vt nuper quidam non modo existimarūt, sed etiam scripserunt, homines alioqui literati) Victoris Vticensis historiam de persecutione Vandalica esse illam, quam Hieronymus in epist. ad Paulum Concordiensem laudat, & requirit, & desiderat, his verbis, Propter noticiam persecutionum, Aurelij Victoris historiam, &c. *Atqui ipsa historia Victoris nostri clamat sese tantum agere de persecutionibus Vandalicis, quæ diu post mortem Hieronymi ceperint in Africa: & facile intelligi potest, longe alium & multo antiquiorem fuisse sex Aurelium Victorem, cuius etiamnum extat Epitome de vita & moribus Imperatorum ab Augusto vsque ad Theodosium. Credo etiam eum tunc descripsisse (quamuis nunc ea pars non extet) persecutiones abs Nerone primùm, & postremò ab Diocletiano & similibus excitatas aduersus Eccclesiā. Sed nihil hoc ad Vādalicas.*

Plus haberet coloris. si quis eum nostro Vticensi confunderet Victorem illum Episcopum, quem Gennadius testatur scripsisse librum contra Arrianos, & Vandalorum Regi obtulisse. Sed tamen eundem non esse Victorem vel inde liquet, quod Gennadius ait non Vticensem. sed Episcopum fuisse Cartennæ Mauritaniæ ciuitatis, & enumerans alios eius libros complures, nullam ab eo scriptam esse historiam dicat. Cõmemoratur etiam quidam Victor Afer Episcopus Cemmensis, qui historiam scripserit ab orbe Condito, familiaris nostro Iustiniano. Sed nihil ad Vticensem. Porro etiam ineptum & præposterum est quod nuper quidam nostri Victoris Gallus interpres præfatus est, eum floruisse viuente Augustino. Atqui Victor primò statim versu suæ historiæ, satis significat sese eam exordiri annis post mortem Augustini propè sexaginta. Nam mortuus est Augustinus paulò post quàm Vandali ex Hispania in Africam irrupissent, prouocati ab ipso (vt aiũt) Bonifacio Africæ Comite, quem irritauerat quædam siue iniuria, siue contumelia ab ingratis quibusdam Rom. illata, & quẽ ne ipse quidẽ August. placare potuit, quãuis ad eum propterea scripsisse videatur epistolam lxx. Postea tamen reconciliatus dicitur Imp. suo Valentiniano, & aduersus Vandalos bellum gessisse in Africa: sed serò & infæliciter. Quod nunc obiter addo, quia & noster Victor lib. I. meminit illius Bonifacij, quem famosum vocat, eiúsque generum Sebastianum in Vandalica aula Genseryci magnum fuisse ait: sed qui tamen aulicæ potentiæ prætulerit religiosam pietatem. Redeo ad id quod, potius dicere institueram. Noster, vt dixi,

Victor orditur ſuam hiſtoriam abs Vandalorum ex Hiſpania in Africam irruptione, & ab ea vaſtitate quam ſimul intulerunt, atque adeò ab ea (vt vocat) perſecutione quam ſtatim (nam Gothi cum ſuo Arrianiſmo in Hiſpania hanc iis rabiem afflauerant) crudeliter aggreßi ſunt. Qualis autem fuerit eius tragœdiæ velut protaſis, & quàm latè ſtatim ſit graſſata, viuente etiamnum & vidente ipſo Auguſtino, magis vt intelligatur, iuuat audire teſtem bonum & oculatum Poßidium Calamenſem Epiſcopum, Auguſtini diſcipulum & contubernalem, qui diligẽtiùs etiam quàm Victor, id deſcribit, & ſimul obſidionis Hipponenſis, cuius Victor quoq; meminit, conditionem exponit, & denique ſanctißimum Auguſtini de tota hac calamitate iudicium recitat: Vnde plurimum & lucis & ſplendoris Africana hæc hiſtoria Victoris noſtri ſtatim accipiet. Verba Poßidij ſunt hæc.

Breui conſequente tempore diuina voluntate & poteſtate præuenit, vt manus ingens diuerſis telis armata & bellis exercitata, immanium hoſtium Vandalorum & Alanorum commixtam ſecum habentes Gothorum gentem, aliarúmque diuerſarum gẽtium perſonas ex Hiſpanię partibus tranſmarinis nauibus Africæ influxiſſet & irruiſſet: vniuerſáque per loca Mauritaniarum etiam ad alias noſtras tranſiens prouincias & regiones, omni ſæuiens crudelitate & atrocitate, cũcta quæ potuit expoliatione, cædibus, diuerſiſque tormentis, incendiis, aliiſque innumerabilibus & infandis malis depopulata eſt, nulli ſexui, nulli parcens

ætati, nec ipsis Dei sacerdotibus vel ministris, nec ipsis Ecclesiarum ornamentis seu instrumentis vel ædificiis. Et hanc ferocissimam hostium grassationem & vastationem ille homo Dei Augustinus, & factam fuisse & fieri nó vt cæteri homines sentiebat & cogitabat: sed altiùs & profundiùs ea considerans, & in his animarũ præcipue vel pericula, vel mortes præuidens, solito amplius quàm vt scriptum est. *Qui apponit scientiam, apponit dolorem*: & cor intelligens quasi tinea ossibus, fuerunt ei lachrymæ panes die ac nocte, amarissimámque & lugubrem præ cæteris suæ senectutis iam penè extremã ducebat ac tolerabat vitam. Videbat enim ille homo Dei ciuitates excidio perditas pariter cum ædificiis, villarúmq; habitatores, alios hostili nece extinctos, alios effugatos atq; dispersos. Ecclesias sacerdotibus ac ministris destitutas, virginésque sacras & quósque continentes vbique dissipatos: & in his alios defecisse tormentis, alios gladio interéptos esse, alios in captiuitate perdita animi & corporis integritate ac fidei malo more ac duro hostib⁹ deseruire. Cernebat etiam hymnos Dei & laudes de Ecclesiis deperisse, ędificia Ecclesiarum quamplurimis locis ignibus concremata esse, solennia quoque quæ Deo debẽtur, de ꝓpriis locis defecisse: sacrificia ac sacramenta diuina vel non quæri, vel quærenti qui tradat, non facile reperiri: in ipsas montium syluas & cauernas petrarum & speluncas confugientes,

vel ad quaſcunque munitiones, alios fuiſſe expugnatos & interfectos, alios neceſſariis ſuſtẽtaculis euolutos atque priuatos, vt fame contabeſcerent: ipſóſque Eccleſiarum præpoſitos & clericos, qui forte Dei beneficio vel eos non incurrerant, vel incurrentes euaſerant, rebus omnibus expoliatos atque nudatos egentiſſimos mendicare, nec eis omnibus ad omnia, quibus fulciendi eſſent, ſubueniri poſſe. Vix tres ſuperſtites videbat ex innumerabilib' Eccleſiis, hoc eſt Carthaginenſem, Hipponẽſem, & Cirtenſem, quæ Dei beneficio exciſæ non ſunt, & earum permanent ciuitates, & diuino & humano fultæ præſidio, licet poſt eius obitũ vrbs Hipponenſis incolis deſtituta ab hoſtibus fuerit concremata. Et ſe inter hæc mala cu iuſdam ſapientis ſentẽtia conſolabatur, dicẽs: *Non erit magnũ quod cadunt ligna & lapides & moriũtur mortales.* Hęc ergo omnia ille, vt erat altè ſapiens, quotidie vbertim flebat. Accreuítque mœroribus, & lamentationibus eius, vt etiam adhuc in ſuo ſtatu conſiſtentem ad eandẽ Hipponenſium regionum ciuitatem ab iiſdem hoſtibus veniretur obſidẽdam. Quoniam in eius tunc defenſione fuerat cõſtitutus Comes quidam Bonifacius cum Gothorum quondam fœderatus exercitu, quam vrbem fermè quatuordecim menſibus concluſam obſederunt: nam & littus illi marinum interclusione abſtulerũt. Quo etiam noſipſi de vicino cum aliis noſtris coëpiſcopis cõfugeramus, in eadémque omni

obſidionis tempore fuimus. Vbi nobiſcum ſuper his infortuniis ſæpiſſimè colloquebamur, & Dei tremenda iudicia præ oculis noſtris poſita conſiderabamus, dicentes, *Iuſtus es Domine, & rectum iudicium tuum*. Paritérque dolentes, gementes & flentes, orabamus miſerationum patrem & Deum omnis conſolationis, vt de eadem nos tribulatione ſubleuare dignaretur. Et fortè prouenit vt vnà cum eodem ad menſam conſtitutis & inde confabulantibus, cœperit coram nobis dicere, Noueritis me hoc tempore noſtræ calamitatis Deum rogare, vt aut hanc ciuitatem ab hoſtibus circundatam liberare dignetur: aut ſi aliud ei videtur, ſuos ſeruos ad præferendam ſuam voluntatem fortes faciat, aut certe vt me de hoc ſeculo ad ſe accipiat. Quæ ille dicẽs nóſque inſtruẽs, deinceps cum eodem & nos cum noſtris omnibus, & ipſi qui in eadem fuerant ciuitate, à ſummo Deo ſimiliter petebamus. Et ecce tertio illius obſidionis menſe, decubuit lecto febribus fatigatus, & illa vltima exercebatur ægritudine. Nec ſuum ſanè Dominus famulum fructu ſuæ precis fraudauit. Nam & ſibi ipſi & eidem ciuitati quod & lachrymoſis depopoſcit precibus, in tempore impetrauit. *Hac Poßidius.*

Quia verò tempus, quod imprimis in hiſtoria obſeruandum tamen & exprimendum eſt, neque ipſe, neque Victor exprimit, adiiciam ex Chronico Proſperi qui alter diſcipulus Auguſtini fuit, quod imprimis hic notandum eſt. Nam vt indicat Proſper, Vandalos

ex Hiſpania in Africam irrupſiſſe, Hierone & Ardaburio Conſ. hoc eſt, anno Chriſti 427. *ſic tribus aut quatuor deinde annis accidiſſe, quod dicitur de obſidione Hipponenſi & morte obſeſſi Auguſtini, ſignificat, cùm ait, Theodoſio* xiii. & *Valentiniano* iii. *Coſ. Auguſtinum inter impetum (vt ait) obſidẽtium Vandalorum mortuum eſſe. Victor ait eum reliquiſſe ducentos triginta & duos libros. Auguſtinus in fine ſuarum Retractationum totidem numerat. Sed poſt Retractationes præterea aliquos ſcripſit. Porrò Proſper addit, Theodoſio* xv. & *Valẽtiniano* iiii. *Coſ hoc eſt, anno Chriſti* 435 *pace cũ Vãdalis facta, datam iis eſſe ad habitãdum portionem Africæ in regione Hipponenſi. Tum verò (quod ad hiſtoriam perſecutionis omnino pertinet) adiicit, Aëtio* ii. & *Sigeuulto Coſ. hoc eſt, anno Chriſti* 437. *Genſericum Regem Vandalorum, intra habitationis ſuæ limites, cùm vellet Catholicam fidem Arriana impietate ſubuertere, quoſdam Epiſcopos eatenus perſecutum eſſe, vt eos priuato iure Baſilicarum ſuarum, etiam ciuitatibus pelleret, cum ipſorum (vt ait) conſtantia nullis ſuperbiſſimi Regis terroribus cederet. Sed & per idem tempus quatuor Hiſpanos viros (quod Victor prætérire non debuerat) Arcadium, Probum, Paſcaſium, & Eutychium, qui apud Genſericum iandudum merito ſapiẽtiæ & fidelis obſequij, clari habebãtur, cum Rex, vt copulatiores (ſicuti loquitur.) ſibi faceret, in Arrianam ſectam tráſire iuberet, & illi hoc facinus conſtantiſſimè reſpuerent, excitato in rapidiſſimam iram Barbaro, primùm proſcriptos, deinde in exilium actos eſſe. tum atrociſſimis cruciatos ſuppliciis & ad*

postremum diuersis mortib⁹ interemptos, illustri martyrio mirabiliter occubuisse: puerum autem Paulillum nomine, fratrem Pascasij & Eutychij, pro elegantia formę atque ingenij, admodum Regi acceptum, à professione atq; amore Catholicæ fidei nullis minis deturbari potuisse, diúq; fustibus cæsum, ad infamem seruitutem damnatum esse, nec tamē esse interfectum, ne superata sæuitia impij Regis etiam illa ætas gloriaretur. Hæc visum fuit ex Prospero optimo & oculato etiam teste adiicere, quia Victoris historiæ deesse viderentur. Illud dißimulare non possum, quod Victor accusat Gensericum, qui antiquam viam Celestis deleuerit. Etsi enim id Barbarum esse dicatur, tamen minimè impium est. Imò nulla in re Christiani Cæsares olim magis laudati sunt, quàm quod templa Idolorum euerterent: & fateri cogimur, quia minus id illi fecissent, Gothos reliquias paganismi laudabiliter exterminasse. Sed & Saluianus lib. 8. tempore nostri Victoris, Carthaginenses grauißimè accusauit, quòd in eorum vrbe etiamnum à quibusdam coleretur Celestis Afrorum Dæmon. Et Prosper in lib. de promiß. gratulatur Ecclesiæ, quod, vt Aurelius Episcopus Carthaginensis templum illius Idoli occuparat, sic deinde Placidiæ Augustæ iussus ad idololatriæ reliquias delendas diruerit, & ipsam (inquit Prosper) viam Vandalica manus euerterit. An id reprehēdit Victor, quod laudat Prosper? Africani illius idoli, Celestis, *meminit & Ambrosius contra Symm. & Tertullianus in Apolog. & noster denique Vlpianus in Titulis.*

Meminit Victor, Carthaginis abs Genserico captæ. Sed

Sed adiiciẽdũ rursus est, quod est in Chronico Prosperi: factum id esse, Theodosio xvii. *& Festo Coss. hoc est, anno Christi* 439. xiiii. *Kal. Nouemb. Et quidem quam non modo fraudem, sed & rabiẽ Tyranni (nam & id ad historiam persecutionis pertinet, & ad Victorem illustrandum) Prosper in eius Vrbis expugnatione notet, negligendum non est.* Ætio *(inquit)* rebus, quæ in Galliis componebantur, intento, Gẽsericus, de cuius amicitia nihil metuebatur, xiiii. Kal. Nou. Carthaginem dolo pacis inuadit, omnésque opes eius, excruciatis diuerso tormẽtorum genere ciuibus, in ius suum vertit, nec ab Ecclesiarum spoliatione abstinens, quas & sacris vasib⁹ exinanitas, & sacerdotum administratione priuatas, nõ iam diuini cultus loco, sed suorum iussit esse habitacula: in vniuersum captiui populi ordinem sæuus, sed præcipue Nobilitati & religioni infensus, vt non discerneretur, hominibus magis an Deo bellum intulisset. *Noster Victor non dissimulat magnã fuisse direptionem huius Vrbis, quam & Vrbem maximã vocat. Sed id melius intelligent, qui Saluianum eius temporis scriptorem audierint, qui lib. 7. Carthaginem tunc fuisse ait in Africano orbe quasi Romam, vniuersarum illic vrbium principem & quasi matrem.* Illic *(inquit)* omnia officiorũ publicorum instrumenta, illic artium liberalium scholæ, illic philosophorum officinæ, cuncta denique vel linguarũ gymnasia vel morum: illic etiam copiæ militares, & regẽtes militiam Potentes: illic honor Proconsularis: illic quotidianus Iu-

dex & Rector, quantum ad nomen quidem Proconsul, sed quantum ad potentiam, Consul: illic omnes rerum dispensatores, & differentes inter se tam gradu quam vocabulo dignitates. &c. *Hæc Saluianus*. De antiquiori statu huius Vrbis nihil addo. Nam & vetus notúmque est illud Sallustij, De Carthagine satius esse silere, quàm pauca dicere. Sed conferatur casus illius abs Scipione olim captæ & excisæ, cum Vandalica expugnatione. Et cùm paulò post audimus à Vandalis quoque captam Vrbem Romã, cogitemus de vaticinio Scipionis illachrymantis, cum incendium conflagrantis Carthaginis aspiceret. Sed multò magis cùm duas eminentissimas (vt in libro de vnico Baptismo ait Augustinus) Ecclesias Romanam & Carthaginésem à Barbaris vastari audimus, commoueamur. *Cùm Victor ait, Gensericum Vrbem Romam cepisse decimo quinto regni sui anno, intelligit annum abs capta Carthagine decimum quintum. Prosper eousque suum Chronicum non extendit. Sed Marcellinus Comes, qui eum secutus est, notat, Valentiniano* viij. *& Anthemio Coss. hoc est, anno Christi* 455. (*quo anno occisus iam erat Imp. Valentinianus) Gensericum regem Vandalorum ab Eudoxia Valentiniani vxore, epistolis inuitatum, Romam ingressum esse, & Vrbe rebus omnibus spoliata, etiam abduxisse, cum in Africam rediret, ipsam Eudoxiam cum duabus eius filiabus. Omitto quod noster Iustinianus in l.* 1. *C. de offic. Pref. Prę. Afric. Imperialia quoque ornamenta tunc ex vrbe Roma in Africam fuisse*

translata. Omitto quod Zonaras & alij adiiciunt, etiam sacra vasa templi Hierosolymitani, olim à Vespasiano & Tito ad triumphum Romam aduecta, abs Genserico, cum etiamnum Romæ superessent, Carthaginem simul esse translata. Sed ne longiùs nunc discedam à nostro Victore, dico, cum ab eo recenseatur numerus captiuorum, quos Vandalus tyrannus, qui Alarico Gotho in diripiẽda vrbe multo immanior fuit, ex Italia in Africam deportauit, præteriri non debuisse ipsam cum suis filiabus Eudoxiam Imperatricem: adderem ipsum Paulinum Nolanũ Episcopum, quem aiunt pro filio cuiusdam viduæ, tanquam vadem in seruitutem Africanam abductum esse, ibique Vandalis indignè seruiisse vsque ad mortem Genserici: sic enim Gregorius Pol. lib. 3. Dialog. prolixè narrat. Sed ipsa temporum ratio facit, vt verear, ne ille ad Gensericum temere retulerit, quod veriùs dicere de Alarico poterat: à quo Vrbe capta, Paulinum illum Barbaris seruiisse non negauero, quem Augustinus in libris de Ciuit. Dei narrat eo tempore ex diuite factum esse vltro pauperem.

Porro quod Victor narrat Episcopum Carthaginensem ad redimendos captiuos vendidisse reliqua vasa suæ Ecclesiæ, exemplo bono non caruit. Nam & testatur Possidius factum prius id fuisse ab ipso Augustino, & quidem exemplo Ambrosij. Denique cum narrat paulò post Victor, ab Episcopo Vrbis Romanæ Afros quosdam petiisse Ministros suæ Ecclesiæ dari, non dubito intelligi Pont. Leonem, dignum profectò, qui honoris causa hic nominetur. Nam & Africanæ Ecclesiæ magnam curam gessit, maiorem etiam, quàm

ipse paulò pòst Gelasius Pont. quantumuis Afer. Extat Leonis epist. 87. ad Africanos Episcopos per Cæsariensem Mauritaniam constitutos: vbi oppreßionis (vt vocat) barbaricæ mentionem facit, & schismaticæ prauitatis Donatistarũ. Quanuis autem hic Leo Gensericum, vt paulo ante Attilam, non potuerit ab Vrbis direptione auertere, tamen mitigauit, vt saltem Ecclesiæ Rom. parceretur.

In lib. II.

SVperiori libro Victor breuiter describit Genserici in Africam regnantis persecutionem, quæ multorum annorum fuit. Hoc verò libro & sequenti prolixè describit Hunnerici: quæ etsi non nisi vnius aut alterius anni fuit, tamen superauit diuturnam illam sui patris sæuitiam.

Quod Victor ait de Hunnerico iactatum esse prouerbium, Rex egens, magna calamitas; *videtur magis scite in quibusdam libris scriptum esse,* magnus calumniator. *Et magis id conuenit cum eo, quod præcedit, Hunnericum variis calumniis & indictionibus onerasse prouincias sui regni. Sed magis me torsit quod proximè sequitur.* Zenone Imperatore atque Placidia per edicta libri rogantibus. *sic enim legitur in prima Victoris editione, quam in Germania procurauit Hadàmarius vir doctiß. & quæ postea Basileæ recusa est. Nam in eam primum incidi. Sed vt quid sibi velit istud* per edicta libri, *non intelligebam, sic de quánam Placidia loqueretur Victor, dubitabam: apud quem & rursus paulo post le-*

gitur nobilißima Placidia cum Zenone. Sed & lib. 3. vbi Imp. Zenonis & Reginæ meminit, de eadem agi suspicabar. Scio Placidiam sororem Imp. Honorij, vrbe capta, captam à Gothis fuisse: sed nihil illa ad Zenonem, neque huius ætate etiamnum viuebat. Tãdem venit in mentem quod Zonaras scribit, alteram Eudoxiæ & Imp. Valentiniani filiam, quæ cum matre capta à Genserico abducta in Africam est, & inde paulò post aufugit. atque in Oriẽtem cum matre profecta est, dictam quoque fuisse Placidiam. Verùm valde falluntur, qui eam fingunt fuisse Zenonis vxorem, cum constet longè aliam, nempe Ariadnem, Zenoni mixtam fuisse. Placidiam verò nupsisse Olibrio: qui cum in Occidente paucis mensibus imperasset, mortuus est anno Christi 472, *duobus annis antequam Zeno imperare in Oriente cœperit, & quinque, antequam Hunnericus in Africa regnare. Suspicatus ergo sum illam iam viduam in Orientem rediisse, & à Zenone propter memoriam Valẽtiniani, & pietatis studium, in honore habitam esse. Supererat istud,* per edicta libri, *quod mendosum magis esse quam quomodo amendandum esset intelligebatur. Res ipsa me monebat, vt crederem legendum esse,* Relicta Olybrij, *vt vidua Olybrij significaretur. Itaque valde meæ suspicioni gratulatus sum, cum deinde incidi in quandam Parisiensem editionem, in qua ita legebatur, & miratus sum, Basiliensem, quæ posterior erat, mendum tale non castigasse.*

Vt autem hanc Placidiam, pietatis & religionis nomine laudari libenter audio, sic molestè fero à Victore præteriri illius sororem Eudoxiam, quæ simul

capta, Hunnerico nupsisse dicitur. Nam addit Zonaras, vbi annis sedecim cum tali marito in Africa habitasset, non potuisse diutius ferre impietatem mariti sæuientis in Catholicos, & propterea aufugisse Constantinopolim, vbi Placidiam sororē repererit. Si annos illos quindecim numeremus, ex quo tempore primum capta fuit, necesse esset multis annis aufugisse antequam Hunnericus patri suo successerit & regnare cœperit. Scio alios scripsisse, non Hunnerico, sed Thrasimundo eius fratri, & postea successori nupsiße. Sed Zonaræ potius fidem habeo, tacēte Victore. De filio Hilderico postea dicam. Sed iam poßet negligens Typographus lectori negotium faceßere, vbi mendosē pro, legato Zenonis, *impreßit,* legatus, *& pro* Rege non præsente, *suppo suit,* regina præsente: *vt & deinde in mandato Hunnerici,* volumus, *pro* nolumus: *cum tamen talia menda non eßent in editione Basilienſi. Sed sapientis lectoris est, sibi cauere ab erratis Typographorum. Nos talis correctionis curam non suscepimus.*

Illud nunc dicerem, mirari me, Imp. Martianum cum sua Pulcheria non feciße, Africanæ Ecclesiæ causa, quod paulopost feciße Zenonem cum Placidia, narrat Victor. Sed venit in mentem, quod scribit Zonaras, Martianum aliquando in Africa captum abs Genserico, fidem ei dediße, quandocunque imperio potiretur, nunquam se Vandalis molestum fore. Sed impia fuit hæc & metu extorta promißio quæ Martianum non obligabat: proptereáque non excusat prostitūentem libidini Barbarorum prouincias Ecclesiásque Africanas.

Quod autem narrat deinde Victor multis verbis de Eugenio Carthaginensi Episcopo, facit vt Ecclesiæ Carthaginensi prolixè gratuler, quę tot habuerit Antistites pietate & doctrina præstantes, quo etiam tempore in reliquo terrarum orbe maxima erat talium virorum penuria: vt & iampridem in orbe nostro aliquos frustra requiras Eugenios, vbi vix vllos ingenuos reperias, degeneres verò paßim multos. Laudauit anteà Victor duos, qui Eugenium præceßêre, nēpe Quoduultdeum & Deogratias. *Vtrúmque fuisse in schola Augustini educatum, & à tali tantóque doctore informatum coniicio ex eius lib. de Hæres. & epist.* 49. *De Eugenio multa etiam scribit Gregorius Turonensis lib. 2. quæ cum Victoris historia, nunc rectè coniungerentur. Ego quod attinet ad historiam Collationis, quam victor agens de Eugenio describit, imprimis admoneo castigandum esse magnum mendum Typographi, ad finem fol. 22. vbi duo versus desunt: sic autem sunt restituendi:* Notarius Regis respōdit: Patriarcha Cyrilla dixit, aliquos vestrum superbè & illicitè sibi nomen Catholicorum vsurpasse. Nostri testati dixerunt: Legatur nobis. &c. *De tali lite & Catholicorum nomine plura annotaui in historia alterius Collationis. Caterùm commodè nunc adiiciam quod Gennadius de Eugeniano libello & confeßione fidei, quā Victor integram recitat (Typographus mendosè impreßit esse Victoris) scripsit:* Eugenius *(inquit)* Carthaginensis Africæ ciuitatis Episcopus & confessor publicus, admonitus ab Hunnerico Vandalorum Rege Catholicæ fidei expositionē, & maximè verbi

ὁμοούσιον proprietatem differere, cum cōsensu omnium Africæ, & Mauritaniæ, & Sardiniæ, atque Corsicæ Episcoporum & confessorum, qui in catholica Ecclesia permanserant, composuit librum fidei sanctarum scripturarū sententiis communitum, quem per collegas confessionis suæ porrexit. Iam verò asportandus pro fidelis linguæ remuneratione in exilium, epistolas veluti commonitorias fidei & vnius sacri & conseruandi baptismatis ouibus suis, quasi pastor sollicitus, dereliquit.

Iam verò si iuuat admirari non modò constantiam & virtutem Afrorum antistitum aduersus tam immanem vim Vandalorum, sed etiam in tantis eorum alioqui temporum tenebris lumen doctrinæ & Theologiæ, libello Eugenij adiungantur libri fulgentij Afri ad Thrasimundum Regem Vandalorum, eadem de re scripti paulò post Eugenij mortem: & quæ ducentis propè annis consecuta sunt concilia Africana contra Monothelitas. Imò verò conferatur Collatio Augustini habita cum Pascentio Comite Arriano, & altera cum Maximiano Arrianorum episcopo. Extant enim vtriusque acta in libris Augustini: & quàm tunc essent etiamnum liberiores in Africa Catholici, inde licet intelligere: quamuis Pascentius ille Regis Gothi auctoritate etiam armatus esset, vt Possidius significat. Sed vt exemplum Collationis, quod potius venisse in mētem Hunnerico existimo, edam, rogo lectorem, vt quam alias edidi, historiam Carthaginensis Catholicorūm cum Donatistis Collationis relegat, vt eam deinde conferat cum hac, quam Vandali indicunt: &

intelligat qualis quantáque fuerit Hunnerici, hoc est impudentis simiæ κακοζηλία.

In lib. III.

VT quod Victor superiori libro narrauit de ludibrio Collationis indictæ ab Hunnerico, dixi posse illustrari collato exemplo illius quam alibi exposui, Carthaginensis Collationis aduersus Donatistas iussu imperatoris Honorij institutæ: sic iam non repeto, quod in ea etiam dixi de lege vel Theodosiana vel Honoriana aduersus eos latæ, quam ab Hunnerico in Catholicos mirabili impudentia detortam esse narrat hoc in libro Victor. Dixi etiam aliàs de Edictis veterum principum Rom. aduersus Christianos editis. Sed vix vllum speciosius fucatum fuit, quàm est istud Hunnericianum. Atque ita quidem solent aulici nebulones fucare nefaria sua consilia, vt leges fiant.

Illud non prætereo, quod in Hunnerici Edicto scriptum est, à mille, & quotquot excurrunt, pontificibus in Ariminẽsi concilio prædamnatum esse homousion. De hac locutione, & quod excurrit, *dixi in annotationibus ad Optatum, addóque Orosium eadẽ phrasi vti lib. 7. neque moror, quod Hunnericus mentitur de numero illorum Pontificum. Sed cum nunc ab Arriano Tyranno audio Laudari Ariminensem Synodum, dißimulare non possum, nimis indignum & mendosum esse, quod in Theodosiano Codice lib.* XVJ. *tit. 1. c. 4. legitur nescio qua constitutio inscripta ipsi quoque Theodosio, qua confirmatur impium illud Concilium. Ante annos septem cùm ederem meum commenta-*

rium de institutione vniuersæ historiæ, ostendi delendam illam esse tam turpem maculam in illo Codice, ab Arrianis suppositam. Est enim lex Iustinæ illius Imperatricis insana & Arrianæ, quam Theodosius non minus quàm Ambrosius oppugnauit. Et tamen, qui nuper recuderunt Codicem Theodosianũ, quem emendatiorem esse pollicentur, labem illam, omnibus mendis intolerabiliorem, quæ nec in Breuiario Alarici inerat, sua editione confirmarunt, potius quam expunxerunt. Ergo iustæ indignationi venia dabitur, si iam rursus profiteor ferendum non esse, vt tali fraude talis iniuria fiat & religioni & Ecclesiæ & Theodosio & Theodosiano Codici & Iurisprudentiæ. In Sirmiensi Concilio placuerat, vt pro Niceno homousio diceretur ὁμοιούσιον. Theodosius primo anno sui imperij cum Gratiano professus est lege lata antiquandum esse Sirmiense rescriptum l.v.C.th.de Hæret. Quanto igitur magis Ariminense? in quo pro homousio supponitur ὅμοιον. Sanè cum Maximinus Episcopus Arrianus cum Augustino congreditur, imprimis profitetur sese inniti Ariminensi Concilio, vt Augustinus Niceno, An nos patiemur vtrunque eodem loco haberi, & nostris libris confirmari?

Quod ad reliquas partes Edicti attinet, Hunnericus non dissimulat, sese in nostros retorquere, quod Catholici Imperatores edixerunt contra hæreticos. Quod autem de nostris legibus notat & breuiter excerpit & recitat, sparsim legitur in Codice Theodosiano lib.xvj.Tit.v.multis capitibus, veluti cap.6.7. 12.14.15.18.25.26.30.32.36.40.49.52.54.57.65. & 66.

Quæ quidem etiam conferenda ſunt cum eorum veluti epitome, quam paulò poſt Victor à Vandalis recitatam eſſe narrat. Nam & ex hac illis aliquid lucis accedet, veluti quod in d. l. 54. ſcriptum eſt: Conductores priuatorum &c. *apud Victorem eſt.* Conductores Regalium prædiorum. *Sic enim rectè intellexerunt Vandali, quæ dicantur Priuata in libris Legum. Sed vbi pro Donatione cauſa mortis, dicunt Relictionem, quæ mortis cauſa ſcilicet dicatur, barbara balbuties eſt, quam Iuriſconſulti irriderent. Illud operæprecium eſt obſeruare, Quo iure vel exemplo vel ſine Vãdalus eripiat Catholicis facultates Eccleſiæ. Neque enim id in ſuo edicto diſsimulat. Sed tamen tam rapax non eſt, vt eas fiſco ſuo ſe addicere profiteatur. Imò verò ſuæ ſectæ antiſtitibus ita donat, vt pauperibus donare intelligatur, quorum illi curam gerant. Sic anteà & noſtri: Nam Auguſtinus in epiſt.* 50. Quicquid (*inquit*) nomine Eccleſiarũ partis Donati poſſidebatur, Chriſtiani Impp. legibus religioſis ad Catholicam tranſire iuſſerunt. *Id bono iure factum eſſe contendit libro* 2. *contra Petilianum cap.* 58. & 59. & *tract.* vi. *in Ioannem, vbi repetit iſtud,* Leguntur leges manifeſtæ, vbi præceperunt Imperatores, eos, qui prętet Eccleſiæ Catholicæ communionem vſurpant ſibi nomen chriſtianum, nec volunt in pace colere pacis auctorem, nihil nomine Eccleſiæ audeant poſſidere. *Intereà verò vt in eadem epiſt.* 50. *inculcat iſtud, Pauperes ali ab iiſdem poſſeſsiunculis: ſic priuatim neque ſe, neq; alios, quantũuis bonos Epiſcopos frui poſſeſsionibus Eccleſiæ, profi-*

tetur in epist. 225. & quàm id verum sit, magis ostendit Poßidius in illius vita. Neque sanè aliud licuisse, probat Prosper libr. 2. de vita contemp. vbi & intonat illud. Bona Ecclesiæ esse patrimonia pauperum. *Si hæc ætas, ementitis, quibus abutitur, beneficiis ebria, religionem illam irridet, quam tamen ipsi quoque Barbari olim non potuerunt non revereri, valeat cum sua impudentia suorum sacrilegiorum, quibus non possum denuntiare terribilius anathema, quàm sit illud, quod optimi canones, in libris licet sepulti, fulminant. Intereà iuris quoque nostri memor, admonebo quod noster Iustinianus in Nou. 36. & 37. postea quam Vandalos de possesione Africæ deiecisset, non solùm iußit eorum, quos illi spoliauerant, vt suum fiscum locupletarent, legitimis hæredibus bona restitui, sed & quæ Ecclesia Africanæ Arriani eripuerant, illi reddi, edito veluti nouo edicto, quo & Hunnericianum, de quo diximus, expungeretur, & antiqui iuris Ecclesiastici auctoritas confirmaretur.*

Porrò ad id quod deinde Victor narrat de Hilderico Hunnerici filio & designato successore, adiungi debet quod lib. 2. obiter dixit, Hunnericum desiderasse quidem post obitum filiis suis regnum statuere: non tamen id contigisse. Sed non statim contigisse intelligo, neque ita, vt optabat Hunnericus. Sed tamen postea contigisse. Non excuso si superstitione quadam factum sit, vt Catholici recusarint iurare, quod (sicuti Victor narrat) vt iurarent, stipulabatur ab iis Hunnericus: tametsi non ignorem quod Poßidius scribit, Augustinum suos clericos docuisse, omnino non iurare. Sed vt fortasiè prospiciebant Afri quid ab Hun

nerico & ageretur & simularetur. sic Victor significat aliam quandam fuisse Genserici constitutionem de successione. Et Gundamundum Honorici filium (alij fratrem dicunt) successisse narrat Nicephorus ex Procopio, & quidem duodecim annis regnasse. Ei verò successisse, qui annis 27. regnarit, illum, quem multi aiunt fuisse Honorici fratrem Trasimundum, Fulgentij libris celebratum. Tandem Hildericum, quem quidam fingunt Trasimundi & Eudoxiæ, de qua antè dixi, filium fuisse potius quàm Hunnerici, quia fortasse audiebant Trasimundo non Hunnerico successisse. Sed historia Victoris patrem tamen fuisse Hunnericum liquido testatur, & Hunnerico nupsisse, Eudoxiam illam verius est, sicuti antea admonui. Non reiicio quod omnes affirmant, Hildericum illum contra patris opinionem & spem, valde pium fuisse, & matris religione atque institutione imbutū, quandiu regnauit, Ecclesiæ fauisse, & à Vandalica hæresi atque persecutione fuisse alienum. Certè & Trasimundum ipsum non fecisse quod Hunnericus fecit, & patre suo fuisse meliorem ait optimus testis Fulgentius, & verò de doctrina pietatis placide voluisse audire vocem Ecclesiæ, & alienum fuisse à consuetudine Barbarorum, qui aures obstruunt, & literas librósque oderunt. Sed vt vt Fulgentius eum hoc nomine collaudet, tamen hunc quoque postea tyrannum crudelem & ipsum fuisse indicat ipsius Fulgentij cum ducentis aliis Catholicis Episcopis in pestilentem insulam deportati exilium: & quod Nicephorus ex Procopio narrat eum Mauris ipsis quibus bellum intulit, fuisse in templis Christianorum violandis importuniorem

denique quicquid etiam tandem iactetur de Hilderici pietate, quem necauit propterea Gilimerus postremus in Africa Rex Vandalorum à Iustiniano nostro tandem pulsus captúsque: tamen Iustinianus ipse in lege.2.C.de offic.Praet. Afric. significat continuam fuisse persecutionem, nullásque (vt ita dicam) inducias Ecclesiae Africanae à Vandalis concessas esse. Saltem dißimulat, quod de Hilderico alij prodiderunt.

Vt autem multis verbis describit Victor, qualis fuerit Vandalica tyrannis, sic iuuat alteram breuiorem descriptionem adiungere, repetitam ex illa nostri Iustiniani Constitutione: nunc & meae profeßionis nimium oblitus esse viderer, si hoc illam loco praeterirem. Iustiniani verba sunt haec: Africa per nos breui tempore recepit libertatem, antea nonaginta quinque annos à Vandalis captiuata, qui animarum fuerant simul hostes & corporum. Nam animas quidem diuersa tormenta atque supplicia non ferentes, rebaptisando ad suam perfidiam transferebant: corpora vero liberis natalibus clara, iugo barbarico durissime subiugabant: ipsas quoque Dei sacrosanctas Ecclesias suis perfidiis maculabant: aliquas verò ex iis stabula fecerunt. Vidimus venerabiles viros, qui abscissis radicitùs linguis, pœnas suas miserabiliter loquebantur. Alij verò post diuersa tormenta per diuersas dispersi prouincias, vitam in exilio peregerunt.

Adiiciam & alterum ex Marcellini Comitis, qui tempore Iustiniani in Oriente viuebat, memorabilem

locum, qui Victoris rursus narrationem breuiter illustrabit. Nam Marcellinus ille loquens de Consulatu Theoderici & Venantij, qui incidit in Christi annum 484. inquit: Totam per Africam crudelis Hunnerici Vandalorum Regis in nostros Catholicos persecutio importata est, exulatis diffugatísque plusquam cccxxxiiij. Orthodoxorum Sanctis, Ecclesiísque eorum clausis, plebs fidelium sub variis acta suppliciis, beatum con summauit agonem: vt pote idem Rex Hunnericus, vnius adolescentis vitam à natiuitate sua sine vllo sermone ducentis linguam præcepit abscindi, idémque mutus, quod sine humano auditu, Christo credens, fide didicerat, mox præcisa sibi lingua locutus est, gloriámque Deo in primo vocis suæ exordio dedit. Denique ex hoc fidelium contubernio aliquantos ego religiosissimos præcisis linguis manibúsque truncatis conspexi loquentes. Hæc Arrianorum crudelitas in religiosos Christi cultores mense Februario cœpit infligi.

Quod tam Iustinianus quam Marcellinus narrant vidisse se quosdam excisis ab Hunnerico linguis nihilominus locutos esse, Procopius eiusdem tẽporis scriptor similiter narrat se vidisse, idq; ex Procopio etiam recitat Nicephorus lib. 17. cap. 11. Quod inculco quia pertinet ad id quod noster Victor lib. 3. posteaquam affirmauit linguis reuulsis vel abscisis quosdam ita locutos esse, vt prius solebant, adiicit, Si quis id credere nolit posse ire Cõstantinopolim, vbi quẽdam reperient subdiaconum Reparatum, qui

reipsa ostendet verum id esse, proptereáque in palatio Zenonis *honorari Si ijdem sunt, de quibus loquitur vel Iustinianus, vel Marcellinus, oportet diu eos ita vixisse. Nam à temporibus Hunnerici vel Zenonis vsque ad tempora Iustiniani multi anni intersunt. Sed non eosdem esse significat Gregorius in Dial. vbi & hanc historiam recitat. Neque nouum est, tale miraculum sæpius factum esse vt Prudentius in Romano significat. Neq; tamen Victor temerè narrat factum id esse in Tipasensi Ciuitate Mauritaniæ. Sed conferatur cum ea sæuitia, quam Donatistas exercuisse aduersus Catholicos in eadem Tipasa Mauritaniæ Cæsariensis narrat Optatus lib. 2. pag. 23. Huius Tipasæ latio donatæ meminit Plinius lib. 5. cap. 5.*

Porrò Victor inter cætera Vandalicæ persecutionis exempla, sæpe illud, tanquam summum nefas, inculcat, quod Vandali nudas puellas prostituerint. Sed quod dicit de tali eorum impudicitia, nescio quomodo refelli videtur à Saluiano Maßiliensi Episcopo lib. 8. de Prouid. vbi Carthaginensium Catholicorum libidines nefarias grauiter accusat, & Vandalorum castitatem valde laudat, & quidem horum castißimis legibus, illorum nequitiam fuisse castigatam. An homo Gallus talia scripsit, vt Afris iniquus, amicus Vandalis? Sed hanc quæstionem facti omitto. Quod verò narrat Victor Vandalos impudicè fecisse videntur, si id fecerunt, ea in turpitudine imitati Iulianum Apostatam, quem Ecclesiastica Historia narrat olim nescio quid simile imperasse ad prostituendas Christianorum Virgines sacras. Vnde etiam factum est, vt eius successor Iouianus, vt corrigeret talem petulantiam,

tiam, ediderit tam seueram legem contra eos qui virgines sacras attentarent, l. v. C. *de Episc. & cleric.*

Plura sunt in libellis Victoris, quæ ad Ecclesiasticæ antiquitatis memoriam pertinent, & propterea latiùs possent explicari, si id iam suscepissem, quod non suscepi. Itaq; & de significatione singulari quorũdam verborum Ecclesiasticorum, quibus Victor vtitur, nunc plura non annotabo, veluti de eo, quod vocat Alleluyaticum melos, *& quod lib. 2. bis dicit:* Missas agere. *Missarum verbum qui meminerit in Mileuitano Concilio extare, non mirabitur familiare fuisse non modò in Italia, vt Ambrosio, sed & Victori in Africa. Eadem significatione tunc dicebant Collectam facere, vt & Colligere. quo verbo similiter vtitur Tertullianus in lib. de Fuga. Alleluyaticum autem melos dici à Victore nemo etiam mirabitur, qui Psalmos Alleluyaticos dici legerit apud Augustinum in Psalm.* 105. Et Alleluia, *esse quidem Hebraicam vocem laudis, sed quam nullus Christianus quamlibet imperitus ignoret, & in omnibus propterea Ecclesiis cantari, vt ait Augustinus in epist. 86. Imò nec Latino nec Hebræo licere in suam linguam transferre scribit in epistola* 178. *vbi tamen istud* κύριε ἐλέησον, *translatum fuisse & in Barbaram, hoc est, Gothicam, qua & Vandali vtebantur, linguam, significat, & à Romanis, hoc est, iis qui Romano iure & ritu vtebantur, ita etiam aliquando enuntiatum esse.*

Porrò Victor Græcis sæpè etiam verbis, quasi Latinis abutitur, vt cùm lib. 3. fol. 43. Sabana vocat linea inuolucra quibus infans in baptismo excipitur.

Apud Aëtium medicum ita appellantur panni asperiores defricandis in balneo corporibus accommodati. Graeci interpretes Iuris, vbi lex Honoriana scripta ad Proconsulem Africae, vetat ne priuatum siue balneum ab hostibus petãt milites, annotãt non licere petere vt hospites portent σαβανά. Sed & in extrema pagina Victor Lypsanas dicit, cùm significat reliquias (vt vocãtur) & ossa martyrũ. Martyres quadã lex vocat l.3. C. de Sacros. Eccles. Vbi Harmenopulus Graecus interpres vertit λείψανα. Quo verbo Graeco vtuntur etiam Iurisconsulti Romani, vbi de corio & ossibus bonis agunt. Sed haec quae leuiora sunt, nunc omitto. Addo verò maius quidpiam, quod mihi venit in mentem perlecto hoc libello, nempe vbi perlegi quae Victor describit crudeliter gesta esse contra Ecclesiam in Africa iussu Genserici & Hunnerici tyrannorum Vandalorum atque Arrianorum, videri mihi non dissimilia iis, quae prius facta in Oriente ab Arrianis sunt sub Imp. Constantio, & deinde sub Imp. Valente. Ac quidem hunc, vt non minus funestum tragicúmque exitum, quam Hunnericus, sortitus est, sic etiam exemplum sauitiae edidisse quod Hunnericus secutus sit. Nam & quod Victor narrat Hunnericum Episcopos Catholicos in naui & mediis fluctibus cremari voluisse, voluerat similiter anteà ipse Valens. Dicerem tamen crudeliores fuisse Vandalos. Sed non magis mirum est, Barbaros in peregrina regione, quam vi occupauerant, aduersus incolas diuersae non modò religionis, sed & linguae & stirpis, crudelissimè grassatos esse, quàm Imperatores Romanos liberaliùs alioqui institutos in suo Oriente aduersus homines pios

eiusdem alioqui linguæ & gentis, cum quibus educati fuerant, tam immaniter sæuiisse ad libidinem quorundam Antistitum Arrianorum. Illud fateor, Vandalos in Africa fuisse pro suo Arrianismo immaniores, quàm Vesogothos in sua Hispania vel Aquitania, tyrannos eodem tempore non minus alioqui & Barbaros & Arrianos. Fateor quod Sidonius Apollinaris, qui eodem prope tempore in Gallia, quo noster Victor in Africa floruit, testatur eorum Regem, qui Euarix dicebatur, non minus (vt ille ait) suæ sectæ quam suæ gentis principem, valde infestum fuisse Catholicæ Ecclesiæ. Sed (vt idem significat) vastitatem intulit non tam necando pios antistites, quàm mortuis nullum successorem dando. Sed neque in Gallia tunc erant antistites ea virtute & constantia præditi, qua Africani. Imò Sidonius conqueritur pleró sque cum Gothis veluti collusisse, & indigna conditione pacem redemisse, Denique in epist. ad Basilium, conqueritur dormitasse in Gallia pastores: & propterea Diabolum facile insultare (vt ait) balatibus omnium destitutarum. Exclamat, Discite Catholici status valetudinem, vt festinetis adhibere medicinam. *Sed surdis canebat Sidonius. Imo eodem tempore Saluianus, Episcopus & ipse Gallus, scripsit lib. 6. de iudic. & prouid. in ciuitatibus (vt ait) Gallicanis excellentiores quósque viros, calamitatibus quoque suis factos esse peiores.*

Horribile profectò monstrum est, barbara tyrannis, præsertim vbi crudeli suæ impietati prætexit titulum nescio cuius religionis. Sed quale portentum esse dicimus degeneres antistites, qui nihil minus sunt

quàm quod dicuntur? Fœlix in sua calamitate Carthago quæ si Hunnericum tyrannum pertulit, at Eugenium saltem eodem tempore Episcopum habuit. Sed quî fit, vt Hunnericos paßim multos occurrere, Eugenios verò nullos superesse nunc videmus? Saluianus fatetur in extrema Carthaginensis vrbis corruptione, tamen in templo Domini fuiße omnia integra: vt quantum in populo esset sceleris, tantum eßet in clero virtutis, & in mediis Sodomis quosdam Lothos videre liceret. Fatetur seueriores Dei seruos in vrbe Carthaginensi sæpe irrisos atq; exsibilatos fuiße, vt si quis (inquit) ea nesciens aliquis rerum fieri videret, non aliquem hominem ludificari, sed nouum & inauditũm monstrum abigi arbitraretur. Nempe vetus est illa Iesaiæ Prophetæ querimonia, Viros verè bonos & seriò religiosos in hoc mundo (qui & iis dignus non est, vt ait Apostolus) haberi pro quibusdam portentis. Verũ vbi maior in Clero quàm in plebe corruptio atque turpitudo est, longe aliud monstrũ est, quod Saluianus nondum viderat, nos nimium videmus.

In postrema Victoris pagina, sententia est, quam in libris impreßis Basileæ, fœdauit mendosa transpositio voculæ non*: nos ita restituimus,* Ista euenerunt nobis, non ad probationem, quomodo Sãctis, sed malis meritis supplicia debebantur. *Confeßio est non dißimilis illi, quam anteà retuli ex Poßidio, qui sese cum Augustino suo exclamasse fatetur:* Iustus es Domine, & recta iudicia tua. *Sed vellem, Victor tam diligenter exposuisset peccata Africorum, quàm Vandalorum flagella exposuit: quò magis illa Dei iustitia agnosceretur. Bene habet: Extant*

libri Saluiani, qui cumulatè id suppeditant, quod in libellis Victoris desiderari posset. Quæ ergo Saluianus lib. 7. & 8. prolixè narrat de totius Africæ & ipsius imprimis Carthaginis ad omne scelus proiectæ corruptione prope incredibili, cum Vandalorum rabies in eam deseuiit, coniungantur cum Victoris historia. Sic intelligemus non temere Saluianũ illum vel in principio dixisse, Quod Vandali in Africam transierint, non esse diuinæ seueritati, sed Afrorum sceleri imputandum: *vel in conclusione & fine suorum librorum adiecisse,* Et miramur, si nũc Barbaros illi perferunt, cùm videamus, quod sancti viri in illis Barbaros pertulerũt. Iustus ergo est Dominus, & iustum iudiciũ eius?

Sic olim egerunt & Prophetæ: & vtrunque ita egerunt, vt cum in vno toti esse viderentur, in altero non essent minus. Grauissimè inuehuntur in Babyloniorum tyrannorum impiorúmque hostium crudelitatem, iisque veluti bellum indicendo, denuntiant terribiles pœnas, quæ eos manent, & simul veris gemitibus lugent afflictæ suæ Ecclesiæ calamitatem & vastitatem. Hinc illi (vt vocantur) Threni Hieremiæ: quos & Victor noster aliqua ex parte imitatur. Rursus autem non minus fulminant aduersus populi sui scelera, neque leuioribus ea minis persequuntur, quasi iam cum ipsis hostibus conspirarent, quibus tanquam diuinæ vltionis ministris diceres eos quodammodò applaudere, & veluti publicis calamitatibus, magno licet cum gemitu, insultare, vbi alioqui vident & insanabilem & incurabilem esse morbum cui cauterium sit adhibendum. Quid? Vbi & Sacer

dotum suorum, Templum ipsum polluentium deploratam vident esse insaniam, tandem pronunciant horribile Dei decretum tonantis ad illud, quod alioqui expiari non potest, euertendum, & propterea canentis hoc veluti claßicum, Incipite à meo Sanctuario. &c. *Ezech. cap. 9.*

Quid igitur, quid diceret Ezechiel ille, si nunc viueret, & quæ videmus, videret? Sed nihil addo. Nam & mihi venit in mentem, quod ipse Augustinus in epist. 22. scribit, talibus malis magis deberi prolixos gemitus, quàm prolixos libros. Lutetiæ Parisiorum, xiij. Kalend. April. eo ipso eius diei articulo, quo ex meo auditorio Iuris & historiæ egrediens, & cum hac postrema pagina iam excusa nuncium accipiens de magna quadam eorum strage, qui Bezæ merere dicebantur, rogatus num vellem in hac editione aliquid mutatum, vt asperius nunc agendo, foro & temporibus magis seruirem, sicuti multi facere solent, qui cauti dici viderique volunt, respondi, nunquam tam seruili ingenio me fuisse: imò alio planè, quod etsi minus astutum esse dicatur, generosius tamen esse sentio. Acriorem fuisse meam siue actionem siue exceptionem, quo tempore Beza suis quadrigis tanquam victor inuectus insolenter in me incurrit, & multi vel cedendo fugerent vel triumphalẽ eius currum sequendo, contra me etiam bonamque causam illi subscriberent. Nunc verò, cum horum quidam debellato maledicent, qui paulò antè stantem adorabant, me non recusare leniorem languidioremque videri meam contentionem, quia neque velim cum laruis luctari, neque aduersario profligato & iacenti ignaui-

ter insultare, ipse licet nuper me crudeliter proculcare conaretur. Cæterum in hac, quæ dicitur, victoria (si reputem quis Bezæ vesanus fastus mereretur) dicam et confitebor, quod etiam in ea, quæ, si Latinè loquimur, victoriæ contraria est, offensione & vexatione, cum quid alterius quoque partis peccata mererentur, reputarem, sæpe in hoc libello cum Augustino dixi & confessus sum, illud, iterum dico, Dauidis, Iustus es Domine, & recta iudicia tua. *Sed opto, vt hæc in vtroque genere iustißimi illius Iudicis Iusticia, partem interea vtramque ita terreat, vt vtraq; Vltorem illum metuens, magis deinde sapiat, & tandem aliquando cum Rep. Ecclesiam, qualem in hoc terrarum orbe, ante finem mundi, restitui velle se Deus de cœlo iampridem fulminando denunciat, in integrum restitui patiamur. Quale quidem etiam olim votum curamque fuisse & religiosißimi Antistitis Augustini, & sapientißimi Præsidis Marcellini, nō modo cùm à Gothis superbis victoribus vexarentur, sed etiam in suo cum Donatistis religioso conflictu, & in sua de iis, post Collationem, victoria, testis quoque noster hic Commentarius esse poterit.*

FINIS.

illum metuens, magis deinde sapiat, & tandem aliquando cum Rep. Ecclesiam, qualem in hoc terrarum orbe, ante finem mundi, restitui velle se Deus de cælo iampridem fulminando denunciat, in integrum restitui patiamur. Quale quidem etiam olim votum curamque fuisse & religiosissimi Antistitu Augustini, & sapientissimi Præsidis Marcellini, nō modo cùm a Gothis superbis victoribus vexarentur, sed etiam in suo cum Donatistis religioso conflictu, & in sua de iis, post Collationem, victoria, testis quoque noster hic Commentarius esse poterit.

B. VICTORIS

EPISCOPI VTICENSIS, LIB. III.

DE VANDALICA PERSECVtione in Africa, quæ Ecclesiasticæ historiæ pars minimè Vulgaris est.

SExagesimvs nunc vt clarum eſt, agitur annus, ex quo populus ille crudelis ac ſæuus Vandalicæ gentis Africæ miſerabilis attigit fines, tranſuadens facili tranſitu per anguſtias maris, quà inter Hiſpanian Africamq́; æquor hoc magnum & ſpacioſum biſſenis millibus, anguſto ſe milite coartauit. Tranſiens igitur quantitas vniuerſa calliditate Geiſerici ducis, vt famam terribilem ſuæ faceret gentis, ilico ſtatuit omnem multitudinem numerari vſq; ad illam diem, quam huic luci vterus profuderat ventris. Qui reperti ſunt ſenes, iuuenes, paruuli, ſerui vel domini octaginta millia numerati. Quę opinio diuulgata vſque in hodiernum à neſcientibus armatorum tantus numerus æſtimatur, cum ſit nunc exiguus & infirmus. Inuenientes igitur pacatam quietamq́;

prouinciam, ſpecioſitatem totius terræ florentis quaqua verſum impietatis agminibus impendebant, deuaſtando depopulabantur, incendio atq; homicidiis totum exterminantes. Sed nec arbuſtis fructiferis omnino parcebant, ne forte quos antra montium aut prærupta terrarum, vel ſecluſa queq; occultauerant, poſt eorum tranſitum illis pabulis nutrirentur: & ſic eadem atq; iterum tali crudelitate furentibus, ab eorum cõtagione nullus remanſit locus immunis. Præſertim in Eccleſiis baſilicisq; & cœmiteriis & monaſteriis ſceleratius ſæuiebant, & cum maiorib⁹ incendiis domus orationis magis quàm vrbes cunctáque oppida concremarent, vbi forte venerabilis aulę clauſas repererunt portas certatim ictibus dextralium aditum reſerabant, vt recte tunc diceretur: Quaſi in ſylua lignorum ſecuribus conſcidere ianuas eius inidipſum, in ſecuri & aſcia deiecerunt ea, incẽderunt igni ſanctuarium tuum, & in terra polluerunt tabernaculum nominis tui. Quanti tunc ab eis præclari pontifices & nobiles ſacerdotes diuerſis pœnarum generibus extincti ſunt, vt traderent ſi quid auri vel argenti proprium vel eccleſiaſticum haberent. Et dum hæc quę erant vrgentibus pœnis facilius proderentur, iterum crudelibus tormẽtis oblatores vrgebant autumantes quandã partem non totum eſſe oblatum, & quãto plus dabant, tanto amplius quempiam habere credebant. Aliis palorum vectibus ora reſerantes, fœ-

tidum cœnum ob confeſſionem pecuniæ faucibus ingerebant. Nonnullos in frontibus & tibiis neruis remugientibus torquendo cruciabāt. Pleriſq; aquam marinam,aliis acetum, amurcā, liquamenq;,& alia multa atq; crudelia tanquam vtribus imbutis ori impoſitis ſine miſericordia porrigebant.Non infirmior ſexus,non conſideratio nobilitatis,non reuerētia ſacerdotalis crudeles animos mitigabat:quin immo ibi exaggerabatur ira furoris, vbi honorem conſpexerant. Quantis ſacerdotibus,quantiſque illuſtribus onera ingentia vt camelis vel aliis generibus iumentorum impoſuerint nequeo enarrare, quos ſtimulis ferreis ad ambulandum vrgebant,quorum nonnulli ſub faſcibus miſerabiliter animas emiſere. Senilis maturitas atque veneranda canities,quæ cęſariem capitis vt lanam candidam dealbaret, nullam ſibi ab hoſpitibus miſericordiam vindicabat. Sed etiam paruulos ab vberibus rapiens maternis Barbarus furor, inſontem infantiam elidebat ad terram. Alij paruulum pedibus tenentes,à meatu prorſus naturali vſq; ad arcem capitis diſſipabant, quando tunc forte Sion captiua cantabat:Dixit inimicus incendere fines meos,interficere infantes meos, & paruulos meos eliſurum ad terram. In ædificiis nōnullis magnarum ædium vel domorū vbi miniſterium ignis minus valuerat, tectis admodum deſpicatis pulchritudinem parietum ſolo æquabant,vt nunc antiqua illa ſpecioſitas ciuitatum,

nec quia fuerit prorsus appareat. Sed & vrbes quàm plurimę,aut raris aut nullis habitatoribus incoluntur.Nam & hodie si qua supersunt subinde desolantur, sicut ibi Carthagineo dignam theatro ædem Memoriæ, & viam quam Cœlestis vocitabant,funditus deleuerũt. Et vt de necessariis loquar basilicam maiorem vbi corpora sanctarum martyrum Perpetuæ atque Felicitatis sepulta sunt,Celerinæ vel Scillitanorum & alias quas non destruxerunt suæ religioni licentia tyrannica mancipauerunt.Vbi verò munitiones aliquæ videbantur,quas hostilitas Barbarici furoris oppugnare nequiret,congregatis in circuitu castrorum innumerabilibus turbis, gladiis feralibus cruciabãt,vt putrefactis cadaueribus quos adire non poterant arcente murorum defensione,corporum liquescentium enecarent fœtore. Quanti & quàm numerosi tunc ab eis cruciati sunt sacerdotes explicare quis poterit? Tunc etenim nostræ ciuitatis venerabilis Papinianus antistes,candentis ferri laminis toto adustus est corpore.Similiter & Mansuetus Vricitanus, in porta incensus est Fornitana. Qua tempestate Hipponeregiorum obsessa est ciuitas,quam omni laude dignus beatus Augustinus librorũ multorum confector,pontifex gubernabat.Tunc illud eloquentiæ quod vbertim per omnes campos Ecclesiæ decurrebat,ipso metu siccatum est flumen,atque dulcedo suauitatis dulcius propinata,in amaritudinem absinthii versa est, vt Da-

uidicum prȩconium conueniret: Dum consisteret peccator aduersum me,obmutui & humiliatus sum, & silui à bonis. vsque ad illud tempus CC.iam XXX.& duos confecerat libros, exceptis innumerabilibus epistolis, vel expositione totius Psalterij & Euangeliorum atque tractatibus popularibus, quas Græci Omelias vocant, quorum numerum comprehendere satis impossibile est. Quid multa? Post has trucis impietates insaniæ, ipsam vrbem maximam Carthaginem Geisericus tenuit & intrauit, & antiquam illam ingenuam ac nobilem libertatem in seruitutem redegit. Nam & senatorum vrbis non paruam multitudinem captiuauit. Deinde proponit decretum vt vnusquisque auri,argenti, gēmarum, vestimentorumq; preciosorum quodcūque haberet offerret,& ita in breui auitas atque paternas opes tali industria abstulit rapax. Disponens quoque singulas quasq; prouincias, sibi Bizacenam,Abaritanam atque Getuliam & partē Numidiæ reseruauit. exercitui vero Zeugitanam vel proconsularem funiculo hæreditatis diuisit,Valentiniano adhuc Imperatore reliquas licet iam exterminatas prouincias defendente. Post cuius mortem totius Africæ ambitum obtinuit, necnon & insulas maximas, Sardiniam, Siciliam, Corsicam,Ebusum,Maioricam,Minoricam, vel alias multas, superbia sibi consueta defendit. Quarū vnam illarū id est Siciliam Odoacro Italiæ regi postmodum tributario iure concessit,

ex qua eis Odoacer singulis quibusque temporibus, vt dominis tributa dependit, aliquam sibi tamen reseruantibus partem. Prȩterea præcipere nequaquam cunctatus est Vandalis, vt episcopos atque laicos nobiles de suis Ecclesiis & sedibus nudos penitus aufugerent. Quod si optione proposita exire tardarent, serui perpetui remanerent. Quod etiam in plurimis factũ est. multos enim episcopos & laicos claros atque honoratos viros, seruos esse nouimus Vandalorum. Tunc vero memoratæ vrbis episcopum id est Carthaginis, deo & hominibus manifestum, nomine Quoduultdeus, & maximam turbam clericorum nauibus fractis impositam, nudos atque expoliatos expelli præcepit. Quos dominus miseratione bonitatis suæ prospera nauigatione Neapolim Campaniȩ perducere dignatus est ciuitatem. Senatorum atque honoratorum multitudinem primo exilio crudeli contriuit, postea transmarina in parte proiecit. Pulso nanque episcopo, vt prȩfati sumus, cum clero venerabili, ilico Ecclesiam nomine restitutam, in qua semper Episcopi commanebant, suæ religioni mancipauit, atque vniuersas quȩ intra muros fuerant ciuitatis, cum suis diuitiis abstulit. Sed etiam quæ foras muros erant quascunque voluit occupauit, & præcipue duas egregias & amplas sancti martyris Cypriani, vnam vbi sanguinem fudit, aliam vbi eius sepultum est corpus, qui locus Mappalia vocitatur. Quis vero

ſuſtineat atque poſſit ſine lachrymis recordari, dum præciperet noſtrorum corpora defunctorum, ſine ſolennitate hymnorum cum ſilentio ad ſepulturã perduci. Addidit adhuc, vt & pars clericorum quæ remanſerat, pœnali exilio truderetur. Et dum iſta geruntur, qui ſupererãt magni ſacerdotes atque inſignes viri memoratarũ prouinciarum quas diuiſerat Vandalis, cogitauerunt ſupplicãdi gratia regem adire. Qui dum, vt moris eſt, ad Maſſilitanum littus exiſſet, quod Ligula vulgi conſuetudine vocitatur, amiſſis iam Eccleſiis & rebus occurrere niſi ſunt ſupplicantes, vt ad conſolandum populum dei ſaltem habitandi facultas, Vandalis iam dominantibus, concederetur. Quibus ille per internuntium rabido reſpondiſſe ore probatur. Decreui ego de nomine & genere veſtro nullum dimittere, & vos audetis talia poſtulare? Quos etiam vicino mari voluit eadem hora demergere, niſi à ſuis diu ne hoc faceret rogaretur. Recedentes illi triſtitia & mœrore confecti, cœperunt qualiter poterant & vbi poterant, ablatis Eccleſiis diuina myſteria celebrare. Subinde autẽ creſcẽte opibus regno, maior cœpit & ſuperbia propagari. Referam factũ, quod ipſo geſtũ eſt tempore: Fuit comes quidam Sebaſtianus, famoſi illius gener comitis Bonifacij, acer cõcilio, & ſtrenuus in bello. Cuius Geiſericus, ſicut conſilia neceſſaria habebat, ita & pręſentiã formidabat. Cupiẽs autem illum extinguere, occaſionem mortis de

religione quæſiuit. Cogitauit rex vt præſentibus epiſcopis atque domeſticis ſuis, Sebaſtianum taliter conueniret: Sebaſtiane, inquit, ſcio quia fideliter nobis adhæſiſſe iuraſti, cuius veritatem ſacramenti, labores tui vigilantiaq; demonſtrãt. Sed vt nobis connexa ſemper iugiſq; maneat amicitia tua, hoc placuit præſentibus ſacerdotib9 noſtris, vt eius efficiaris cultor religionis, quam & nos & noſter populus veneratur. Cui Sebaſtianus rem inueniens miram multíſque neceſſariam pro tempore acute reſpondit: Quęſo domine rex, vt nunc vnus panis mundiſſimus ac ſimilaceus adferatur. Qui cum ignoraſſet Geiſericus Sebaſtiani victoriam, ilico iuſſit adferri. Apprehendens itaque Sebaſtianus mundiſſimũ panem, ita effatus eſt. Hic enim panis vt ad tantum decorem ſplendoris veniſſet, & menſæ regię neceſſarius haberetur, diſcuſſa ſpuria furfuris ex maſſa ſimilaginis conſperſus per aquam tranſiuit & ignẽ, idcirco & aſpectu clarus & eſu ſuauis habetur. Ita & ego mola catholicæ matris commolitus, & cribro examinationis vt ſimila munda purgatus, rigatus ſum aqua baptiſmatis, & igne ſancti ſpiritus coctus. Et vt hic panis de furno, ita & ego per officia ſacramentorũ diuinorum, artifice deo de fonte mũdus aſcẽdi. Sed fiat ſi velis, vt ipſe propono. Iſte panis confringatur in fruſta, madidetur aqua, & iterum conſpergatur, mittatur in furnum: ſi melior exierit, faciam quę hortaris. Quam propoſitionem Gei-

ſericus cum omnibus qui aderant cum audiſſet ita ligatus eſt, vt ſe ſoluere omnino non poſſet. Quem alio generis argumento, poſtea bellicoſum virum occidit. Et vt ad id redeamus vnde digreſſi ſumus, terret præceptis feralibus, vt in medio Vuandalorum noſtri nullatenus reſpirarent, neque vſquam orandi aut immolandi concederetur gementibus locus, vt manifeſte tunc prophetię vaticinium compleretur, Non eſt in hoc tempore princeps aut propheta vel dux, neque locus ad ſacrificãdum nomini tuo. Nam & diuerſæ calumniæ non deerant quotidie etiã illis ſacerdotibus qui in his regionibus verſaban tur, quæ regiones palatio tributa pendebant: & ſi forſitan quiſpiam, vt moris eſt, dum dei populum admoneret, Pharaonem, Nabuchodonoſor, Holofernem, aut aliquem ſimilem nominaſſet, obiiciebatur illi quod in perſonã regis iſta dixiſſet, & ſtatim exilio trudebatur. hoc enim perſecutionis gen⁹ agebatur hîc aperte, alibi occulte, vt piorum nomẽ talibus inſidiis interiret. Qua de re plurimos ſacerdotum tunc nouimus relegatos, ſicut vrbanum Girbenſem, Creſcentem metropolitanũ Aquitanæ ciuitatis qui CXX. epiſcopis habet deum Teudalenſem, Euſtratium Sufetanum, & Tripolitanos duos, Viceſſabratenum, & Creſconium Eenſem, & Adrumetinæ ciuitatis Felicẽ epiſcopũ, ob hoc quod ſuſcepiſſet quendam Ioãnem monachũ tranſmarinum, ſed & alios multos quos longum eſt

enarrare. Quibus tamen in exilio positis dum obitus aduenisset, non licebat alios eorum ciuitatibus ordinari. Inter hæc tamen dei populus in fide consistens, vt examen apum cæreas ædificans mansiones, crescēdo melleis fidei calculis firmabatur, vt impleretur illa sententia, Quanto eos affligebant, tanto magis multiplicabantur, & inualescebant nimis. Post hæc factum est supplicante Valentiniano Augusto, Carthaginensi ecclesiæ post longum silentium desolationis episcopum ordinari, nomine Déogratias. Cuius si nitatur quisquam quæ per illum dominus fecerit paulatim excurrere ante incipient verba deficere, quam ille aliquid valeat explicare. Illo igitur episcopo constituto factum est peccatis vrgentibus, vt vrbem illam quondā nobilissimā atque famosam X V. regni sui anno Geisericus caperet Romam. Et simul exinde regnum multorum diuitias cum populis captiuauit. Quædum multitudo captiuitatis Africanum attingeret littus, diuidentibus Vuandalis & Mauris ingentem populi quātitatem, vt moris est Barbaris, mariti ab vxoribus, liberi à parentibus separabantur. Statim sategit vir deo plenus & carus vniuersa vasa ministerii aurea vel argentea distrahere, & libertatem de seruitute Barbarica liberare, & vt coniugia fœderata manerent, & pignora genitoribus redderent. Et quia loca nulla sufficiebant ad capessendam multitudinem tantam, basilicas duas nominatas & amplas Fau-

ſti & Nouarum eorum lectulis atque ſtraminibus deputauit, decernens per ſingulos dies quãtũ quis pro merito acciperet. Et quia pleroſque inſuetudo nauigij & crudelitas captiuitatis affli xerat, non paruus inter eos numerus fuerat ęgrotorum, quos ille beatus antiſtes vt nutrix pia per momenta ſingula cum medicis circuibat ſequentibus cibis, vt inſpecta vena quid cui opus eſſet illo præſente daretur. Sed nec nocturnis horis ab hoc opere miſericordiæ feriabatur, ſed pergebat excurrens per ſingulos lectos, ſciſcitãs qualiter quiſque haberet: ita ſe tradiderat omnino labori, vt nec defeſſis membris nec carioſæ iam ſenectuti parceret. Quo liuore Ariani ſuccenſi, dolis eum quam plurimis voluere ſæpius enecare. Quod credo præuidens dominus cito paſſerem ſuum de manibus accipitrum voluit liberare. Cuius exitum ita Vrbici captiui planxerunt, vt tunc ſe putarent magis tradi manibus Barbarorum, quãdo ille perrexit ad cœlum. Functus eſt autem ſacerdotio annis tribus. Cuius amore & deſiderio populus attentus potuerat membra digni corporis rapere, niſi conſilio prudenti dũ auocatur neſciente multitudine ſepeliretur. Et quia tacendum ſemper non eſt de impietatibus hæreticorum, nec verecundũ poterit eſſe quod ad laudẽ proficit patiẽtis, ordinator quondã memorati ſacerdotis nomine Thoma, dũ variis ab eis inſidiis ſæpi⁹ attaretur, quodã tẽpore venerabilẽ ſenẽ in publica

facie catomis ceciderunt. Quod ille non ad opprobrium sed ad mercedem computans gloriæ suæ, in domino lætabatur. Vnde factum est, vt post obitum episcopi Carthaginis, Zeugitanę & proconsulari prouinciæ episcopos interdiceret ordinãdos, quorum erat numerus CLXIIII. Qui paulatim deficientes, nunc simul ipsi supersunt tres tantum esse videntur, Vincentius Gigitanus, Paulus Sinnaritanus, vere merito & nomine Paulus, & alius Quintianus. Qui nũc persecutionem fugiens, apud Edessam Macedoniæ ciuitatem cõmanet peregrinus. Sed etiam martyria quàm plurima esse probantur, cõfessorum autem ingens & plurima multitudo, ex quibus aliqua narrare tentabo. Erant tunc serui cuiusdã Vandali (fuit hic Vandalus de illis quos Millenarios vocãt) Martinianus, Saturian⁹, & eorũ duo germani, erat & conserua eorum quædam egregia Christi ancilla nomine Maxima, corpore simul & corde decora. Et quia Martinianus armifactor erat, & domino suo satis videbatur acceptus, & Maxima vniuersæ domui dominabatur: credidit Vandalus vt fideles sibi magis memoratos faceret famulos, Martinianũ Maximãque cõiugali consortio sociare. Martinianus adolescentulorum secularium more coniugium affectabat: Maxima nanque iam deo sacrata, humanas nuptias refutabat. At vbi ventum est vt cubiculi adirentur secreta silentia, & Martinianus nesciẽs quid de illo decreuerat deus, maritali fidu-

cia quaſi cum coniuge cuperet cubitare, viua ei voce memorata famula Chriſti reſpondit: Chriſto ego ô Martiniane frater mẽbra mei corporis dedicaui, nec poſſum humanũ ſortiri cõiugiũ, habẽs iam cœleſtem & verum ſponſum. ſed dabo conſilium: ſi velis poteris & ipſe tibi præſtare cum licet, vt cui ego concupiui nubere, delecteris & ipſe ſeruire. Ita factum eſt domino procurante, vt obediens virgini, etiam adoleſcens ſuam animam lucraretur. Neſciente igitur Vandalo compunctus atque ſpiritualis ſecreti commercium mutuatus Martinianus, etiam ſuis fratribus perſuaſit, vt theſaurum quem inuenerat haberent, vtpote germani communem. conuerſus eſt itaque cum tribus fratribus ſuis. Dei puella comitante nocte clàm egredientes, Tabraceno monaſterio cui prẹerat tunc nobilis paſtor Andreas, ſociantur. Illa vero haud procul monaſterium incoluit puellarum. Sciſcitante igitur Barbaro inquiſitionibus & muneribus crebris quod geſtum erat cælari non potuit. Inueniens itaque iam non ſua ſed Chriſti mancipia, coniicit in vinculis, & variis tormentis dei famulos inſectatur, agens cum eis non tantum vt pariter miſcerentur, ſed quod grauius eſt per rebaptizationis cœnum fidei ſuẹ ornamenta turparẽt. Peruenit hoc ipſum vſque ad notitiam Geiſerici. Decernit rex, vt tãdiu implicabilis ferus ſeruos affligeret, quandiu illius ſuccumberent voluntati. iubet in modũ ſerrarũ

fuſtes robuſtos veluti palmatos cum ſtirpibus fieri, qui quatientibus tergis non ſolum oſſa cõfringerent, ſed etiam terebrantes aculei intrinſecus remanerent. Qui dum ſanguis efflueret & diſſipatis carnibus viſcera nudarentur, ſequenti die Chriſto medente incolumes reddebantur. Hoc ſæpius ac multo factum eſt tempore, & nulla plagarum veſtigia videbantur, ſancto ſpiritu ſubinde curante. Poſt hoc artatur Maxima duræ cuſtodiæ, cuſpidíque crudeli extenditur. Cui cum dei ſeruorum non deeſſet frequentia viſitantium, videntibus cunctis ingẽtium lignorum putreſcens ſoluta eſt fortitudo. Miraculum hoc & voce omnium celebratur, & nobis ad quem cuſtodia pertinebat cum ſacramento teſtatus eſt ita fuiſſe. Aſt vbi Vandalus virtutẽ neglexit cognoſcere diuinam, cœpit in domo eius vindicatrix ira graſſari. Moritur ipſe ſimul & filij, familiæ atque animalium quæcũque optima erant pariter intereunt. Remãſitque domina vidua, marito, filiis, & ſubſtantia deſtituta. Seruos Chriſti cognato regis Seſaoni gratia muneris offert. Qui cum eos vtpote oblatos cum gratulatione nimia ſuſcepiſſet, filios & domeſticos ſanctorum merito male cœpit dæmon variis motibus agitare. Ex ordine ille cognatus vt geſtũ erat ſuggerit regi. Decernit ſtatim rex, cuidã gentili regi Maurorum, cui nomen erat Capſur, relegãdos debere tranſmitti. Maximam vero Chriſti famulam confuſus & victus propriæ voluntati

dimisit, quæ nũc super est virgo, mater multarũ virginũ dei, nobis etiã nequaquam ignota. Peruenientes autẽ traduntur memorato regi Maurorum, commanenti in parte eremi, quæ dicitur Caprapicti. Vidẽtes igitur Christi discipuli multa apud gentiles & illicita sacrificiorum sacrilegia, cœperunt prædicatione & conuersatione sua ad cognitionem domini dei nostri Barbaros inuitare: & tali modo ingentem multitudinem gentilium Barbarorum Christo domino lucrauerunt, vbi antea nulla fama Christiani nominis fuerat diuulgata. Tũc deinde cogitatur quid fieret vt ager iam cultus & egraminatus vomere prædicationis euangelicum susciperet semen, & imbre sacri baptismatis rigaretur. Mittunt legatos per itinera distenta deserti: peruenitur tandẽ ad ciuitatem Romanam. Rogatur episcopus vt præsbyterum & ministros credenti populo destinaret. Explet cũ gaudio quod petebatur pontifex, dei constituitur ecclesia, baptizatur multitudo maxima Barbarorum, & de lupis grex fœcundus multiplicatur agnorum. Hoc Geiserico relatione sua nunciat Capsur. De qua re surgens inuidia iubent famulos dei ligatis pedibus post terga currentiũ quadrigarum, inter spinosa loca syluarũ pariter interire, vt ducta atque reducta dumosis lignorum aculeis innocentium corpora catperẽtur, ita deligans, vt exitum suũ inuicẽ peruiderẽt. Qui cũ è vicino currẽtibus Mauris sese mutuo cõspicerẽt, vale sibi in angusto fugæ

vnusquisque ita dicebant: Frater ora pro me, impleuit Deus desiderium nostrum, taliter peruenitur ad regnum cœlorum. Itaque orãdo atque psallẽdo, gaudẽtibus angelis pias animas emisere. Vbi vsque in hodiernũ diem non desinit ingentia mirabilia Iesus Christus dominus noster operari. Nam nobis beatus quondã Faustus Buronitanus episcopus attestatus est, cæcam quandam mulierem illuminatã fuisse, vbi ipse aderat præsens. Accenditur propter hæc aduersus dei ecclesiã Geisericus. Mittit Proculum quendã in prouinciam Zeugitanã, qui coartaret ad tradendum ministeria diuina vel libros cunctos domini sacerdotes, vt primo armis nudaret, & ita facilius inermes hostis callidus captiuasset. Quibus se non posse tradere clamãtibus, ipse rapaci manu cũcta depopulabatur, atque de palliis altaris prò nefas camisias sibi & femoralia faciebat. Qui tamen Proculus huius rei executor, frustatim sibi comedens linguam, in breui turpissima consumptus est morte. Tunc enim sanctus Valerianus Abensis ciuitatis episcopus, dum viriliter sacramenta diuina ne traderet dimicasset, foras ciuitatem singularis iussus est pelli, & ita prę ceptum est, vt nullus eum neque in domo neq; in agro dimitteret habitare. Qui in strata publica multo tempore nudo iacuit sub aëre: annorũ erat plus lxxx. quem nos tunc indigni, in tali exilio meruimus salutare. Quodã tẽpore paschalis solẽnitas agebatur, & dũ in quodã loco q Regia vocitatur,

vocitatur, ob diem paſchalis honoris noſtri ſibimet clauſam Eccleſiam reſerarent, comperērūt Ariani: ſtatim quidam preſbyter eorum Andiot nomine, congregata ſecum armatorum manu ad expugnandam turbam accenditur innocentum. Introeunt euaginatis ſpatis, arma corripiunt, alij quoque tecta conſcendunt, & per feneſtras Eccleſiæ ſagittas ſpargunt. Et tunc forte & canente populo dei, lector vnus pulpito ſiſtens, alleluiaticum melos canebat. Quo tempore ſagitta in gutture iaculatus, cadēte de manibus codice, mortuus poſt cecidit ipſe. Nam & alij quàm plurimi ſagittis & iaculis in medio crepidinis altaris probantur occiſi. Nam qui gladiis tunc interempti non ſunt, poſtea pœnis attriti, regio iuſſu omnes penè necati ſunt, præſertim maturioris ætatis. Alibi nanque ſicut Thunazudæ contigit, Galibus, vico Ammoniæ, vel aliis in locis, tempore quo ſacramenta dei populo porrigebātur, introeuntes maximo furore corpus Chriſti & ſanguinem pauimentis ſparſerunt, & illud pollutis pedibus calcauerunt. Ipſe enim Geiſericus præceperat, ita perſuadentibus epiſcopis ſuis, vt intra aulam ſuam filiorúmque ſuorum non niſi Ariani per diuerſa miniſteria ponerentur. Inter alios ventum eſt tunc ad Armogaſtem noſtrū. Cuius cum diu ac ſæpius tibias torquendo tumentibus confringerent cordis, & frontem in qua Chriſtus vexillum ſuæ fixerat crucis rugatam magíſque aratam deſcendentes atque mu-

gientes oſtenderent nerui, vt fila aranearum ſancto cœlum reſpiciente crepabant. At vbi tortores neruicas cordas diſruptas eſſe viderunt, allatis crebrius fortioribus cordis atq; cannabinis, illo nihil aliud niſi Chriſti nomen inuocante, illa omnia vaneſcebant. Sed & capite deorſum dum ad vnum penderet pedem, dormire quaſi ſuper lectum plumis ſtratum omnibus videbatur. Quem cum Theodoricus regis filius qui eius dominus erat pœnis non valentibus capite truncari iuſſiſſet, à ſuo prohibetur Iocũdo preſbytero, dicente ſibi: Poteris eum diuerſis afflictionibus interficere. Nam ſi gladio peremeris. incipient Romani martyrem prædicare. Tunc Theodoricus in Byzacenam prouinciam ad fodiendas eum condemnat ſcrobes. Poſtea quaſi ad maius opprobrium haud procul Carthagine vbi ab omnibus videretur, paſtorem eum præcepit eſſe vaccarum. Inter hæc domino reuelante cum dormitionis ſuæ proximum cerneret diem, aduocat quendam Felicem venerabilem Chriſtianum procuratorē domus filij regis, qui Armogaſtem vt apoſtolum venerabatur, dicitq; illi: Tempus meæ reſolutionis aduenit, obſecro te per fidem quam vtrique tenemus, vt ſub hac ſiliquæ arbore me ſepelire digneris, redditurus domino noſtro niſi feceris rationem: non quod ille curaret vbi aut qualiter ſuũ ſepeliretur corpus, ſed vt illud demonſtraretur, quod ſeruo ſuo reuelauerat deus. Reſpondit Felix & dicit: Abſit

à nobis confeſſor venerabilis,ſed ſepeliam te in vna baſilicarum cum triumpho & gratia quam mereris.Cui beatus Armogas:nõ,ſed quod dixi facturus es.Ille timens dei hominem contriſtare,veraciter quod geſſerat promiſit eſſe facturũ. Statim intra pauciſſimos dies comes bonæ confeſſionis de hac vita migrauit.Feſtinauit Felix ſibi delegatum ſub arbore fodere ſepulchrũ. Cui cum intextæ radices & ſoliditas aridæ telluris moram facerent,& labore angeretur quod tardius ſancti membra corporis humarentur, tandem abſciſſis radicibus multo altius terram cauans, conſpicit ſarcofagum ſplendidiſſimi marmoris pręparatum,qualem fortè nullus omnino habuit regum. Sed nec quendam archimimum nomine Maſculan debeo præterire. Qui cum multis inſidiis premeretur, vt catholicam omitteret fidem, ipſe eum rex poſtea blandiendo affatibus ſecularibus mutabat, promittens multis eum diuitiis cumulandum,ſi voluntati eius auditum facilem commodaſſet.Qui cum fortis atque inuictus maneret, iubet eum ſubire ſententiam capitalem.ita tamen callidus occulte præcipiens, vt ſi in illa hora vibrantis gladij pertimeſceret ictũ, magis eum occideret, ne martyrem glorioſum feciſſet.Si autem fortem in confeſſione conſpiceret,à gladio temperaret:Sed ille vt columna immobilis Chriſto ſolidante fortis effectus,confeſſor reuertitur glorioſus. Et ſi martyrem inuidus hoſtis noluit facere, confeſ-

ſorem tamen noſtrum non potuit violare. Nouimus & alium ea tempeſtate nomine Saturum. Qui cum lucidum eſſet membrũ Eccleſię Chriſti,& prauitatem Arianorum libertate catholica frequenter argueręt(fuit hic procurator domus Hunerici)conuenitur accuſante Mariuado quodam diacono,quem Huncricus infauſtus ſingulariter honorabat,vt fieret Saturus Arianus:promittuntur honores & diuitiæ multæ ſi faceret, præparantur ſupplicia dira ſi nollet. Hac optione propoſita,vt ſi regalibus iuſſis non obedìret, primo facta diſcuſſione , & ante amiſſa domo vel ſubſtantia , diſtractis omnibus mancipiis ac filiis,vxor eius ipſo præſente camelario in coniugium traderetur. Quod ille plenus deo magis vt velociter proueniſſet impios prouocabat. Ob quã cauſam vxor eius inducias viſa eſt ab his qui exequebantur,neſciente marito petiſſe. Accedit ad maritum alia Eua,conſilio magiſtrata ſerpentis, Sed ille Adam non fuit, qui illecebroſa vetitæ arboris poma contingeret , quia non indigẽs ſed Saturus vocabatur,ſaturatus ab vbertate domus dei,& torrẽte deliciarum eius potatus. Aduenit mulier ad locũ vbi maritus ſingularis orabat,conſciſſis veſtibus crineq; ſoluto,ſecum comitantibus filiis,vnamque infantulam quæ tunc lactabatur manib⁹ geſtans,quæ neſcientis proiicitur ad pedes mariti. Etiam ipſa ſuis genua cõplectitur vlnis, ſibilans vociferatione draconis: Miſerere mei dulciſſime ſimul & tui , miſerere

communibus liberis quos conſpicis ipſe. Non ſubiaceant conditioni ſeruili, quos claros porſapia reddidit generis noſtri. Non ſubiiciar ego indigno & turpi coniugio viuente marito, quæ mihi ſemper inter coæuas plaudebam de Saturo meo. Cognoſcit deus quia inuitus facturus es hoc, quod fortè voluntarie aliquanti fecerunt. Cui ille Iob ſancti voce reſpõdit: Tanquam vna ex inſipientibus mulieribus loqueris. Formidarem mulier ſi ſola eſſet huius vitæ amara dulcedo, artificio coniunx diaboli miniſtraris. Si diligeres maritum, nunquam ad ſecundam mortem attraheres proprium virum. Diſtrahant filios, ſeparent vxorem, auferant ſubſtantiã, mei domini ego ſecurus de promiſſis verba tenebo: Si quis non dimiſerit vxorem, filios, agros aut domum, meus nõ poterit eſſe diſcipulus. Quid vltra? diſcedente muliere cum filiis refutata, confortatur Saturus ad coronam, diſcutitur, expoliatur, pœnis conteritur, mendicus dimittitur. Interdicitur ei prodeundi acceſſus, totum ei tulerunt, ſtolam tamen baptiſmatis auferre non potuerunt. Poſt hæc Geiſericus Eccleſiam Carthaginis claudi præcepit, diſſipatis atque diſperſis per diuerſa exiliorum loca, quia epiſcopus non fuerat, preſbyteris & miniſtris. Quæ vix reſerata eſt Zenone principe ſupplicante per patritium Seuerum, & ſic vniuerſi ab exilio redierũt. Quæ verò in Hiſpania, Italia, Dalmatia, Calabria, Apulia, Sicilia, Sardinia, Brutiis, Lucania, Epiro

vel Hellada gesserit, melius ibi ipsi qui passi sunt miserabiliter lugenda narrabunt. Sed etiam persecutionis nostræ à Geiserico quanto sublimiter, tanto crudeliter gestæ, iste sit finis. Durauit autem in regno annis XXXVII. mensibus tribus.

LIBER SECVNDVS.



ORTVO igitur Geiserico, Hunericus maior fili⁹ patri succedit. Qui primordio regni vt habet subtilitas Barbarorum, cœpit mitius & moderatius agere, & maxime circa religionem nostram, vt etiam vbi antea sub rege Geiserico præiudicatum fuerat, ne spiritales fierent conuentus, conuenticula concurrerent populorum. Et vt se religiosum ostenderet, statuit sollicitius requirendos hęreticos Manichęos, ex quibus multos incendit, plurimos autē distraxit nauibus transmarinis, quos penè omnes Manichæos suæ religionis inuenit, & præcipue presbyteros & diaconos Arianæ hęreseos. Vnde magis erubescens, amplius in illos exarsit. De quibus repertus est vnus nomine Clemētianus monachus illorum scriptum habens in femore, Manichæus discipulus Christi Iesu. Propter quod magis laudabilior memoratus videbatur, in vno displicens, quia cupiditati insatiabili vehementius inhiabat, & prouincias regni sui variis calumniis atque indictionibus onerabat, vt de illo præcipue diceretur, Rex egēs, magnus est calū-

niator, dedit autem licentiã Zenone imperatore atque Placidia relicta Olibrij rogantibus, vt Carthaginẽsis Ecclesia sibi quem vellet episcopum ordinasset, quæ iam per xxiiii. annos tali ornamento fuerat distitura. Mittit ergo tunc ad Ecclesiam Alexandrum illustrem, huiusmodi legationem ferentẽm, vt pręsentia eius catholicus populus dignum sibi peteret sacerdotem, destinans quoque per notarium suum nomine Vuitared edictum, quod publice legeretur, hunc cõtinens modũ: Iussit vobis dominus dici: quia imperator Zenon, & nobilissima Placidia, per Alexandrum virum illustrẽ scripserunt, petentes vt Ecclesia Carthaginis, religionis vestrę proprium episcopũ habeat, hoc fieri pręcepit atque eis rescripsit, vel legatis ab eis directis dici iussit, vt sicut petierunt vobis episcopũ quẽ volueritis ordinetis: eo sub tenore, vt nostræ religionis episcopi qui in Constãtinopoli sunt, & per alias prouincias orientis, ex eius pręcepto episcopi, liberum arbitriũ habeãt in Ecclesiis suis, quib⁹ voluerint linguis populo tractare, & legẽ Christianam colere, quẽadmodũ vos hic vel in aliis Ecclesiis quę in ꝓuinciis Africanis cõstitutæ sunt, liberũ arbitriũ habetis in Ecclesiis vestris missas agere vel tractare, & quę legis vestræ sunt, quẽadmodũ vultis facere. Nã si hoc circa eos nõ fuerit obseruatũ, tã episcopus q ordinatus fuerit vel clerici, sed & alij episcopi cũ clericis suis qui in Africanis prouinciis sunt, iubẽtur inter Mauros

mitti. Quod edictũ dũ nobis præsentib⁹ XIIII. Kalendarũ Iuliarũ vniuersæ Ecclesiæ legeretur, gemere cœpimus musitãtes, eo quod meditãtibus dolos, malorũ esset futura persecutio præparata. Et ita legato dixisse probamur: Si ita est interpositis his cõditionibus periculosis, hæc Ecclesia episcopũ nõ delectatur habere. Gubernat eam Christus, qui semper dignatur gubernare. Quã suggestioné legat⁹ accipere neglexit. Simul & populus vt tunc fieret vt ignis exarsit, cuius erat clamor intolerabilis, qui nulla possit ratione sedari. Ordinato itaq; episcopo Eugenio viro sctõ, deoq; accepto, sublimis nata est lætitia, & gaudium cumulatũ est Ecclesiæ dei. Exultat multitudo catholica sub Barbara dominatione, de ordinatione põtificis reparati. Nam maxim⁹ iuuenum numerus atq; adolescẽtularũ sibimet in cõmune congaudens attestabatur, quod nunquã vidisset episcopũ in throno sedentem. Porrò ille vir dei sacerdos Eugenius, cœpit per conuersationé operum bonorum venerabilis & reuerendus haberi etiã ab eis qui foris sunt, & ita esse ab omnibus gratus, vt si fas esset, animam suam pro eodem vniuersos ponere delectaret. Eleemosynas quoque tales per eum dominus dignatus est facere, vt incredibile videatur tanta eum impendere, vbi Ecclesia totum Barbaris tenentibus, ne vnius nummi habere cognoscitur facultatem. Humilitatem in illo, charitaté, pietatem, diuinitus condonatam, si quisquam inci-

piat non poterit explicare. Pecuniam apud eum mansisse non probatur, nisi fortè tali hora offerretur, quando iam sol diei explicans cursum, nocturnis tenebris ordinem daret & locum. Vnde tantum reseruabat, quantum diei sufficeret, non quantum cupiditas expetisset, deo nostro subinde quotidie ingentia & maiora donante. Sed cũ fama eius esset celebris atque manifesta, cœperunt exinde Arianorum episcopi inuidia graui torqueri, quotidianis & præcipue cum Cyrila calumniis insectantes. Quid plurimum? suggerunt de illo, vt suum nequaquam sederet thronum, neque dei populo verbum faceret consuetum. Deinde quoscunque mares vel fœminas in habitu Barbaro incedentes in ecclesia conspiceret, prohiberet. Ille respondit vt decuit: Domus dei omnibus patet intrantes nullus poterit repellere, maxime quia ingẽs fuerat multitudo nostrorũ catholicorũ, in habitu illotũ incedentiũ, ob hoc quod domui regiæ seruiebant. At vbi ab homine dei tale respõsum accepit, statuit in portis ecclesiæ collocare tortores. Qui videntes fœminam vel masculum in specie suæ gentis ambulantes, illico palis minoribus dentatis iactis in capite, crinibusque in eisdem colligatis ac vehementius stringentes simul cum capillis omnem pelliculam capitis auferebant. Nonnulli dũ hoc fieret, statim oculos amiserunt, alij ipso dolore defuncti sunt. Mulieres vero post hanc pœnam capitibus pelle nudatis, præcone præeunte per

aſtutam,credo ne fortè maritum aut maiorẽ filium qui prudens & ſapiens videbatur,conſiliis acrioribus aduerſus tyrannum armaſſet,crimine appoſito gladio eam interfici iubet. Poſt occiditur & ille filius magnis literis inſtitutus, cui ſecundum conſtitutionem Geiſerici, eo quod maior omnibus eſſet,regnum inter nepotes potiſſimum debebatur. Accenditur adhuc crudelius aliquid perpetrare. Aſtante vulgo in media ciuitate pro gradibus plateæ nouæ, epiſcopum ſuæ religionis nomine Iocundum,quem Patriarchã vocitabant, præcepit incendio concremari, ob hoc quod in domo Theodorici germani regis acceptiſſimus habebatur, cuius forte ſuffragio memorata domus regnum poterat obtinere. In quo impietatis ſcelere futurũ nobis adeſſe proſpeximus malum,aientes ſinguli inuicem nobis: qui in ſuo ita crudelis effectus eſt ſacerdote,quãdo noſtræ religioni vel nobis parciturus eſt iſte. Tunc & Gentonis maiorem filium nomine Godagiſum cum vxore abſque ſolatio ſeruuli aut ancillæ,crudeli exilio delegauit. Fratrem vero Theodoricum poſt occiſionem vxoris & filij, nudum atque deſtitutũm ſimiliter exulauit. Poſt cuius mortem filium qui ſupererat infantulum,duáſque filias eius adultas,impoſitas aſinis longius affligendo proiecit. Sed & comites quam plurimos & nobiles gentis ſuæ obiectionibus falſis inſectans, ob hoc quod germano fauerent,alios incendit,alios iugulauit,imitator

Geiserici patris, qui sui fratris vxorē ligatą pondere lapidum, in Amsagam fluuium Cirtensem famosum iactando demersit, & post necem matris etiam filios interfecit. Sed & multos ei Gei-sericus pater moriens, sacramento interposito commendauerat. Quos ille immemor fidei & sacramenti violator, diuersis pœnis & incendiis trucidauit. Nam Heldicam quendam quem pater eius præpositum fecerat regni, iam veteranū atque annosum cum dedecore capite detruncauit, eiúsque vxorem cum alia nomine Teucaria in medio ciuitatis incendit. Quarum corpora per vicos & plateas trahi mandauit, quæ tota die iacentia, rogatus à suis episcopis vix vespere sepeliri concessit: Gamuth namque Heldicæ fratrem, quia ad ecclesiam eorum confugerat, occidere non potuit, quem tamen in loco latrinarū obsceno conclusit, temporéque multo eum ibi degerē statuit. Postea cum caprario quodam & rustico ad faciendas scrobes vineis profuturas condemnauit, quos etiam duodecies per annū, id est per singulos menses flagellis crudelibus dissipabat, vix modico aquæ, cibarióque pane cōcesso. hoc per V. vel amplius perpessi sunt annos, quibus hęc supplicia proficere poterant ad æternam mercedem si catholici fuissent, & fidei suæ merito ista perferrent. Sed ideo istud silere nequiuimus, vt impietatem regis etiam in suis minime sileremus: qui non solū episcopū suū Iocundū vt superiꝰ demōstrauimus flāmis adussit,

ſed & preſbyteros & diaconos ſuos, id eſt Arianos quàm plurimos incendit, necnon & beſtiis mancipauit. Amputatis igitur in breui omnibus quos timebat, & ſolidans ſibi vt putabat regnum quod breue fuerat & caducum, omni ex parte ocioſus atque ſecurus, vniuerſa tela furoris in perſecutionẽ eccleſiæ catholicæ rugiens ſicut leo conuertit. Ante perſecutionis tamen tẽpeſtatem, multis præeuntibus viſionibus & ſignis imminens demonſtratũ fuerat malũ. Nam fermè ante biennium quam fieret, vidit quidam Fauſti eccleſiam ſolito in ornatu fulgentẽ: & dum lætaretur tanti fulgoris cãdore, cereis quoque fulgentibus, palliíſque velaminum ac lampadibus rutilantem, ſubito ait luminis illius concupiſcibilis extinctus eſt fulgor, ac tenebris ſuccedentibus aduerſarius naribus natus eſt fœtor, omníſque illa beatorũ turba expellentibus quibuſdã Æthiopibus minata eſt foras, ob hoc iugiter lamentatum quod eã in claritate priſtina nequaquã viderit iterũ reſtitutã. Nam viſionem iſtam nobis præſentibus ſancto retulit Eugenio. Vidit & quidã preſbyter ipſam Fauſti eccleſiam refertam turbis innumerabiliũ populorum, & poſt paululum euacuatam & repletam porcorum multitudine atque caprarũ. Item alius vidit aream triticeam ventilationi paratam, granis adhuc vẽtilatoris iudicio necdum à palea ſeparatis: & dum ingentis maſſæ, licet cõfuſæ, magnitudinẽ miraretur, ſubito ecce turbo

veniens tempestatis sonitu vago flatu cœpit aduentum suum surgente puluere demonstrare. Cuius impetu palea illa omnis omnino volauit, remanentibus granis. Post hæc venit quidā procerus splēdido vultu habitúq; nitido fulgēs, & cœpit grana vacua macilēta atq; similagini reprpba purgādo proijcere. Quæ diu examinās, vix magnitudinē illius massæ, licet probatæ, ad aceruū tamē perduxit exiguū. Itē alius ait: Stabat quidā præcelsus super montē q. Ziquēsis dicitur, & clamabat dextera leuáque: Migrate, migrate. Alius cōspicit rugiente cœlo atque turbato sulphureas nubes, quæ ingentes cœperūt lapides iaculari. Qui lapides dum cecidissent in terram, plus accendebantur & maioribus flammis ardebāt, atque intrantes in penetralia domorum, quos inuenerāt incendebant. Qui autem vidit ait, cum se in quodam cubiculo abscondisset, miseratione diuina ad eum flamma non potuit peruenire. Reor vt illud propheticum compleretur, Claude ostium tuum, & absconde te pusillum aliquantulum, donec transeat ira dei. Vidit & venerabilis Paulus episcopus arborem vsque ad cœlos ramis florētibus extensam, quæ etiam dilatatione sua omnē penè Africam opacabat. Et cum vniuersi eius magnitudine & speciositate gauderent: ecce subito, inquit, venit asinus violentus, qui defricans ceruicem suam super robur radicum eius, impulsu suo cum ingenti sonitu illam mirabilem arborem elisit ad terram. Sed & Quin-

tinianus honorabilis episcopus vidit se super quendam montem stare, de quo conspiciebat gregem innumerabilium ouium suarum: & in medio gregis duæ erant ollæ nimium bullientes. Aderant autem ouium occisores, quarum carnes ollis bullientibus demergebant. Et cum ita fieret, omnis illa magnitudo consumpta est gregis. Reor ergo illas duas ollas Sicca veneria & Laribus duas esse ciuitates, in quibus multitudo prima fuerat cōgregata, è quibus incendium initium sumpsit: aut Hunericum regem, & Cirillam episcopum eius. Sed de multis visionibus quia breuitati consulendum fuit, hæc dixisse sufficiat. Quid vltra? Cēset primo tyrannus iussione terribili, vt nemo in eius palatio militaret, neque publicas ageret actiones nisi sese Arianum fecisset. Quorum ingens numerus vigore inuictus ne fidem perderet, militiam temporalem abiecit. Quos postea domibus proiectos, omnique substantia expoliatos, in insulas Siciliam & Sardiniam relegauit. Quodam tempore statuere per totam Africam festinauit, vt nostrorum episcoporum defunctorum fiscus sibi substantiá vendicasset. Qui autem defuncto succedere poterat non ante ordinaretur, nisi fisco regali quingentos solidos obtulisset. Sed hoc ædificium vbi construere nisus est diabolus, statim illud destruere dignatus est Christus. Suggerunt ei domestici sui dicentes: Si istud firmauerit præceptio vestra, nostri episcopi in

partibus Thraciæ & aliis regionibus constituti peiora incipient pati. Præcepit deinde sacras virgines congregari, dirigens Vandalos cum suæ gentis obstetricibus ad inspicienda & contrectanda contra iura verecundiæ verecunda pudoris, vbi nec matres aderant, nec aliqua matronarum. Quas cremantes graui suspendio atque ingentia pondera pedibus colligantes laminas ferri ignitas dorso, ventri, mamillis & lateribus apponebant, quibus inter supplicia dicebatur: Dicite quomodo episcopi vobiscum concumbunt & clerici vestri. Quarum acerbitate pœnarum plurimas tunc scimus extinctas: aliæ quæ remanserunt cutibus arescentibus factæ sunt curuæ. Nitebatur enim semitam inuenire, per cuius aditum publicam sicut fecit, faceret persecutioné. Et ita faciens, nullo modo inuestigare potuit quomodo Christi ecclesiam macularet. Quibus autem prosequar fluminibus lachrymarum, quando episcopos, presbyteros, diaconos, & alia ecclesiæ membra, id est quatuor millia DCCCCLXVI. ad exilium eremi destinauit: in quibus erant podagri quá plurimi, alij per ætaté annorum à lumine temporali priuati. In quorũ erat numero beatus Felix Abdiritanus episcopus, habens iam in episcopatu. XLIIII. annos. Qui paralysi morbo percussus, nec séntiebat quicquam, nec penitus loquebatur. De quo nos maxime cogitantes quod non posset iuméto portari, suggessimus vt à suis rex peteretur, vt saltem

eum

eũ propere moriturũ Carthagini esse iussisset, ꝙ adexiliũ nulla posset ratione perduci. Cui ita fertur tyrannus cum furore dixisse: Si animali sedere non potest, iungantur boues indomiti qui eũ colligatis funibus trahendo perducant vbi ego præcepi. Quem ex transuerso super burdonem vinctum quasi quendam ligni truncum toto itinere portabamus. Congregantur vniuersi in Siccensem & Larensem ciuitates, vt illuc occurrentes Mauri sibi traditos ad eremũ perduxissent. Superuenientes igitur comites duo subtilitate damnabili, blandis sermonibus cum dei confessoribus agere cœperunt: Quid vobis, inquiunt, videtur vt ita pertinaces sitis, & domini nostri præceptis minime obtemperetis, qui esse poteratis in conspectu regis honorabiles, si eius festinetis facere voluntatem? Statim illis clamãtibus & dicentibus ingenti vociferatione, Christiani sumus, Catholici sumus, Trinitatem vnum deũ inuiolabilem confitemur: includuntur grauiori quidem sed adhuc latiori custodia, vbi nobis copia dabatur & introire, & verbum admonitionis fratribus facere, & diuina mysteria celebrare. Ibi & infantuli fuere quã plurimi, quos genitrices materno sequebantur affectu, aliæ gaudentes, aliæ retrahentes: aliæ gaudebant se martyres peperisse, aliæ morituros diluuio rebaptisationis nitebãtur à confessione fidei reuocare. Nullum tamen tunc nec blandimenta vicerunt, nec carnalis pietas aliquem inclinauit ad terram,

Nam quædam quid tunc fecerit anus, breuiter referre delectat: Dum iter ageremus cum dei exercitu comitantes, & fortè magis noctibus promoueremur propter solis ardorem conspicimus mulierculam sacculum & alia vestimenta portantem manu infantulum vnà tenentem, atque in his sermonibus consolantem: Curre domine meus, vides vniuersos sanctos quomodo pergunt & festinant hilares ad coronas? Quam nos cũ increparemus, quod importuna videretur aut viris pro sexu iungi, aut exercitui Christi sociari, Respondit: Benedicite, & orate pro me & pro isto nepote paruulo meo, quia & si peccatrix filia sum quondam Zuritanæ ciuitatis episcopi. Cui nos: Et quare ita abiecte ambulas, & qua ratione de tam longo itinere huc pergere demonstraris? Quæ respondit: Cum hoc seruo vestro paruulo ad exiliũ pergo, ne inueniat eum solum inimicus, & à via veritatis reuocet ad mortem. ad hæc verba repleti lachrymis nihil dicere valuimus, nisi vt volũtas fieret dei. Sed vbi aduersarius qui iam forte dicebat: Participor spolia, replebo animam meã, interficiam gladio meo, dominabitur manus mea, nullũ potuit occupare: inquirit angusta & deterrima loca in quorũ cõclauib⁹ dei exercitũ coartaret. Tunc eis etiam visitationis humanæ negata cõsolatio, puniũtur & custodes fustibus, & grauiter affliguntur, iactantur cõfessores Christi superinuicem angustia coartante, vnus super

alium vt agmina locuſtarum,& vt proprie dicatur,vt grana precioſiſſima frumẽtorum. In qua conſtipatione ſecedendi ad naturale officium nulla ratio ſinebat loci,ſed ſtercora & vrinã vrgente neceſſitate ibidem faciebant, vt ille tunc fœtor & horror vniuerſa pœnarum genera ſuperaret:ad quos aliquando dantes ingentia munera Mauris,dormientibus Vandalis vix clàm admiſſi ſumus intrare. Qui introeuntes veluti in gurgite luti vſque ad genua cœpimus mergi, illuc tunc Hieremiæ videntes fuiſſe completum, qui nutriti ſunt in croceis, amplexati ſunt ſtercora ſua. Quid multa? præcepti ſunt vndique perſtrepẽtibus Mauris, ad iter vbi deſtinati ſunt præparari. Exeuntes itaque die dominica linita habentes ſtercoribus veſtimenta ,facies ſimul & capita,à Mauris tamen crudeliter minabantur, hymnũ cũ exultatione domino decãtantes,Hęc eſt gloria omnibus ſanctis eius. Aderat enim ibi tunc beatus pontifex Cyprianus Vnizibirenſis epiſcopus conſolator egregius,qui ſingulos pio & paterno fouebat affectu, non ſine fluminibus currentium lachrymarum paratus pro fratribus animam ponere, & ſe vltroneum ſi dimitteretur talibus paſſionibus dare, qui totum quod habuit,egẽtibꝰ fratribus,nulla tũc neceſſitate expẽdit. quærebat enim occaſionem qualiter confeſſoribus ſociaretur, ipſe animo & virtute confeſſor qui poſtea per multos agones & ſqualores carceris, ad exilium quod deſi-

derabat,cum exultatione,perrexit. Quantæ tūc multitudines de diuersis regionibus & ciuitatibus,ad visendos dei martyres occurrerint populorum,testantur viæ vel semitæ:quæ cum agmina venientium nequaquam caperent,per vertices montium & vallium concurrens turba fideliū inæstimabilis descendebat, cereos manibus gestātes:suosque infantulos vestigiis martyrum proijcientes,ista voce clamabant : Quibus nos miseros relinquitis,dū pergitis ad coronas ? qui hos baptizaturi sunt paruulos fontibus aquæ perennis?qui nobis pœnitentiæ munus collaturi sunt,& reconciliationis indulgentia obstrictos peccatorum vinculis soluturi ? quia vobis dictū est:Quæcunque solueritis super terrā,erunt soluta & in cœlis. Qui nos solénib⁹ orationibus sepulturi sunt morientes?à quibus diuini sacrificij ritus exhibendus est cōsuetus?vobiscum & nos licebat pergere,si liceret vt tali modo filios à patribus nulla necessitas separaret.In his vocibus & lachrymis nullus iam pergere admissus est cō solator,sed artabatur multitudo ad currendum, vt vbi cannaua erat præparata ,laboriosam caperet mansionem.qui cum senes deficerent,& alij forte & si iuuenes delicati, cœperunt hastilium cuspidibus ad currendum & lapidibus tundi: vnde magis deficientes,amplius lassabātur. Post vero imperatum est Mauris,vt eos qui ambulare non poterant,ligatis pedibus vt cadauera animalis mortui traherēt per dura & aspera lapidū

loca vbi primo veſtimenta,poſtea membra ſingula carpebãtur. Quibus per gladios acutos petrarum huic caput conterebatur,alij latera findebantur,& ita inter manus trahentium ſpiritum exhalabant: quorum numerum nequaquam valuimus colligere,multitudine coërcente. Exaltatur tamen per totum aggerẽ publicum vilis ſepultura ſanctorum,loquẽtibus tumulis. Reliqui habiliores ad ſolitudinis loca perueniũt, in quibus collocati hordeũ ad veſcẽdũ vt iumẽta accipiũt. Vbi etiã venenatorũ animaliũ atq; ſcorpionum tãta eſſe dicitur multitudo vt ignorãtibus incredibilis videatur,quæ ſolo flatu etiã procul poſitis veneni vir⁹ infundat: ab ſcorpij autẽ percuſſu, nullũ dicũt aliquando euaſiſſe. Quorũ feritas virulenta vſque ad præſens tempus Chriſto defendente,nullum ſeruorum eius nocuiſſe docetur. Sed cum illic aluntur hordeaceis granis, poſtea & hoc ablatũ eſt quaſi non poterat deus qui pluerat patribus manna,paſcere & nunc tali exilio mancipatos. Cogitat acriora aduerſus eccleſiam dei,vt qui membra aliqua abſciderat,totum laniando perderet corpus. Nam die aſcenſionis domini legat⁹ Zenonis imperatoris regina præſente legendum in media eccleſia epiſcopo Eugenio dirigit præceptum,quod etiam vniuerſæ Africæ veredis currentibus deſtinauit.

Rex Hunericus Vandalorum & Alanorum vniuerſis epiſcopis Omouſianis. Non ſemel ſed ſæpius conſtat eſſe prohibitum, vt in ſortibus

Vandalorum ſacerdotes veſtri conuentus mini-
me celebrarent, ne ſua ſeductione animas ſub-
uerterent Chriſtianas. Quam rem ſpernentes
plurimi reperti ſunt contra interdictum miſſas
in ſortibus Vandalorum egiſſe, aſſerentes ſe inte
gram regulam Chriſtianę fidei tenere. Et quia in
prouinciis à deo nobis conceſſis ſcandalum eſſe
volumus, ideo dei prouidentia cum conſenſu
ſanctorum epiſcoporum noſtrorum hoc nos ſta
tuiſſe cognoſcite, vt ad diem Kalendarum Fe-
bruarium proxime futurarum, amiſſa omni ex-
cuſatione formidinis, omnes Carthaginem ve-
niatis, vt de ratione fidei cum noſtris venerabi-
libus epiſcopis poſſitis inire conflictum, & de
fide Omouſianorum quam defenditis, de diui-
nis ſcripturis proprie approbetis, quo poſſit a-
gnoſci ſi integram fidem teneatis. Huius autem
edicti tenorem vniuerſis epiſcopis tuis per vni-
uerſam Africam conſtituti direximus. Data ſub
die XIII. Kal. Iunias, anno V I I. Hunerici. Co-
gnoſcentibus igitur qui aderamus, ſimúlque le-
gentibus contrita ſunt extemplo corda noſtra,
& contenebrati ſunt oculi noſtri, & vere tunc
dies feſti noſtri conuerſi ſunt in luctum & can-
tica in lamentationem, dum edicti tenor indica
ret futurę perſecutionis furorē. Et pręſertim vbi
dixit in prouinciis noſtris à deo nobis conceſſis
ſcandalum eſſe nolumus: quaſi diceret, in pro-
uinciis noſtris catholicos eſſe nolumus. Tracta-
tum eſt quid fieret. Nullum inuenit remedium

imminẽs calamitas, nisi à facto Eugenio rationabilis, si cor barbarum molliretur, suggerẽda daretur tali textu cõscripta. Quoties animæ vel vitæ æternæ ac fidei Christianę causa tractatur intrepide, sicut regalis prouidẽtia cõpromisit, necesse est quod competit suggeratur. Nuper potestas regia per Vuitaredum notariũ paruitatem meã admonere dignata est, qui nobis de merito ac religione fidei præceptũ eius in ecclesia præsente clero & plebe recensuit. Ex cuius tenore cognouimus ad omnes coëpiscopos meos præceptum regium similiter emanasse, vt die constituta pro disputatione fidei veniatur. Quod nos venerabiliter accepisse suggessimus, cui præfato notario humilitas mea suggessit, debere etiã trãsmarinarum omnium partium qui nobis sunt in vna religione vel cõmunione cõsortes agnoscere, quia vbique regno eius obtemperant vniuersi, maxime quod totius mundi causa non specialis prouinciarum Africanarum tãtummodo. Et quia secundo responso suggerendam me promisi oblaturũ, merito suppliciter peto magnificentiam tuam, vt ad domini & clementissimi regis aures memoratam suggestionem meam perferre digneris, quo eius clementia dignanter agnoscat, nos disputationẽ legis cum adiutorio dei nullatenus declinare vel fugere, sed sine vniuersitatis assensu nos nõ debere asserẽdę fidei nostrę causas assumere. Quod petimus vt benignitate quãtᵘˢ est, & iustitia sapiẽtiæ suæ dignetur annue

re. Data ab Eugenio episcopo ecclesię catholicę Carthaginis. Sed cum hæc suggestio à beato Eugenio offerretur, ille iam qui conceperat dolorem, vrgebatur iniquitatem grauius parturire: & ita sancto viro episcopo Eugenio per Obadum præpositū regni sui mādasse videtur: Subde mihi vniuersum orbem terrarum, vt sub potestate mea totus mundus redigatur, & facio ô Eugeni quod dicis. Ad quod beatus Eugenius respondit vt potuit. Quod rationem, inquit, nō habet, dici non debuit. Sic est hoc, quomodo si dicatur homini vt per aëra feratur & volitet, quod moris non est humanæ naturæ. Dixi enim si nostram fidem quæ vna & vera est, potestas regis cognoscere desiderat, mittat ad amicos suos: scribam & ego fratribus meis, vt veniant coëpiscopi mei, qui vobis nobiscum communem fidem nostram valeant demonstrare, & præcipue ecclesia Romana, quæ caput est omnium ecclesiarum. Ad hęc Obadus: Ergo tu & dominus meus rex similes estis? Eugenius episcopus dixit: Ego non sum similis regis, sed dixi: Si veram cognoscere desiderat fidē, scribat amicis suis vt dirigāt nostros catholicos episcopos, & ego scribo coëpiscopis meis, quia catholicæ vniuersæ vna est cura. Hoc agebat Eugenius, non quia deessent in Africa qui aduersariorum obiecta refellerēt: sed vt illi venissent, qui alieni ab eorū dominatu, maiorē fiduciam libertatis haberent, pariterque oppressionis nostrę calūnias vniuersis terris

& populis nuntiarent. Ille autem qui nectebat dolos audire noluit rationem, agens argumentationibus crebris, vt quoſcunq; epiſcoporum audierat eruditos, variis inſectationibus agitaret. Iam ad exilium Vibianenſem ſecundo Donatianum impoſitis CL. fuſtibus miſerat epiſcopum, necnon & Sufetulenſem Præſidium, virũ ſatis acutum. Tunc & venerabiles, Manſuetum, Germanum, Fuſculum, & multos alios fuſtigauit. Dum hæc geruntur, imperat vt cum noſtræ religionis viris, illorum menſam nullus communem haberet, neq; cum catholicis omnino veſcerentur: quæ res non ipſis aliquod pręſtitit beneficium, ſed nobis maximum contulit lucrum. Nam ſi ſermo eorum, dicente Apoſtolo, ſicut cancer cõſueuit ſerpere, quanto magis communis menſa ciborum poterit inquinare, cum dicat idem Apoſtolus: Cum nefariis nec cibũ habere communem? Sed cum ignis iam perſecutionis accenderetur, & flamma infeſtantis vbiq; regis arderet, oſtẽdit deus noſter quoddam miraculum per ſeruum ſuum fidelem Eugenium, quod pręterire non debeo. Fuit in eadem ciuitate, id eſt, Carthagine quidam cęcus, ciuibus ciuitatiq; notiſſim⁹, noĩe Felix. hic viſitatur à dño pdicitúrque ei nocte per viſum, dies enim epiphaniorũ illuceſcebat, Surge vade ad ſeruũ meũ Eugenium epiſcopum, & dices ei: Quia ego te ad illum direxi. Et illa hora qua benedicit fontem vt baptizentur accedẽtes ad fidem contin-

get oculos tuos & aperientur, & videbis lumen. Qui tali visitatione commonitus, putans se quomodo assolet deludi per somnium, surgere noluit cæcus. Sed cum iterum vergeretur in somnos, similiter vt ad Eugenium pergeret compellitur. Rursus negligit, tertioq; festinanter & grauiter increpatur. Excitat puerum, qui ei solitus erat manum porrigere. Pergit veloci agilitate ad Fausti basilicam, orat veniens cum ingentibus lachrymis, suggerit cuidam diacono nomine Peregrino, vt eum episcopo nunciaret, indicans se habere aliquod secreti genus intimandũ. Audiens episcopus iussit hominem introire. Iam enim ob celebritatem festiuitatis, hymni nocturni per totam Ecclesiam canente populo cõcrepabant. Indicat cæcus antistiti ordinem visitationis suæ, dicitq; illi: Non te dimittam, nisi mihi sicut à domino iussus es reddideris oculos meos. Cui Eugenius sanctus: Recede à me frater, peccator sum, & indignus, & super omnes homines delinquens, vt pote & qui in hæc tempora seruatus sum. Ille autem tenens genua eius, aliud non dicebat, nisi illud quod iam dixerat: Sicut iussum est, redde mihi oculos meos. Attẽdens quoque Eugenius inuerecundam credulitatem, & quia iam tempus vrgebat, pergit cum eo comitãte officio clericorum ad fontem. Vbi fixis genibus cum ingenti gemitu, pulsans singultibus cœlum, crispantem benedixit alueum fontis, & cum completa surrexisset oratione, ita

cæco respondit: Iam tibi dixi frater Felix, peccator homo ego sum, sed qui te visitare dignatus est, pręstet tibi secundum fidem tuam, & aperiat oculos tuos. simulq; vexillo crucis consignante oculos eius, statim cæcus visum, domino reddēte, recepit. Quem secum quousque vniuersi baptizarentur ibi detinuit ob hoc, ne tanto miraculo populus excitatus, virum contereret qui receperat lumen. Fit postea manifestum Ecclesiæ vniuersæ. Procedit ad altare cum Eugenio sicut moris est qui fuerat cæcus, suæ salutis oblationē domino redditurus. Quam episcopus accipiens altari imposuit. Fit strepitus gaudio metante inreuocabilis populorum, statim nuntius pergit ad tyrannum. Rapitur Felix, inquiritur ab eo quid factum sit, qualiterq; receperit lumen. Dicit illi ex ordine totum, dicuntq; Arrianorum episcopi, hoc Eugenius per maleficia fecit. Et quia oppressi confusione non poterant nubilare, eo quod Felix vniuersæ ciuitati manifestus esset & notus, tamen volebant eum si fas esset necare, quomodo Iudæi suscitatum Lazarū cupiebant occidere. Appropinquabat iam futurus dies ille calumniosus Kalendarum Februarium, ab eodem statutus. Conueniunt non solum vniuersæ Africæ, verumetiam insularum multarum episcopi, afflictione & mœrore confecti. Fit silentium diebus multis, quousque peritos quosque & doctissimos viros exinde separaret, calūniis appositis enecandos. Nam vnū ex ipso cho-

ro doctorum nomine Lætum, strenuum atque doctissimum virū, post diuturnos carceris squalores incendio cōcremauit, æstimans tali exemplo timorem incutiens reliquos elisurum. Tandem venitur ad disputationis conflictum, ad locum scilicet quem delegerant aduersarij. Euitātes igitur nostri vociferationis tumultus, ne fortè postmodum Ariani dicerent, quod eos nostrorum oppresserit multitudo, eligunt de se nostri qui pro omnibus responderent decem. Collocat sibi Cyrila cum suis satellitibus in loco excelso superbissimum thronum, astantibus nostris, dixeruntq; nostri episcopi: Illa est semper grata collatio, vbi superba non dominatur elatio: sed ex consensu communi venitur, vt cognitoribus decernentibus, partibus agētibus, quod verum est agnoscatur. Nunc qui erit cognitor, qui examinator, vel libra iustitiæ aut bene prolata confirmet, aut praue assumpta refellat. Et cum talia & alia dicerētur, notarius regis respōdit: Patriarcha Cyrila dixit, legatur nobis quo concedente istud sibi nomen Cyrila assumpsit. Et exinde strepitum concitantes, calumniari aduersarij cœperunt. Et quia hoc nostri petierant vt saltem si examinare non licebat, prudēti multitudini vel expectare liceret, iubentur vniuersi filij catholicæ Ecclesiæ qui aderant centenis fustibus tundi. Tunc clamare cœpit beatus Eugenius: Videat deus vim quam patimur, cognoscat afflictionem persecutionum quam à persecuto-

ribus ſuſtinemus:conuerſique noſtri, Cyrilæ dixerunt : Propone quod diſponis. Cyrila dixit: Neſcio latine. Noſtri epiſcopi dixerunt: Semper te latine eſſe locutum manifeſto nouimus, modo excuſare non debes, pręſertim quia tu huius rei incendium ſuſcitaſti. Et videns catholicos epiſcopos ad conflictum magis fuiſſe paratos, omnino audientiam diuerſis cauillationibus declinauit. Quod ante noſtri prouidentes, libellũ de fide conſcripſerant, ſatis decenter ſufficienterque conſcriptum dicentes: Si noſtram fidem cognoſcere deſideratis, hæc eſt veritas quam tenemus.

VICTORIS EPISCOPI DE FIDE CATHOLICA LIBER.

REGALI imperio fidei catholicæ quam tenemus, pręcipimur reddere rationem: ideóque aggredimur pro noſtrarum virium mediocritate diuino fulti adiutorio, quod credimus & prædicamus breuiter intimare. Primũ igitur de vnitate ſubſtantiæ patris & filij, quod Gręci ὁμοούσιον dicunt, exponendum nobis eſſe cognoſcimus. Patrem ergo & filium & ſpiritum ſanctum ita in vnitate deitatis profitemur, vt & patrem in ſua proprietatis perſona ſubſiſtere, & filium nihilominus in propria extare perſona, atque ſpiritum ſanctum perſonæ ſuæ proprietatem retinere fideli confeſſione fateamur: non eundem aſſerentes patrem quem filium, neque

filium confitentes qui pater sit, aut spiritus sanctus: neque ita spiritum sanctum accipimus, vt aut pater sit aut filius: sed ingenitum patrem, & de patre genitum filium, & de patre procedentem spiritum sanctum, vnius credimus esse substantiæ vel essentiæ: quia ingeniti patris & geniti filij, & procedentis spiritus sancti vna est deitas, tres vero personarum proprietates. Et quia contra hanc catholicam vel apostolicam fidē exorta hæresis nouitatem quandam induxerat, asserens filium non de patris substātia genitum, sed ex nullis extantibus, id est ex nihilo substitisse: ad hanc impietatis professionem quæ contra fidem emerserat refellendam, & penitus abolendam ὁμοουσίου sermo Græcus positus est, quod interpretatur vnius substantiæ vel essentię, significans filium non ex nullis extantibus, nec ex alia substantia, sed de patre natum esse. Qui ergo putat omousion auferendum, ex nihilo vult asserere filium extitisse. Sed si ex nihilo non est, ex patre sine dubio est, & recte omousios, id est, vnius cum patre substantiæ filius est. Ex patre autem esse, id est vnius cum patre substantiæ: his testimoniis approbatur, Apostolo dicente: Qui cum sit splendor glorię & figura substantię eius, gerens quoque omnia verbo virtutis suę. Et ipse iterum Deus pater incredulorum perfidiam obiurgans, qui prædicantis per prophetas filij vocem in sua substantia manentem audire noluerunt, dixit: Non audierunt vocem substantiæ.

Quam vocem ſubſtantiæ cum tam terribili inteſtatione increpans ad eundem prophetam loquitur,dicens:Super montes accipe planctum, & ſuper ſemitas deſerti luctum,quia defecerunt eo quod non ſint homines, non audierunt vocé ſubſtantiæ à volatilibus cœli vſque ad pecora.Et rurſum eos qui à profeſſione vnius ſubſtantiæ declinantes in eadem fidei ſubſtantia ſtare noluerunt, increpat,dicens:Si ſtetiſſent in ſubſtantia mea,auertiſſem vtique eos à via ſua mala, & à peſſimis cogitationibus ſuis.Et iterum nó extra ſubſtantiam patris filium confitendum, ſed in eadem fideliter mentis oculis contuendum, apertiſſime declaratur,dũ dicit propheta : Quis ſtetit in ſubſtantia domini,& viditverbum eius? Patris ergo ſubſtantiam filium eſſe propheticis iam olim deſignatum eſt oraculis,dicente Salomone : Subſtantiam enim & dulcedinem tuam quam in filios habes oſtendebas, quam in figura & imagine panis cœleſtis,populo Iſrael cœlitus apparet profluxiſſe:quod ipſe dominus in Euangelio expoſuit,dicens:Non Moyſes dedit vobis panem de cœlo, ſed pater meus dat vobis pané de cœlo : ſe vtique panem eſſe deſignans, cum dicit,Ego ſum panis viuus qui de cœlo deſcendi:de quo etiam propheta Dauid dicit: Panem angelorum manducauit homo. Nanque vt adhuc euidentius patris & filij ſubſtantiæ vnitas & diuinitatis æqualitas oſtendatur,ipſe in euangelio dicit: Ego & pater vnum ſumus.Quod non

ad vnitatem tantummodo volũtatis, ſed ad vnã refertur eandemque ſubſtãtiam,quia non dixit: Ego & pater vnum volumus, ſed vnum ſumus. Ex eo enim quod ſunt,non ex eo tantum quod volunt paternæ vnitatis declararur aſſertio.item Ioannes Euangeliſta dicit:Proprerea quærebant eum Iudæi interficere,quia non ſolum ſoluebat ſabbatum, ſed & patrem ſuum dicebat deum, æqualem ſe faciens deo:quod vtique non ad Iudęos eſt penitus referendum, quia euangeliſta veraciter dixit de filio,quia æqualem ſe faciebat deo. item in euangelio ſcriptum eſt:Quæcunq; pater facit,eadem &filius facit.Similiter & ſicut pater ſuſcitat mortuos & viuificat, ita & filius quos vult viuificat.Item:vt omnes honorificent filium,ſicut honorificant patrem. Æqualis enim honor,non niſi ęqualibus exhibetur.Item ibi filius ad patrem dicit.Omnia mea tua ſunt, & tua mea.Item:Philippe qui me videt,videt & patrẽ. Quomodo tu dicis,Oſtẽde nobis patrem? Hoc non dixiſſet,niſi patri per omnia fuiſſet ęqualis. Item ipſe dominus dixit:Credite in deum, & in me credite.Et adhuc vt vnitatem æqualitatis demonſtraret,ait : Nemo nouit filium niſi pater, neque patrem quis nouit niſi filius,& cui voluerit filius reuelare : & ſicut filius cui vult reuelat patrem,ita & pater reuelat filium : ſicut ipſe Petro ait,confitenti eum Chriſtum filium dei viui: Beatus es,inquit,Simon Bariona, quia caro & ſanguis non reuelauit tibi,ſed pater meus qui in

cœlis

cœlis eſt. Et iterum filius dicit: Nemo venit ad patrem niſi per me, & nemo venit ad me, niſi pater qui miſit me attraxerit eum. Vnde claret æqualitatem patris & filij ad ſe inuicem credentes adducere. Item dicit: Si cognouiſſetis me & patrem meum vtique cognouiſſetis, & amodo noſtis eum & vidiſtis eum. Verum quia duas in filio profitemur eſſe naturas, id eſt, deum verũ, & hominem verum corpus & animam habentem, quicquid ergo excellenti ſublimitatis potentia de eo referunt ſcripturæ, admirandę eius diuinitati tribuendum ſentimus: & quicquid infra honorem cœleſtis potentię de eodem humilius enarratur, non verbo dei, ſed homini reputamus aſſumpto. Secundum diuinitatem ergo eſt quod ſuperius diximus, vbi ait: Ego & pater vnum ſumus. Et: Qui videt me, videt & patrem. Et: Omnia quæcunque pater facit, eadem & filius facit ſimiliter, vel cætera quæ ſuperius continentur. Illa vero quæ de eo referũtur, iſta ſunt: Pater maior me eſt. Et: Non veni facere voluntatem meam, ſed voluntatem eius qui miſit me. Et: Pater ſi fieri poteſt, tranſeat à me calix iſte: vel cum de cruce dicit. Deus deus meus, quare me dereliquiſti? Et iterum ex perſona filij propheta dicit: De ventre matris meæ deus meus es tu: vel cum minor angelis indicatur, & quàm plura his ſimilia quæ ſtudio breuitatis non inſeruimus. Filius ergo dei nullis conditionum neceſſitatibus obſtrictus, ſed libera diuinitatis po-

téria, ita quæ nostra sunt mirabili pietate assumpsit, vt à suis quæ diuina sunt omnino non destiterit: quia diuinitas nec augmentum admittit, nec patitur detrimentum, vnde gratias agimus domino nostro Iesu Christo, qui propter nos & propter nostram salutem de cœlo descendit, sua passione nos redemit, sua morte viuificauit, sua ascensione glorificauit: Qui sedens ad dexteram patris, venturus est iudicare viuos & mortuos: iustis æternę vitæ præmium largiturus, impiis atq; incredulis merita supplicia redditurus. Profitemur itaque patrem de seipso, hoc est, de eo quod ipse est, sempiternè atque ineffabiliter filium genuisse, non extrinsecus, non ex nihilo, nõ ex alia genuisse materia, sed ex deo natum esse: & qui de deo natus est, non aliud est quàm id quod pater est, & idcirco vnius substantiæ est, quia veritas natiuitatis, diuersitatem non admittit generis. Nam si alterius à patre substantię est, aut verus filius non est, aut quod nefas est dicere, degener natus est. Est enim verus filius, sicut Ioannes ait: Vt simus in vero filio eius. Non est etiam deneger, quia deus verus de deo natus est vêro: sicut idem Ioannes euangelista exequitur, dicens: Hic est verus deus, & vita æterna. & ipse dominus in euangelio: Ego sum, inquit, via, veritas, & vita. Ergo si aliunde substantiam non habet, de patre habet. Si de patre habet, vnius substantiæ cum patre est: sed si vnius substantiæ non est, ergo non de patre, sed aliunde est: quo-

niam vnde eſt, inde ſubſtantiam habeat neceſſe eſt. Omnia enim ex nihilo, filius vero de patre. De duobus eligat quis quod velit: aut det ei ſubſtantiam de patre, aut fateatur ex nihilo ſubſtitiſſe. Sed propheticum forſitan obiicitur teſtimoniũ: Generationem eius quis enarrabit? Cum ego non dixerim, Enarra mihi modum vel qualitatem diuinæ generationis, & tanti ſecreti arcanum humanis verbis enuntia, quoniam vnde nat⁹ ſit requiſiui. Diuina enim generatio inenarrabilis eſt, non ignorabilis. Nam vſque adeo nõ eſt ignorabilis, id eſt non ignoratur vnde ſit, vt & pater de ipſo genuiſſe, & filius de patre ſe natum ſæpiſſime proteſtetur. Quod nullus omnino ambigit Chriſtianus: ſicut in euangelio demonſtratur, ipſo filio dicente: Qui autem non credit, iam iudicatus eſt, quia nõ credidit in nomine vnigeniti filij dei. Item Ioannes euangeliſta dicit: Et vidimus gloriam eius, gloriam quaſi vnigeniti à patre. Ergo profeſſionem noſtram breui ſermone cõcludimus. Si vere de patre natus eſt, vnius ſubſtantię eſt, & verus filius eſt. Sed ſi vnius ſubſtantiæ non eſt, nec verus deus eſt: aut ſi verus deus eſt, & tamen de patris ſubſtantiâ non eſt, ingenitus ergo & ipſe eſt: ſed quia ingenitus non eſt, factura ergo eſt, vt putatur aliunde ſubſiſtens, ſi de patris ſubſtantia non eſt: ſed abſit hoc ita credere. Nos enim vnius ſubſtantiæ cum patre filium profitemur, deteſtantes Sabellianam hæreſim, quæ ita Trinitatem

confundit, vt eundem dicat esse patrem quem filium, eundemq; credat esse spiritum sanctum, non seruans tres in vnitate personas. Sed forsitã obiicitur cum ingenitus pater sit, genitus filius, non fieri posse vnam eandemq; esse substãtiam geniti atque ingeniti, cum vtique si sicut ingenitus pater est, ingenitus esset & filius, tunc magis diuersa possit esse substantia, quia vnusquisque à seipso subsistens, communem substantiam cum altero non haberet. Cum vero ingenitus pater de seipso, id est de eo quod ipse est, si quid illud est aut dici potest, imò quia vt est dici omnia nõ potest, filium generauit, apparet vnam esse gignentis genitiq; substãtiam: quia deum de deo, lumen de lumine filium esse veraciter profitemur. Nam lucem esse patrem, Ioannes apostolus testis est, dicens: Quia deus lux est, & tenebrę in eo non sunt vllę. Item de filio ait: Et vita erat lux hominum, & lux in tenebris lucet, & tenebrę eam non comprehenderunt. Et infra: Erat lumen verum quod illuminat omnem hominẽ venientem in hunc mundum. Vnde apparet patrem & filium vnius esse substantię, dum lucis & luminis diuersa nõ potest esse substantia, eius scilicet quę de se gignit, & quæ de gignente existit. Denique ne aliquis inter patrem & filium diuersitatem naturalis luminis introducat, ideo apostolus de eodem filio dicit: Qui cum sit splendor gloriæ, & figura substantię eius. In quo euidentius & coæternus patri, & insepara-

bilis à patre, & vnius cum eo esse substantię perdocetur: dum luci splendor est semper coæternus, dum splendor à luce nunquam separatus est, dum splendor à luce natura substantiæ nunquam potest ęsse diuersus. Quis enim splendor lucis est, idem & dei patris virtus est. Sempiternus ergo propter virtutis æternitatem, inseparabilis propter claritudinis vnitatem. Et hoc est quod nos fideliter profitemur, filium de patris substantia natum: sicut ipsum pater deus apertissimum perhibet testimonium. Qui vt de sua ineffabilis naturæ substantia proprium filium genuisse monstraret, ad instruendam fragilitatis nostræ imperitiam, vt nos ex visibilibus ad inuisibilia erigeret, terrenæ natiuitatis vocabulum ad diuinę generationis traxit exemplum, dicés: Ex vtero ante luciferum genui te. Quid clarius, quid luculétius effari diuinitas dignaretur? Quibus indiciis, quibus existentium rerum exemplis proprietatem generationis ostéderet? Non quia corporeis compositus est membris, aut aliquibus artuum lineamentis distinctus: sed quia nos aliter veritaté diuinæ generationis auditu métis percipere non possemus, nisi humani vteri prouocaremur vocabulo, vt ambigi vltra non possit de dei substantia natum esse, quem cóstat ex patris vtero extitisse. Credentes ergo deum patrem de sua substantia impassibiliter filium generasse, non dicimus ipsam substantiam aut diuisam esse in filio, aut diminutionem pertulisse in patre:

& per hoc passionis potuisse vitio subiacere. Absit enim à nobis, vt talia vel opinemur vel cogitemus de deo, quia nos perfectum patrem, perfectum filiũ sine sui diminutione, sine aliqua diriuatione, sine omni omnino passionis infirmitate genuisse fideliter profitemur. Nam qui obiicit deo, qui de ipso genuit diuisionis vitium pertulit: potest dicere, quia & laborẽ sensit quãdo vniuersa condidit, & ob hoc die septima ab omni suo opere requieuit. Sed nec in generando de seipso passionem vel diminutionem aliquam sensit, nec in condẽdo vniuersa fatigationem aliquam pertulit. Nãque vt euidentius nobis diuinæ generationis impassibilitas insinuaretur, deum ex deo, lumen ex lumine, filiũ profitendum accepimus. Si ergo in efficiẽtia visibilis ac mundani luminis tale aliquid non inuenitur, vt lumine ex lumine sumpto, & per quãdam generationis natiuitatem exorto, ipsam luminis originem quæ ex se lumen aliud dedit, nec minui, nec vllum omnino detrimentum ministrati ex se luminis perpeti contingat: quanto rectius & melius de diuini & ineffabilis luminis natura credendũ est: quæ ex seipsa lumen generans, minui omnino non potuit? Vnde æqualis est patri filius, non natus ex tempore, sed gignẽti coęternus: sicut splendor ab igne genitus gignenti manifestatur æqualis. Hæc de patris & filij ęqualitate, vel de substantiæ vnitate quantum breuitatis ratio sinit dixisse sufficiat: super est vt de spi-

ritu sancto quem patri ac filio consubstantiuum credimus coæqualem & coęternum , dicamus & testimoniis approbemus. Licet enim hęc veneranda Trinitas personis ac nominibus distincta sit,non tamen ob hoc à se atque à sua ęternitate discrepare credenda est,sed manens ante secula diuinitas in patre & filio & spiritu sancto vere ac proprie creditur , nec diuidi nostris interpretationibus potest,nec rursus versa in vnam personam Trinitas ipsa confundi.Hæc fides plena , hęc nostra credulitas est. Idcirco deos nec æstimare patimur nec vocari,sed vnum deum in prædictis personis ac nominib⁹ confitemur.Inenarrabilis enim diuinitas , non vt concludi aut apprehendi velut vocabulis posset , intra nomina personasq; se pręstitit:sed vt id quod erat esse nosceretur,intelligentiam sui ex parte quam capere humanæ mentis angustiæ pręualebant,credentibus dedit,propheta dicente: Nisi credideritis,non intelligetis.Vna est ergo trinitatis deitas,& in huius vocabuli appellatione , significatio est vnius substantiæ,non vnius personæ. Ad quam rem fidelibus comprobandam in testimonium sui diuinitas ipsa multis & creberrimis cōtestationibus semper affuit. Liceat ergo ob breuitatis compendia , ex multis pauca proferre, quoniam veræ probatio maiestatis, tametsi habet pluralitatem testimoniorum , pluralitate tamen non indiget,quoniam credenti pauca sufficiunt.Primum igitur de veteris testamēti libris,

post etiam noui, patrem & filium & spiritũ sanctum vnius docebimus esse substantiæ, libro Genesis sic inchoante: In principio fecit deus cœlum & terram. Terra autem erat inuisibilis & incomposita, & tenebræ erant super abyssum, & spiritus dei ferebatur super aquas. Ille Iudæis quis esset interrogantibus, dixit: Principium qui & loquor vobis. Superferebatur spiritus dei super aquas, vtpote creator virtute potentiæ suæ continens creaturam, vt ex his viua omnia producturus ipse rudibus elementis ignis proprij fomenta præstaret, & iam tunc mysterio emicante baptismatis virtutem sanctificationis liquoris natura perciperet, primáque ad vitam corpora animata produceret: Dauid proinde aspirante: Verbo domini cœli firmati sunt, & spiritu oris eius omnis virtus eorum. Vide quam plena sit breuitas, & quam clare in sacramentum vnitatis recurrit. Patrem in domino, verbi significatione filium ponens, spiritum sanctum altissimi ex ore nuncupauit. Et ne vocis æditio acciperetur in verbo, cœlos per eum asserit esse firmatos. Ne autem flatus in spiritu reputetur, cœlestis in eo virtutis plenitudinem demõstrauit. Nam vbi virtus, ibi necesse est persona subsistens. Vbi omnis, non ablata à patre & filio, sed consummata significatur in spiritu sancto, non vt solus habeat quod in patre & filio est, sed vt totum habeat cum vtroque. Et iterum cum de vocatione gentium dominus

loqueretur, intra vnũ diuinitatis nomen ſpiritũ ſanctũ prædicans, ait: Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine patris & filij & ſpiritus ſancti. Et iterum cœleſtia Corinthiis precatus apoſtolus, hæc ſubdidit: Gratia domini noſtri Ieſu Chriſti, & charitas dei, & communicatio ſancti ſpiritus, cum omnibus vobis. Et vt apertius in hac Trinitate vnitatem ſubſtantiæ fateamur, illud etiam nobis eſt intuendum, quomodo deus cum de mundi & hominis creatione diſponeret, ſacramentum Trinitatis oſtenderet, dicens: Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram. Cum dicit noſtram, oſtendit vtique non vnius. Cum vero imaginem & ſimilitudinem profert, æqualitatẽ diſtinctionis perſonarum inſinuat, vt in eodem opere ſit aperta cognitio, in quo nec pluralitas caſſa eſt, nec ſimilitudo diſſentiens, dum & conſequentia ſic loquuntur: & dicit deus, & fecit, & benedixit deus. Et neceſſe eſt vt creationis totius autor, deus vnus ſit. Quam fidei rationem antiqua denique per Moſen benedictio pandit & comprobat, qua benedicere populum ſacramento trinæ inuocationis iubetur: ait enim deus ad Moſen: Sic benedices populum meum, & ego benedicam illos. Benedicat te dominus, & cuſtodiat te. Illuminet dominus faciẽ ſuam ſuper te, & miſereatur tui. Attollat dominus faciem ſuam ſuper te, & det tibi pacem. Quod hoc ipſum propheta Dauid affirmat, dicens: Benedi-

cat nos deus deus noster, benedicat nos deus, & metuant eum omnes fines terræ. Quam Trinitatis vnitatem supernę angelorũ virtutes hymno venerãtur, & ter numero, Sanctus, Sanctus, Sanctus dominus deus sabaoth indesinenti canentes ore in vnius fastigium dominationis gloriam eius exaltant. Quod vt adhuc apertius fidelium sensibus inculcetur, cœlestium mysteriorũ conscium producimus Paulum. ait enim: Diuisiones autem donationum sunt, idem autem spiritus: & diuisiones ministrationum sunt, idem autem dominus: & diuisiones operationum sunt, idem vero deus qui operatur omnia in nobis. Et certè has diuisionum differentias pro qualitate ac merito participantium, spiritum sanctum docuit operari. Cum ipsarum gratiarum differentias partiretur, in vltimis intulit, dicens: Hæc autem omnia operatur vnus atque idẽ spiritus, diuidẽs propria vnicuique prout vult. Vnde nullius ambiguitatis relinquitur locus, quin clareat spiritum sanctum & deum esse, & suæ voluntatis autorem, qui cuncta operari & secundũ propriæ voluntatis arbitrium diuinæ dispensationis dona largiri apertissime demonstratur.
Quia vbi voluntaria distributio prædicatur, nõ potest videri conditio seruitutis. In creatura enim seruitus intelligenda est, in Trinitate vero dominatio ac libertas. Et vt adhuc luce clarius vnius diuinitatis esse cum patre & filio spiritum sanctum doceamus, Ioannis Euangelistæ testi-

monio comprobatur, ait namque: Tres ſunt qui teſtimonium perhibent in cœlo, Pater, verbum, & ſpiritus ſanctus, & hi tres vnum ſunt. Nunquid ait tres indifferenti æqualitate ſeiuncti, aut quibuſlibet diuerſitatum gradibus longo ſeparationis interuallo diuiſi? Sed tres, inquit, vnum ſunt. Vt autem magis magíſque ſancti ſpiritus cum patre & filio vna diuinitas in creandis rebus omnibus demonſtraretur. habes creatorem ſpiritum ſanctum in lib. Iob primo. Spiritus, inquit, diuinus eſt qui fecit me, & ſpiritus omnipotentis qui docet me. & Dauid dicit: Emitte ſpiritum tuum & creabuntur, & renouabis faciem terræ. Si renouatio & creatio per ſpiritum erit, ſine dubio & principium creationis ſine ſpiritu non fuit. Poſt creationem igitur oſtendamus quia viuificat etiam ſpiritus ſanctus, ſicut pater & filius. Equidē de perſona patris refert apoſtolus: Teſtor in cōſpectu dei qui viuificat omnia. Vitam vero dat Chriſtus. Oues, inquit, meæ vocem meam audiēt, & ego vitā æternā do illis. Viuificamur vero à ſpiritu ſancto, ipſo dicente domino: Spiritus eſt qui viuificat. Ecce vna viuificatio patris & filij & ſpiritus ſancti aperte monſtrata eſt. Præſcientiam rerū omnium in domino eſſe & occultorum cognitionē licet nemo Chriſtianus ignoret, tamē ex Danielis libro monſtrandum eſt. Deus, inquit, qui occultorū cognitor es, qui præſcius es omnium antequam naſcantur. Hæc eadem præſcientia in

Christo est,sicut refert euangelista. Ab initio auté sciebat Iesus quis esset eum traditurus, vel qui essent non credentes in eum. Quod sit auté occultorum cognitor ex hoc manifestum est,cũ obscura consilia Iudæorum traducens, dicebat: Quid cogitatis nequam in cordibus vestris? Similiter præscire omnia spiritum sanctum, ipse manifestauit dicens ad apostolos: Cum venerit spiritus veritatis docebit vos omnia,& ventura annunciabit vobis. Qui ventura nuntiare perhibetur,præscire omnia non dubitatur, quia ipse scrutatur altitudines dei,& nouit omnia quæ in deo sunt: sicut memorat Paulus dicens: Spiritus enim omnia scrutatur,etiam altitudines dei: ité in eodem loco: Sicut nemo scit hominum quæ sunt hominis,nisi spiritus eius qui in ipso est: ita nemo scit quæ sunt dei nisi spiritus dei. Ad intelligendam vero potentiam spiritus sancti,pauca de terribilibus proferamus. Vendiderat possessionem vt scriptum est in Actibus apostolorum, suppressa parte pecuniæ dolosus discipulus,reliquum pro toto ante pedes ponens apostolorum. Offendit spiritum sanctum quem putabat latere. Sed quid ad eum dixit continuo B. Petrus: Anania,quare satanas repleuit cor tuũ, vt mentireris spiritui sancto? & infra: Non es mentitus hominibus,sed deo. Atque ita percussus virtute eius cui mentiri voluerat expirauit. Quid hîc vult beatus Petrus intelligi spiritum sanctum? Vtique clarũ est,cũ dicit: Non es mẽti

tus hominibus, sed deo. Manifestũ est ergo quoniam qui mentitur spiritui sancto, deo mẽtitur: & qui credit in spiritum sanctum, credit in deũ. Tale aliquid imò fortius quiddã dominus in euangelio ostendit: Omne peccatum & blasphemia remittitur hominibus: qui autẽ blasphemat in spiritum sanctum, non remittetur ei neque in hoc seculo, neque in futuro. Ecce terribili sententia inremissibile dicit esse peccatum ei qui in spiritum sanctum blasphemauerit. Compara huic sententiæ illud quod scriptũ est in libro Regnorum: Si peccando peccauerit vir in virũ, orabũt pro eo: si autem in dominum peccauerit, quis orabit pro eo? Si ergo blasphemare in spiritũ sanctum, & peccare in deum simile, id est inexpiabile crimen est, iam quantus sit spiritus sanctus vnusquisque cognoscit. Deus quod vbique sit præsens, impleat omnia, ore discimus Esaię: Ego, inquit, deus approximans, & non de longinquo. Si absconditus fuerit homo in absconditis, ergo ego non videbo eum? nonne cœlum & terram ego impleo? Quod autem deus sit vbique, saluator in euangelio: Vbicunque ait fuerint duo vel tres collecti in nomine meo, ibi & ego sum in medio eorũ. De spiritu itaque sancto quod adsit vbique, dicit propheta ex persona dei: Ego in vobis, & spiritus meus stat in medio vestrum. & Salomõ ait: Spiritus domini repleuit orbẽ terrarũ, & hoc quod cõtinet omnia sciẽtiã habet vocis. Itẽ Dauid dicit: Quo ibo à spiritu tuo, & à

facie tua quò fugiam? Si ascendero in cœlum tu illic es, si descendero in infernum ades. Si sumpsero pénasmeas in directũ, & habitauero in extremis maris. Etenim illic manus tua deducet me, & cõtinebit me dextera tua. Habitat deus in sãctis suis secundũ promissionẽ qua dixerat: Habitabo in illis. Quod vero domin⁹ Iesus dicit in euãgelio: Manete in me, & ego ĩ vobis: ꝓbat hoc Paul⁹ dicẽs. An nescitis q̃a Iesus Christus est in vobis? Hoc autẽ totũ in spiritus habitatione adimpletur, sicut memorat Ioãnes: Ex hoc, inquit, scimus quia in nobis est, quia de spiritu suo dedit nobis. similiter & Paulus: Nescitis quia templum dei estis, & spiritus dei habitat in vobis? Et iterum dicit: Glorificate & portate deum in corpore vestro. Quem deum? vtique spiritum sanctum, cuius templum esse videmur. Nã quod arguat pater, arguat filius, arguat spiritus sanct⁹, ita probandum est. In psalmo quadragesimo nono legitur: Peccatori aut dicit deus. Et infra: Arguam te, & statuam contra faciem tuam. Dauid similiter orans dicit ad Christum: Domine ne in ira tua arguas me, quia ipse venturus est arguere omnem carnem. Quod vero de spiritu sancto saluator in euangelio: cum venerit, inquit, paraclit⁹, ille arguet mundũ de peccato, & de iustitia & de iudicio. Hoc prouidẽs Dauid clamabat ad dominum: Quo ibo à spiritu tuo, & à facie tua quo fugiam? Nam & quod bonus sit pater, bonus filius, bonus spiritus sanctus, sic proba-

tur. Dicit propheta; Bonus es tu domine, & in bonitate tua doce me iustificationes tuas. De se autem ipse vnigenitus: Ego sum pastor bonus. De spiritu æque sancto Dauid in Psalmo dicit: Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam. Quis autem illam dignitatem spiritus sancti possit tacere? Antiqui enim prophetæ clamabant: Hæc dicit dominus. Hanc vocem Christus adueniens in suam personam reuocauit dicens: Ego autem dico vobis. Noui autem prophetæ quid clamabant? sic Agabus propheta in Actibus apostolorum: Hæc dicit spiritus sanctus. Et Paulus ad Timotheum: Spiritus inquit manifeste dicit. Quæ vox omnino demonstrat indifferentiã Trinitatis. Dicit se Paulus à Deo patre & Christo vocatũ fuisse & missum. Paulus inquit apostolus nó ab hominibus neque per hominem, sed per Iesum Christum & dominum patrem. In actibus autem apostolorum, quod ab spiritu sancto sit segregatus & missus. Sic enim scriptum est: Hæc dicit spiritus sanctus. Segregate mihi Barnaban & Saulum in opus quo vocaui eos. Et paulo post: Ipsi inquit missi ab spiritu sancto, descenderunt Seleuciam. Item in eodem loco: Attendite vobis & vniuerso gregi, in quo vos spiritus sanctus constituit episcopos. Ne quis autem spiritum sanctum, quia paraclitus dictus est, contéptibile aliquid æstimet. Paraclit⁹ enim aduocatus est, vel positus consolator, secundum Latinã

linguam. Quæ appellatio etiam filio dei communis est, sicut dicit Ioannes: Hæc, inquit, scribo vobis, ne peccetis. Sed si quis peccauerit, paraclitum habemus apud patrem Iesum Christũ. Nam & ipse dominus cũ dicit ad apostolos, alterum paraclitum mittet vobis pater: sine dubio cum dicit alterum paraclitum, se quoque paraclitum manifestat. Sed neque à patre hoc nomen parakliti alienũ est. Beneficẽtiæ enim nomẽ est, nõ naturæ. Deniq; ad Corinthios Paul' ita scribit: Benedict' deus & pater domini nostri Iesu Christi, pater misericordiarũ, & deus totius consolationis, qui nos cõsolatur. Et cũ cõsolator dicitur pater, cõsolator dicitur fili', cõsolator etiã spiritus sanctus, vna tamen nobis cõsolatio à Trinitate præstatur, sicut & vna remissio peccatorum, apostolo affirmante: Abluti, inquit, estis & iustificati, & sanctificati estis in nomine domini nostri Iesu Christi, & spiritu dei nostri. Possemus plura adhuc de diuinis scripturis proferre testimonia, quæ iuxta baptismi sacramentum, trinitatem vnius gloriæ, operationis ac potentiæ manifestant. Sed quia ex his plenus est sapientibus intellectus, multa præteriuimus studio breuitatis. Faciamus ergo recapitulationem dictorum nostrorum. Si de patre procedit spiritus sanctus, si liberat, si dominus est & sanctificat, si creat cum patre & filio, & si viuificat, si præscientiam habet cum patre & filio, si vbique est & implet omnia, si habitat in electis,

electis, si arguit mūdū, si iudicat, si bon⁹ & rect⁹ est, si de eo clamatur, Hæc dicit spūs sāctus, si ꝓphetas cōstituit, si apostolos mittit, si episcopos præficit, si cōsolator est, si cūcta dispensat prout vult, si abluit & iustificat, si tētatores suos interfi cit, si is q eū blasphemauerit nō habet remissionem neque in hoc seculo neque in futuro, quod vtique deo proprium est: Hæc cum ita sint, cur de eo dubitatur quod deus non sit, cum operū magnitudine quod est ipse manifestet? Non vtique alienum esse à patris & filij maiestate, qui non est ab opere virtutum alienus. Frustra illi nomen diuinitatis negatur, cuius potestas non potest abnegari. Frustra prohibeor eū cum patre & filio venerari, quem exigor cum patre & filio confiteri. Si ille mihi cum patre & filio con fert remissionē peccatorum, confert sanctificationem & vitam perpetuam, ingratus sum nimis & impius, si ei cum patre & filio non refero glo riam. Aut si non est cum patre & filio colendus, ergo nec confitendus in baptismo est. Si autem omnimodo cōfitendus secundū dictum domini & traditionem apostolorum, ne semiplena sit fides, quis me poterit ab eius cultu prohibere? In quem enim credere iubeor, ei etiam deinde supplicabo. Adorabo ergo patrem, adorabo & filium, adorabo & spiritum sanctum vna eadémque veneratione. Quod si quis durum hoc putat, audiat quomodo Dauid ad culturam dei fideles hortatur. Adorate, inquit, scabellum

pedum eius. Si religionis est adorare scabellum pedum eius, quanto magis religiosum si eius spiritus adoretur? Ille vtique spiritus quem beatus Petrus in tanta sublimitate prædicauit, dicens: Spiritu sancto misso de cœlis, in quem concupiscunt angeli prospicere. Si angeli eum cupiūt aspicere, quanto magis nos homines mortales despicere non debemus, ne forte & nobis dicatur, sicut dictum est ad Iudæos: Vos semper spiritui sācto restitistis, sicut & patres vestri. Quod si hæc tanta & talia non inclinant animum ad venerandum spiritum sanctum, accipe adhuc aliquid fortius. Sic enim Paulus iustruit prophetas ecclesiæ, in quibus vtique & per quos spiritus sanctus loquebatur. Si, inquit, omnes prophetauerint, intret autem aliquis infidelis aut idiota, conuincitur ab omnibus, examinatur ab omnibus, occulta quoque cordis eius manifesta sunt: & tunc cadens in faciem adorabit deum, pronuntians quia vere deus in vobis est, & vtique in eis spiritus sanctus est qui prophetant. Si ergo infideles cadunt in faciem, & adorant spiritum sanctum perterriti & confitentur inuiti, quanto magis fidelibus expedit, vt voluntarie & ex affectu adorent spiritum sanctum? Adoratur autem spiritus sanctus, non quasi separatim more gētilium, sicut nec filius separatim adoratur, quia in dextera patris est: sed cum adoramus patrem, credimus nos & filium & spiritum sanctum adorare: quia & cum filium inuocamus,

a trem nos credimus inuocare, & cum patrem rogamus,à filio nos exaudiri confidemus,ſicut ipſe dominus dixit: Quicquid petieritis patrem in nomine meo,ego faciam,vt honorificetur pater in filio. Et ſi ſpiritus ſanctus adoratur,ille vtique adoratur cuius eſt ſpiritus. Illud autem nullus ignorat,quia diuiuæ maieſtati nec addi quicquam nec minui,humanis ſupplicationibus poteſt,ſed vnuſquiſque ſecundum popoſitum voluntatis ſuæ,aut gloriã ſibi acquirit fideliter venerando,aut confuſionem perpetuam, pertinaciter reſiſtendo. Certum eſt enim,quia contentio & ſuperbia damnat:honorificentia vero fructum deuotionis expectat. Quare autem fideles non honorificent integre Trinitatem, ad quam ſe pertinere confidunt,cuius nomine ſe renatos, cuius ſeruos ſe nominari gloriantur? Nam ſicut ad nomen dei patris homines dei appellantur, vt Helias homo dei dictus eſt, vt Moſes homo dei appellatus eſt:ſic à Chriſto Chriſtiani nuncupamur,ſic etiam ab ſpiritu ſpiritales appellamur. Si igitur vocetur quis homo dei & non ſit Chriſtian⁹,nihil eſt. Qui ſi Chriſtian⁹ vocetur,& nõ fuerit ſpiritalis,nec ſibi ſatis de ſalute confidat. Sit ergo vobis ſecũdũ ſalutaris baptiſmi cõfeſſionẽ fides integra trinitatis, ſit vna deuotio pietatis,nec more gẽtiliũ,poteſtatũ diuerſitates opinemur,aut creaturã quantumad deitatem in trinitate ſuſpicemur: ſed nec Iudæorũ ſcandalo moueamur,q̃ filiũ dei negant,qui ſpiritũ ſanctũ

non adorant: sed potius perfectam trinitatem adorantes & magnificantes, sicut in mysteriis ore nostro dicimus, ita conscientia teneamus: Sanctus, sanctus, sanctus domin⁹ deus sabaoth. Ter dicentes sanctus, vnam omnipotentiam confitemur, quia vna est religio, vna glorificatio trinitatis. Vt audiamus ab Apostolo, sicut audierunt Corinthij: Gratia domini nostri Iesu Christi, & dilectio dei, & communicatio spiritus sancti cũ omnibus vobis. Hęc est fides nostra, euangelicis & apostolicis traditionibus, & omnium quæ in hoc mundo sunt catholicarum ecclesiarum societate fundata, in qua nos per gratiam dei omnipotentis permanere vsque ad fidem vitæ huius confidimus & speramus. Directa XII. Kalendarum Maiarum, per Ianuarium Zattarensem, Villaticum à Casis medianis, episcopos Numidiæ, Bonifacio Foratianensi, & Bonifacio Gatianensi episcopis Byzacenis.

LIBER TERTIVS.



VI cũ noster libellus legeretur oblatus, veritatis lumen nequaquã sufferre cæcis oculis potuerunt, insaniẽtes vocibus inferẽdis, grauitérq; ferẽtes quare nos nomine nostro catholicos dixerimus. Statímque mentiẽtes suggerunt regi de nobis, eo quod strepitum fecerimus, audientiam fugientes. Qui eadem

hora accensus & credens mendacio, festinauit facere quod volebat. Et iam conscriptum habens, & occulte cum eodem decreto per diuersas prouincias suos homines dirigens, episcopis Carthagine positis, vna die vniuersæ Africæ ecclesias clausit vniuersamque substantiam episcoporum & ecclesiarum, suis episcopis munere condonauit. Nesciens quoque quid loqueretur, neque de quibus affirmabat, legē quā dudū Christiani imperatores nostri contra eos & contra alios hæreticos pro honorificentia ecclesię catholicę promulgauerunt, aduersum nos illi proponere non erubuerunt, addentes multa de suis sicut placuit tyrannicæ potestati. Hæc est enim series datæ & propositæ legis.

REx Hunnericus Vādalorum & Alanorum, vniuersis populis nostro regno subiectis. Triumphalis & maiestatis & regiæ probatur esse virtutis, mala in autores consilia retorquere. Quisquis enim aliquid prauitatis inuenerit, sibi imputat quod incurrit. In qua re nutum diuini iudicij clementia nostra secura est, quod quibusque personis prout eorum facta meruerint, seu bona seu forte talibus contraria dum facit expendi, simul etiam prouenit compēsari. Itaque his prouocantibus qui præceptionem inclytæ recordationis patris nostri, vel mansuetudinis nostræ crediderint esse temnendam, censurā seueritatis assumimus. Autoritatibus enim cūctis populis fecimus innotesci, vt in sortibus Vanda

dalorum nullos conuentus omousiani sacerdotes assumerēt,nec aliquid mysteriorū quę magis polluunt sibimet vindicarent. Quod cum videremus esse neglectū,& plurimos esse repertos, dicentes se integrā regulam fidei retinere, postmodum vniuersos constat fuisse cōmonitos spacio tēporis prærogato mensium,noúæque contentionis,si quid ab eorum proposito posset aptari,vt ad Calēdas Februarias anni octaui regni nostri,sine metu aliquo conuenirent. Qui dum huc ad Carthaginēsem cōfluerent ciuitatē post moram temporis præstituti,aliam quoque dilationem aliquātorū dierū dedisse cognoscimur. Et dum se conflictui paratos astruerent, primo die à venerabilibus episcopis nostris eis videtur esse propositum, vt Homóusion sicut admoniti erant ex diuinis scripturis proprie approbarent, aut certe quod à mille & qui id excurrunt pontificibus de toto orbe in Ariminensi cōsilio, vel apud Seleuciam amputatum est, prædānarent. Quod nequaquam facere voluerūt,vniuersa ad seditionem per se concitati populi reuocantes. Quinimò & secunda die dum eis mandaremus, vt de eadem fide sicuti propositū fuerat, respon derent,hoc euidenter assumpsere temeritate trā sacta,vt seditione & clamoribus omnia perturbantes,ad cōflictū facerent minime perueniri. Quibus hoc prouocantes,statuim⁹ vt eorū eccle sięclauderentur,hac illis conditione pręscripta, vt tandiu essent clausæ,quādiu malēt propositū

peruenire, ꝙ ea obſtinatione facere noluerũt, q̃ prauis vidétur aſſumpſiſſe cõſiliis. Adeo in hos eſt neceſſarium ac iuſtiſſimũ retorquere, ꝙ ipſarum legum cõtinentia demonſtratur, quas inductis ſecũ in errorem imperatoribus diuerſorum tunc contigit promulgari. Quarũ illud videtur tenere conceptio, vt nulla ſuper exceptis inſtitutionibus ſuis antiſtibus eccleſia paruiſſet, nulli liceret aliis aut conuictus agere, aut exercere cõuẽtus, nec eccleſias aut in vrbibus aut in quibuſdam paruiſſimis locis penitus obtinere neque cõſtruere, ſed præſumpta fiſci viribus iungerentur: ſed etiam & eorum patrimonia eccleſiis ſuæ fidei ſociata, ſuis antiſtitibus proueniſſent, nec cõmemorare quæcũque loca talibus licẽtia patuiſſet: ſed extorres omnibus vrbibus redderẽtur & locis, nec baptiſmatis haberẽt omnino aliquam facultatem, aut forte de religione diſputarent, & nullã ordinandi haberent licentiam, ſiue epiſcopos, ſiue presbyteros, vel alios quos ad cleros pertinere contingeret, propoſita ſeueritate vindictæ: vt tam hi qui ſe paterentur huiuſmodi honores accipere, quã etiã ipſi ordinatores, denis libris auri ſinguli multarentur, eo adiecto, vt nullus eis locus eſſet vel aditus ſupplicandi, ſed etiam ſi qua ſpecialia meruiſſent, minimè præualerent. Et ſi in hac pernicie perdurarent, & de proprio ablati in exilium ſub proſecutione idonea mitterentur: in populos quoque præfati imperatores ſimiliter ſequientes, quod eis

nec donandi libertas, nec teſtandi, aut capiendi, vel ab aliis derelictum penitus ſubiaceret, nó fidei commiſſæ nomine, non legati, non donationibus, aut relictione quæ mortis cauſa appellatur, vel quolibet codicello aliiſúe forſitan ſcripturis: ita vt etiam qui ſuis palatiis militarent, condemnationi grauiſſimæ pro dignitatis merito facerent ſubiectos, vt omni honoris priuilegio expoliati, infamiam incurrerent, & publico crimini huiuſmodi perſonæ ſe cognoſcerent eſſe ſubiectos, officialibus etiam iudicum diuerſorum, xxx. argenti pondo pœna propoſita: quam ſi quinque vicibus in errore perdurantibus contigiſſet inferre, tum demum tales conuicti atque ſubiugati verberibus, in exilium mitterentur. Deinde codices vniuerſos ſacerdotũ quos perſequebantur, pręceperant ignibus tradi. Quod de libris huiuſmodi, quibus ſibi nominis illius errorem perſuaſit iniquitas, præcipimus faciendum. Hęc enim, vt dictum eſt, pro ſingulis quibuſque perſonis illi obſeruanda præceperant, vt Illuſtres ſingillatim auri pondo quinquagena darent, Spectabiles auri pondo quadragena, ſenatores auri pondo tricena, populares auri pondo vicena, ſacerdotales auri pondo tricena, decuriones auri pondo quina, negociatores auri pondo quina, plebeij auri pondo quina, circumcelliones auri pondo dena. Et ſiqui forte in hac pernicie permanerent, confiſcatis omnibus rebus ſuis, exilio multarentur. Ordi-

nes autem ciuitatum,ſed & procuratores & cō-ductores poſſeſſionum, tali pœna videbantur affligere, vt ſi forte tales celare diligerent, & minime publicaſſent, & retentos iudicio non facerent præſentari,ipſi tenerentur ad pœnam: conductoribus etiam regalium prædiorum hac multa propoſita, vt quantum domui regiæ inferrent,tantum etiam fiſco pœnæ nomine cogerentur exſoluere.Id generaliter in omnibus cōductoribus vel poſſeſſoribus qui in eadem ſuperſtitione crediderint perdurandum, conſtituerunt obſeruari: iudicibus etiam qui huic rei inſtantiſſime non imminebant, pœna proſcriptionis & ſanguinis ſupplicium poneretur. Sed & de primatibus officiorum tres numero punirentur, aliis xx.librarum auri condemnatione multandis. Quare his neceſſe eſt conſtitutionibus obligari omouſianos omnes,quos huiuſmodi mali perſuaſionis conſtat tenuiſſe & tenere materiam. Quos ab hominibus ſupradictis abſtinere decernimus,in proſecutione véturis per ordines cunctarum vrbium. Sed etiam iudices qui ſuperioribus neglectis, dira ſupplicia diuerſis non intuliſſe monſtrantur,omnes ſupradictæ fidei omouſiou erroribus implicatos, quæ cuncto prædamnata eſt concilio tantorum numero ſacerdotum,vniuerſis rebus predictis & contractibus precipimus abſtineri,quod nihil ſibi nouerint eſſe permiſſum,ſed vniuerſos ſimilis pœna maneat & aſtringat, ſi ad veram religionem

quam veneramur & colimus, intra diem Kalendarum Iuniarum anni octaui regni nostri conuersi nõ fuerint. Diem autem præstitutum idem pietas nostra constituit, vt prædamnatis errorũ indulgentia non negetur, & obstinatos animos supplicia digna coerceant. Qui autem in eodem errore permanserint, seu domus nostræ occupati militia, seu forsitan diuersis titulis necessitatibúsque prępositi, pro gradibus suis dictarum superius multarum illationes cogantur excipere, nihil valituris quæ forsitan per surreptionem quemquam talium contigit promereri. In priuatos etiam vel cuiuscunque gradus & loci personas, hoc nostra promulgatio pręcepit obseruandum, quod circa tales supradictis legibus videbatur expressum, vt pœnæ congruæ subderetur. Iudices autem prouinciarum quod statutum est negligentes exequi, superiori pœna quæ talibus est pręscripta constituimus obligandos. Veris autem maiestatis diuinæ cultoribus, id est sacerdotibus nostris Ecclesias vniuersas, vel totius cleri nominis supradicti quibuscunque terris & regionibus constitutas, quæ propitia diuinitate imperij nostri regimine possidentur, vnà cum rebus quę ad easdem pertinent, hoc decreto statuimus debere proficere, non dubitantes plus alimoniæ inopum proficere, quod sacrosanctis põtificibus iuste collatum est. Hanc ergo legem fonte iustitiæ profluentem, cunctis præcipimus innotescere, quatinus nullus sibi ignotum esse

quod præceptum est possit obtendere. Optamus vos bene valere. Data sub die VI. Kalend. Mart. Carthagine.

POst hæc edicta feralia veneno toxicato transuersa, iubet cunctos episcopos qui Carthagine fuerant congregati, quorum iam Ecclesias domos & substantiam ceperat, in hospitiis quibus erant expoliari, & expoliatos foras muros propelli, non animal, non seruus, non mutanda quę ferebant vestimenta penitus dimittuntur, addens adhuc, vt nullus quempiam illorum hospitio reciperet, aut alimoniam præstaret. Qui autem hoc miserationis causa facere tentasset, cum vniuersa domo sua incendio cremaretur. Sapienter tunc etiam proiecti episcopi fecerũt, vt licet mendicantes exinde nõn abirent, quia si recederent, non tantum violenter omnino reuocarentur, sed & mentirentur eos sicut mentiti sunt fugisse conflictum, maxime quia vbi reuerterẽtur, iam nequaquam fuerat Ecclesiis substantia, vel domibus occupatis. Dum ergo gementes in circuitu murorum nudo sub aëre iacerent: factum est vt rex impius ad piscinas exisset. Cui vniuersi occurrere maluerunt dicentes: Vt quid taliter affligimur? pro quibus malis forte commissis ista perpetimur? Si ad disputationẽ congregati sumus, quare expoliati? quare traducimur? quare differimur? & sine Ecclesiis & domibus nostris foras ciuitatem fame & nuditate laborãtes, mediis stercoribus volutamur? Quos

ille toruis oculis aspiciens, priusquam suggestio- stionem eorum audisset, iussit super eos cum ses- soribus equos dimitti, vt tali violentia possent non solum conteri, verumetiam necari. Quorũ tunc multi contriti sunt, & præcipue senes & infirmi. Tunc deinde iubentur ad quendam locũ qui dicitur ædes Memoriæ illi viri dei occurre- re, fraudem sibi nescientes aptatam. Vbi cum ve nissent, charta eis ostenditur inuoluta, diciturq; illis ista subtilitate serpẽtis. Dominus noster rex Hunnerichus, licet doleat quod fueritis contẽ- ptores, & adhuc eius voluntati obedire tardetis vt eius efficiamini religionis cuius est ipse, nunc tamen bonum de vobis cogitauit. Si iuraueritis ita, vt quod ista charta continet faciatis, dimittit vos Ecclesiis & domibus vestris. Ad quod vni- uersi episcopi responderunt: Semper dicimus & diximus, & dicturi sumus: Christiani sumus, epi- scopi sumus, apostolicam fidem vnam & veram tenemus. Factoque post confessionem fidei silẽ- tio modico, illi qui à rege fuerant destinati, fe- stinabant extorquere episcopis sacramentum. Tunc beati viri Hortulanus & Florentinianus episcopi, pro omnibus & cum omnibus dixerũt: Nunquid animalia nos irrationabilia sumus, vt nescientes quid charta contineat, facile aut te- mere iuremus? Accelerauerunt quoque illi à ré- ge destinati scripturę eis propalare tenorem, qui huiusmodi sermonibus fuerat coloratus. Sic enim calumniosa series cõtinebat. Iurate si post

obitum domini nostri regis, eius filium Hildericum desideratis esse regem: vel si nullus vestrum ad regiones transmarinas epistolas diriget: quia si sacramentum huius rei dederitis, restituet vos Ecclesiis vestris. Cogitauit tunc multorum pia simplicitas, etiam contra prohibitionem diuinam sacramentum dare, ne dei populus in posterum diceret, quod vitio sacerdotum qui iurare noluerunt, non fuerint Ecclesiæ restitutæ. Alij quoque astutiores episcopi sentientes dolum fraudis, nequaquam iurare voluerunt, dicentes prohibitum fuisse euangelica autoritate, ipso domino dicente: Non iurabis in toto. Quibus ministri regis, secedant in parte, inquiūt, qui iurare disponunt. Qui cum secederent, notariis scribentibus quis quid diceret, & ex qua ciuitate fuisset exceptum est. Similiter factum est & de illis qui minime iurauerunt. Statimque pars vtraque custodiæ mancipatur. Post vero fraus quæ celabatur apparuit. Iurantibus dictum est: Quare contra præceptum euangelij iurare voluistis? Iussit rex vt ciuitates atque Ecclesias vestras nunquam videatis, sed relegati, colonatus iure ad excolendum agros accipiatis: ita tamen vt non psallatis neque oretis, aut ad legendum codicem in manibus gestetis. Non baptizetis, neque ordinetis, aut aliquem reconciliare præsumatis. Similiter non iurantibus ait: Quia regnū filij domini nostri non optatis, idcirco iurare noluistis. Ob quam causam iussi estis in Corsica-

nam insulam relegari, vt ligna profutura nauibus dominicis incidatis. Addidit itaq; bestia illa, sanguinem sitiens innocētum, episcopis necdum adhuc in exilium directis, per vniuersas Africanæ terræ prouincias, vno tempore tortores crudelissimos destinari: vt nulla remansisset domus & locus, vbi non fuisset eiulatus & luctus, vt nulli ętati, nulli parceretur sexui, nisi illis qui eorum succumberent voluntati. Hos fustibus, illos suspendio, alios ignibus concremabāt. Mulieres & pręcipue nobiles contra iura naturæ nudas omnino in facie publica cruciabant. Ex quibus vnam nostrá Dionysiam, cursim ac breuiter nominabo. Cum viderent eam non solum audacem, sed etiam matronis cæteris pulchriorem, ipsam primo nisi sunt fustibus expoliatam aptare. Quæ cum peteret, diceretque de domino suo secura, qualiter libet cruciate, verecunda tamen membra nolite nudare: Amplius illi magis furientes, celsiori loco vestimentis exutam consistūt, spectaculum eam omnibus facientes. Quæ inter ictus virgarum dum riuuli sanguinis toto iam corpore fluitarent, libera voce dicebat. Ministri diaboli, quod ad opprobrium meum facere computatis, ipsa est laus mea. Et quia erat scripturarum diuinarum scientia plena, artata pœnis, & ipsa iam martyr, alios ad martyrium cōfortabat. Quæ suo sancto exemplo vniuersam suam patriam liberauit. Quæ cum suum vnicum filium admodum adhuc teneræ ætatis & deli-

catum, timore pœnarum formidolosum conspiceret, verberans eum nutibus oculorum, & increpans autoritate materna ita confortauit, vt matre multo fortior redderetur. Cui inter crudelia verbera constituto, ita dicebat: Memento fili mi, quia in nomine trinitatis in matre catholica baptizati sumus, non perdamus indumentum nostræ salutis, ne veniens inuitator, vestem non inueniat nuptialem, & dicat ministris: Mittite in tenebras exteriores, vbi erit fletus oculorum, & stridor dentium. Illa pœna timenda est quæ nunquam finitur. Illa desiderãda vita, quæ semper habetur. Talibus itaque filium solidans verbis, velocitet martyrem fecit. Venerabilis vero adolescens Maioricus nomine, in certamine confessionis spiritum reddens, cursum palmiferum consummauit. Amplexansque illam hostiam suam, quantis potuit vocibus domino gratias agens, ad gaudium spei futuræ in sua domo maluit sepelire, vt quotiens super sepulchrum eius trinitati preces effundit, alienam se à filio nunquam esse confidat. Quanti igitur per eam in illa ciuitate vt fati sumus, acquisiti sunt deo, longum est enarrare. Nam & eius germana nomine Datiua, atque Leontia filia sancti Germani episcopi, cognatusq; Datiuæ venerabilis Emelius medicus, religiosus quoque Tertius trinitatis confessione præclatus, vel Sibidensis Bonifacius quanta pertulerint, qualibúsque cruciatibus euisceratæ vel euiscerati sint, qui valet ex

ordine dicat. Serui quoque Tuburbitanæ ciuitatis maioris generoſus & nobilis vir pro Chriſto quas pertulit quis explicet pœnas? Qui poſt cædes innumerabilium fuſtium, trocleis frequẽtibus eleuatus, dum tota præ vrbe penderet, nũc in ſublime ſe tollente ictu celeri, dimiſſis iterum cannabinis, ſuper ſilices platearum pondere corporis veniens, vt lapis ſuper lapides corruebat. Sed & ſæpius tractum, & lapidibus acutiſſimis defricatum, & cutibus ſeparatis, pelles corporis lateribus dorſoque videres & ventre pendere. Iſte iam temporibus Geiſerici non valde diſſimilia pertulerat, ne amici cuiuſdam ſui ſecreta nudaret: quanto magis nunc vt ſuæ fidei ſacramenta muniret? Et ſi hominis gratiæ fideliter exhibuit fidem, quantum debet illi, qui redditurus eſt pro fide mercedem? In ciuitate vero Culuſitana non valeo quæ geſta ſunt nuntiare, quia & ipſam quantitatem martyrum vel etiam confeſſorum impoſſibile eſt homini ſupputare. Vbi quædam matrona auctrix ſui nominis Victoria, dum in conſpectu vulgi continuato ſuſpendio cremaretur, à marito iam perdito filiis præſentibus taliter rogabatur: Quid pateris coniunx? Si me deſpicis, vel horum quos genuiſti miſerere impia paruulorum. Quare obliuiſceris vteri tui, & pro nihilo ducis quos cum gemitu peperiſti? Vbi ſunt fœdera coniugalis amoris? Vbi ſocietatis vincula quæ inter nos dudũ honeſtatis iure tabulæ conſcriptæ fecerunt? Reſpice quæſo

filios

filios ac maritum,& regiæ iuſſionis implere feſtina præceptum,vt & imminentia adhuc tormenta lucreris, ſimul & mihi doneris & liberis noſtris. Sed illa nec filiorum fletus, nec ſerpentis audiens blandimenta, affectum multo altius eleuans à terra, mundũ cum ſuis deſideriis contemnebat. Quam cũ iam continuatione ſuſpendij vulſis humeris,etiam qui cruciabant conſpicerẽt mortuam,depoſuerunt prorſus omni parte exanimem. Quæ poſtea retulit quandam ſibi virginem aſtitiſſe,atque tetigiſſe membra ſingula,& ilico fuiſſe ſanatam. Qualiter autem Adrumentinæ ciuitatis ciuẽ Victorianum tunc proconſulem Carthaginis prædicem, neſcio deficientibus verbis. Quo in Africæ partibus nullus ditior fuit, qui etiã apud impium regem pro rebus ſemper ſibi commiſſis fideliſſimus habebatur. Mandatur ei à rege familiariter diciturq;, quod eum habiturus eſſet præ omnibus, ſi eius præcepto facilem commodaſſet aſſenſum. Sed ille vir dei miſſis ad ſe tale dedit cũ fiducia magna reſponſum: Securus de deo & Chriſto domino meo,dico quæ regi dicatis. Subrigat ignibus,adigat beſtiis,excruciet generibus omnium tormentorum, ſi conſenſero, fruſtra ſum in eccleſia catholiqua baptizatus. Nam ſi hæc præſens vita ſola fuiſſet, & aliam quæ vere eſt non ſperaremus ęternam,nec ita feciſſem ad modicũ atque temporaliter gloriari,& ingratus exiſtere, qui ſuam fidẽ mihi contulit creditori. Ad quod

tyrannus excitatus, quantorũ temporũ, & quantis eum afflixerit pœnis, humanus sermo nõ poterit explicare. Qui tripudians in domino feliciterque consummans, martyrialem coronã accepit. Apud Tambaiensem quoque ciuitatem gesta, quis queat certamina martyrũ explicare? Vbi duo germani Aquisregiensis ciuitatis, sibi securi de domino inuicem iurauerunt, & rogauerunt tortores, vt vna pœna paríque supplicio torquerentur. Et dum primo suspendio molibus lapidum pedibus alligatis tota die penderent, vnus illorum petiuit sese deponi, & sibi inducias dari. Cui frater alius metuẽs ne fidẽ negaret, de suspẽdio clamabat: Noli noli frater, nõ ita iurauimus Christo. Accusabo te cũ ante thronũ eius terribilẽ venerimus: quia super corpus eius & sanguinẽ iurauimus, vt pro eo inuicẽ patiamur. Ista dicens & alia multa, confortauit germanum ad prælium passionis. Qui clamans ingenti voce dicebat: Adigite suppliciis quibus vultis, & pœnis Christianos artate crudelibus. Quód frater meus facturus est, hóc etiam ego. Quantis iam laminis ignitis adusti sunt, qualibus vngulis exarati, quibus cruciatibus torti, ipsa res docet, & quod eos ipsi tortores à sua facie proiecerũt dicentes: Istos imitatur vniuersus populus, vt nullus ad nostram religionem penitus conuertatur, & pręcipue quia nulli liuores, nulla pœnarum vestigia in eis penitus videbantur. In Typasensi vero quod gestum est Mauritaniæ maioris ciui-

tate, ad laudem dei insinuare festinemus. Dum suæ ciuitati Arianum episcopũ ex Notario Cyrillam ad perdendas animas ordinatũ vidissent: omnis simul ciuitas euectione nauali de proximo confugit, relictis paucissimis qui aditum nõ inuenerant nauigandi. Quos Arianorum episcopus primo blandimentis, postea minis compellere cœpit, vt eos faceret Arianos. Sed fortes in domino; non solũ suadentis insaniam irriserunt, verumetiam publice mysteria diuina in domo vna congregati celebrare cœperunt. Quod ille cognoscens, relationem occulte Carthaginẽ aduersus eos direxit. Quæ cum regi innotuisset, comitem quendam cum iracundia dirigens, pręcepit vt in medio foro congregata illuc omni prouincia, linguas eis & manus dextras radicitus abscidisset. Quod cum factum fuisset, spiritu sancto præstante, ita loquuti sunt & loquuntur, quomodo antea loquebantur. Sed si quis incredulus esse voluerit, pergat nunc Constantinopolim & ibi reperiet vnum de illis subdiaconem Reparatum, sermones politos sine vlla offensione loquentem. Ob quam causam venerabilis nimium in palatio Zenonis imperatoris habetur, & pręcipue regina mira eũ reuerẽtia veneratur. Sed quis cõgruo sermone possit exequi aut coaceruare diuersitates pœnarũ, quas ex iussu regis sui, etiam ipsi Vandali in suos homines exercuerunt? In ipsa quoq; quæ gesta sunt Carthagine, si nitatur scriptor singillatim astruere, etiam sine

ornatu ſermonis, nec ipſa nomina tormentorũ poterit edicere. Quę res hodiéque poſita in prõptu demonſtrat. Alios ſine manibus, alios ſine oculis, alios abſque pedibus, alios trũcos naribus auribúſque intendas, alióſque videas nimio ſuſpendio pilis euulſis, caput quod eminere ſolebat in medio ſcapularum fuiſſe demerſum, dum iugiter in altis ædibus ſuſpendio cruciantes, impulſione manuum funibus agitatis, per vacuum aerem huc atque illuc faciebant vagari pendentem. Qui nonnunquam diruptis funibus de illa altitudine ſuſpenſionis ictu valido corruentes, plurimi arcem cerebri cum oculis amiſerũt: alij confractis oſſibus ſpiritum continuo reddiderunt, alij poſt paulum exhalauerunt. Sed qui hoc fabuloſum putat, Vranium Zenonis legatum interroget, cuius præſentia præcipue geſta ſunt, illa ſcilicet cauſa, quia veniens Carthaginem, ſeſe pro defenſione eccleſiarum catholicarũ veniſſe iactabat. Et vt illi oſtéderet tyrannus neminem formidare, in illis plateis vel vicis plures tortores & crudeliores ſtatuit, in quibus legatis moris eſt aſcendendo ad palatium & deſcendendo tranſire ad opprobium videlicet reipublicæ ipſius, & in noſtri iam deficientis temporis fecem. Tunc igitur & quædã vxor cuiuſdã cellaritæ regis nomine Dagila, quę téporibus Geiſerici mul toties iã confeſſor extiterat, matrona nobilis ac delicata, flagellis & fuſtibus omnino debilitata, exilio arido & inuio relegatur, vbi nullus homi-

num forte consolationis gratia veniendi haberet accessum, relinquens cum gaudio domum, maritũ, simul & filios. Cui postea oblatum esse dicitur, vt in mitiorem heremũ translata, frueretur si vellet solatio sociorũ. Illa vero ingens sibi adesse credens gaudium, vbi nullus humanus esset cõsolantis affectus, ne fieret supplicauit. Tũc etiam Eugenio pastore iam in exilio constituto, vniuersus clerus ecclesiæ Carthaginis cæde inediáq; maceratur, ferè quingenti vel amplius. Inter quos quãplurimi erant lectoresinfantuli, qui gaudentes in domino, procul exilio crudeli traduntur. Sed libertatẽ tunc dum media vrbe crederentur, Murittæ diaconi, cæteris liberiorẽ tacere non debeo. Fuit quidã Elpidoforus nomine. nimiũ crudelis & ferus, cui fuerat delegatum mẽbra confessorum Christi suppliciis grassantibus laniare. Hic enim dudum fuerat apud nos in Ecclesia Fausti baptizatus, quem venerabilis Muritta diaconus de alueo fontis susceperat generatum. Post vero dũ apostataret, tantæ extitit feritatis aduersus ecclesiã dei, vt superior omnibus executor persecutionis fuisset inuentus. Quid multa? Dum primo presbyteri suppliciis macerandi ordine citarentur, post archidiaconũ Salutarem, artatur pœnis memoratus Muritta. Fuit enim secundusin officio ministrorum. Qui cum Elpidoforo sedente & fremente, honorabilis senior cœpisset extendi, priusquam exueretur, clam furtò nescientibus cunctis, illa quibus

eum suscipiens de fonte dudum texerat sabana baiulabat. Quibus ventilatis, simúlque in ostensione cunctorum extentis, in his verbis totam ad fletum & lachrymas commouisse dicitur ciuitatem. Hæc sunt linteamina Elpidofore minister erroris quæ te accusabunt, dum maiestas venerit iudicantis, custodiente diligentia mea ad testimonium tuę perditionis, ad demergendum te in abysso putei sulphurantis. Hęc te immaculatum cinxerant de fonte surgentem. Hæc te acrius persequentur, flammantem gehennam cũ cœperis possidere, quia induisti te maledictionem sicut vestimentum, scindens atque amittens veri baptismatis & fidei sacramentũ. Quid facturus es miser, cum serui patrisfamilias ad cœnam regiam congregare cœperint inuitatos? Tunc te aliquando vocatum, terribiliter indignatus exutum stolã rex conspiciet nuptialem, dicétque tibi: Amice, quomodo huc venisti vestem non habens nuptialem? Non video quod contuli, non nosco quod dedi. Perdidisti militię chlamydem, quã in tela virgineorũ mẽbrorum decem mensibus texi, & tendiculas crucis quas extendens aquam mundaui, & purpura mei sanguinis decoraui, non conspiciunt oculi mei: caracterem non video trinitatis, talis interesse non poterit epulis meis, ligate eum pedibus & manibus funiculis suis, quia se ipse voluntarie separare voluit à catholicis dudum fratribus suis. Ipse funes extendit continuatos in laqueum,

quibus & ſemetipſum vinxit,& aliosne ad iſtud venirent conuiuium impediuit. Iuxta ſemitam multis ſcandalum poſuit, quem nũc cum rubore perpetuo,& dedecore ſempiterno de conuiuio meo proieci. Hæc & alia Muritta dicente: igne conſciẽtiæ ante ignem æternum obmuteſcens Elpidoforus torrebatur. Parantes itaque vniuerſi dorſa ſua verberibus, alacres ad exilium pergunt. Quibus adhuc in itinere longioris viæ conſtitutis, deſtinantur epiſcopis Arrianorum ſuggerentibus homines immiſericordes ac violenti, vt illud quod eis forte miſeratio Chriſtiana victui contulerat profuturum, crudeliter auferretur, quando vnus quiſque eorum libentius forte cantabat: nudus exiui de vtero matris meę, nudum me oportet ad exilium pergere, quia dominus nouit eſurientibus cibum porrigere,& in deſerto veſtire. Vandali nanque duo ſub Geiſericho ſæpius confeſſores, comitante matre contemptis omnibus diuitiis ſuis, cum eiſdem clericis ad exilium perrexerunt, De multitudine autem pergentium confeſſorum, id eſt, eccleſiis Carthaginis clericorum, ſuggerente quodam ex lectore Teuchatio perdito, quos ille nouerat vocales, ſtrenuos atq; aptos modulis cãtilenæ, deſignatione ſua debere dicit duodecĩ infantulos ſeparari, quos ipſe dum catholicus eſſet tũc diſcipulos habuit. Statim illo ſuggerente, ſub feſtinatione vito dimittũtur, & vi barbarici furoris bis ſenus numer⁹ puerorũ de itinere reuocatur.

Segregantur corpore nō ſpiritu à grege ſanćto-
rum. Qui timentes præcipitium, cum ſuſpiriis
lachrymarū ne diuellerentur coſtringebant ma-
nibus genua ſociorum. Quos violentia tamen
hæretica minacibus ſeparans gladiis, Carthagini
reuocauit. Sed cum eis quaſi cum tali ætate non
blanditiis ageretur, ſuperiores ſuis inuenti ſunt
annis, & ne obdormirent in morte lucernam ſi-
bi euangelici luminis accenderunt. Indignantur
ob hoc grauiter Ariani, & ſe ſuperatos à pueris
erubeſcunt. Vnde accenſi ſubdi fuſtibus iubent,
quos iam ante pauciſſimos dies variis verberi-
bus diſſipauerant. Imprimuntur vulneribus vul-
nera, & rurſum pœna reſtaurata crudeſcit. Fa-
ćtum eſt domino confortante, vt nec ætas mi-
nor deficeret in dolore, & magis animus creſce-
ret roboratus in fide. Quos nunc Carthago mi-
ro colit affećtu, & quaſi duodecim apoſtolorū,
chorum conſpicit puerorum. Vnà degunt, ſimul
veſcuntur, pariter pſallunt, ſimul in domino glo
riantur. Illis diebus & duo negociatores Fru-
mentius & alius Frumentius & eiuſdem vrbis,
egregio martyrio coronati ſunt. Tūc & ſeptem
fratres nō natura ſed gratia, ſimul in monaſterio
commanentes, confeſſionis certamine expleto,
immarceſſibilem peruenerunt ad coronam, id
eſt, Liberatus abbas, Bonifacius diaconus, Seruus
ſubdiaconus, Ruſticus ſubdiaconus, Rogatus
monachus, Septimus monachus, & Maximus
monachus. Nam illo tempore crudelius Aria-

norum episcopi, presbyteri & clerici, quam reges & Vandali sæuiebant. Nam ad persequendum ipsi cum suis clericis vbique gladiis accincti currebãt: sicut quidam episcopus inter illos cæteris crudelior Antonius nomine, qui tam nefaria & incredibilia in nostros exercuit, vt narrari non queant. Fuit iste in quadam ciuitate proxima eremo, quæ Tripolitanæ prouinciæ vicinatur. Qui vt bestia insatiabilis, catholicorum sitiens sanguinem, huc illúcque ad rapiendum fugientes excurrebat. Nam impius Hunnericus sciens Antonij ferocitatem, in ipsis heremi partibus voluit sanctum Eugenium relegare. Quē dum custodiendum Antonius accepisset, ita eum artiori custodia cinxit, vt nullum ad eum introire permitteret: insuper variis insidiarum atque pœnarum suppliciis extinguere cogitauit. Sed Eugenius sanctus dum nostræ persecutionis defleret incommoda, & asperitate cilicij senile attereret corpus, nudámque super humum cubitans, stratum sacci sui rigaret imbribus lachrymarum, aliquando sensit infestum paralysis morbũ, Quo nuntio in gaudia conuersus Arianus, pergit festinus ad cubile eximij hominis dei. Et cum videret vrgente passione verum pontificem balbutientia verba producere, cogitauit simul extinguere, quem superesse nolebat. Præcepit vt acetum asperum nimísque acerrimum quæreretur. Cui cum fuisset allatum, venerabilis senis recusantibus & nolentibus faucibus ingerebat. Nam si communis dominus qui

ad hoc venerat vt potaret, cum gustasset noluit bibere, quanto magis iste seruus & confessor fidelis omnino nollet, nisi hæretica feritas ingessisset? Ex quo aceto præsertim ille passionis noxiæ morbus, accipit augmentũ. Cui pietas Christi misericorditer subueniens, postea sanum exhibuit. Alio autem nostro episcopo Habetdeũ similiter relegato, Tamallumẽsis ciuitatis in qua Antonius, fuerat, quantum potuerat infestari res ipsa demõstrat. Nam cum diuersis eum persecutionibus affligeret, nec posset eum facere Arrianum, viderétque Christi militem semper in confessione constantem, promiserat suis dicens: Nisi eum nostræ fecero religionis, non sit Antonius. At vbi in sua promissione minor inuentus est, suggerente sibi diabolo cogitat aliud. Pedibus manibúsque ligatis, vinculis ingentibus artat episcopum, oréque obturato ne lingua clamaret, aquam corpori vt putabat rebaptizationis spargit: quasi valeret conscientiam ligare cũ corpore, aut non adesset qui audit gemitus compeditorum, & cordis secreta rimatur, vel superare posset aqua mendax, tantæ voluntatis propositũ, quod iam homo dei metantibus lachrymis miserat legatum in cœlum. Exuit statim virum vinculis, & tali quasi gaudens prosequitur voce. Ecce iam frater Habetdeum noster Christian⁹ effect⁹ es, Quid vltra facere poteris, nisi vt volũtati consentias regis? Cui Habetdeum. Illa est impie Antoni mortis dãnatio, vbi voluntatis tene-

tur assensio. Ego fidei meæ tenax, vocibus cõfitens crebris quod credo & credidi, clamãdo defendi. Sed & postea quàm catenis vinxisti, & oris ianuam oppilasti in prętorio cordis violẽtiæ meæ scribentibus angelis gesta confeci, & lectitanda imperatori meo transmisi. Erat quidẽ generalis ista violentia tyrannorum. Nam Vandali pro hac re vbique fuerant destinati, vt transeuntes itinera sacerdotibus suis adducerent iugulandos. Ac vbi eos fallacis aquæ gladio peremissẽt, indiciũ eis perditionis scriptura teste tradebãt, ne alibi sua violentia traherentur, quia nõ licębat siue priuatis, siue negociatoribus alicubi trãsire, nisi scriptam caracteris indicio, suam miseri ostenderent mortem. Quam per reuelationem seruo suo Ioanni olim ostenderat Christus, vbi dicit: nulli licebit aliquid emere vel vendere, nisi qui habuerit caracterem bestiæ in fronte sua, & in manu sua. Nam & episcopi atque presbyteri illorũ cum armatorum manu nocturnis tẽporibus vicos & oppida circuibant, & sic despicatibus ianuarum aquam gladiumque gestãtes, animarum prædones intrabãt: & quos domi repererant, alios forte in lectulis soporatos imbre igneo atque fulmineo respergentes, dæmonica vociferatione christianos suos ipsi pariter vocitabãt, vt ludũ prorsus suæ hæreseos, quàm aliquã religionẽ ostẽderẽt. In quo minus capaces & ignaui, impletum in se pollutionis sacrilegium: putabãt prudẽtiores vero nihil sibi ꝙ nolẽtibus

atque dormientibus ingeſtum eſt, obeſſe gaudebant. Nã & multi eadem hora cinerem capitibus ſuis iniecerunt, alij ſeſe vel quia factum eſt cilicio lugubri texerunt, nonnulli cœno fœtido linierunt, & linteamina violenter impoſita per fila conſciderunt, atque in latrinis fœtidiſque locis manu fidei proiecerunt. Tali violentia nobis videntibus, ibi Carthagine filius cuiuſdam nobilis annorum circiter ſeptem, iuſſu Cyrillæ à parentibus ſeparatus eſt, matre ſine verecundia matronali ſolutis crinibus poſt raptores tota vrbe currente, infantulo clamante vt poterat: Chriſtianus ſum, Chriſtianus ſum, Chriſtianus ſum. Cui & os obturantes, inſontem infantiã in ſuũ gurgitem demerſerunt, Ita de filiis medici venerabilis Liberati, factum eſſe probatur. Nam cum iuſſu regis cum vxore & liberis ad exilium mitti iuberetur, cogitauit impietas Arriana à parentibus filios paruulos ſeparare, quo poſſet per pietatis affectum, etiam virtutem proſternere genitorum. Diſiunguntur tenera pignora filiorum. Qui cum vellet lachrymas emittere, autoritate vxoria increpatur, & in ipſo meatu exitus ſui ilico lachrymæ ſiccauerunt. Ait enim ei coniunx: En propter filios Liberate perditurus es animã tuam? Computa eos nõ fuiſſe natos. Nam & ipſos omnino vindicaturus eſt Chriſtus. Nõnne vides eos clamantes & dicentes, Chriſtiani ſumus? Sed hæc mulier quid in conſpectu iudicũ egerit, tacendum non eſt. Nã cũ ipſa & maritus li-

cet seorsum, carceris tamẽ custodia tenerentur, ita vt se penitus non viderent: mandatur mulieri, dicitúrque illi: Solue iam duritiam tuam. Ecce vir tuus paruit imperio regis, & noster factus est Christianus. Aitque illa: Videam illum, & faciam ego quod voluerit deus. Educta igitur de carcere, inuenit virum suum stantem cum ingẽti multitudine pro tribunalibus connexum: & verum estimans quod fecerant inimici, iniecta manu apprehendens oram vestimentorum eius gutturi proximam, videntibus omnibus suffocabat eum dicens: Perdite & reprobe, gratiæ dei & misericordiæ eius indigne quare voluisti ad modicum gloriari, & in æternum perire? Quid tibi proderit aurum? quid argentum? nunquid liberabunt te de camino gehennæ? Dixit & alia multa. Cuius maritus respõdit: Quid pateris mulier: quid tibi videtur? aut quid forte de me audire potuisti? Ego in nomine Christi catholicus permaneo, nec amittere potero aliquãdo quod teneo. Tunc hęretici mendacij sui conscij & detecti, fallaciam suã colorare minime potuerunt. Et quia superius de violentia immanitatis eorũ breuiter diximus, hanc plurimi metuentes, alij se in speluncis, alij in desertis locis viri vel fœminæ nullo sibi conscio sese claudebant, & ibidem nulla succurrente sustentatione ciborum, fame vel frigore victi, contritũ & contribulatũ spiritũ exhalabãt inter hæc afflictionis incõmoda inuiolatæ secũ fidei securitatẽ portantes. Sic

enim Cresconius presbyter Myzétinę ciuitatis, in spelunca Ziquensis montis repertus est, putrescente iam solutus cadauere. Et quia de sancto Habetdum præfati iam sumus, pergit tunc ad Carthaginem, adire censuit nefarium regem, vt conscientiam suam quam semper familiarem trinitas habuit & amicam, etiam hominibus faceret manifestam. Nec eum retinere potuit Antonius, propter verecundiá suam. Offert impiissimo regi libellum in hac similitudine verborũ. Quid quæso iam cum proiectis habetis? quid cum eis quos exilio relegastis quotidie dimicatis? Abstulistis substantiam ecclesiis, patria domibúsque priuatis, sola anima remansit, quam captiuare contenditis. O tempora, ô mores, vniuersos hæc mundus intelligit, & ipse qui persequitur videt. Si fides dicitur quam tenetis, quid veræ fidei membra tantis persecutionibus agitatis? Quid vobis cum exilio nostro? quid vobis cum egenis in seculo, quorum est vita semper in Christo? Liceat saltem gaudere consortio bestiarum, eis quos abiecistis à facie omnium populorum. Dum hæc & his similia põtifex dixisset, sceleratus tyrannus, hoc ei mandasse perhibetur. Vade ad episcopos nostros, & quod tibi dixerint sequere, quia ipsi huius rei habere noscuntur per omnia potestaté. Sed neque Antonium hæc res ab insania potuit reuocare, sciés se magis imperio regis ob hoc multũ posse placere, Habetdum vere episcopum gaudenté bo-

no conſcientiæ ſuæ, ad locum exilij maluit remeare. Ea tẽpeſtate facta eſt incredibilis fames, & cœpit Africam totam vna depopulatione vaſtare. Nullus tũc adfuit imber, nulla prorſus gutta de cœlo profluxit. Nec fruſtra, ſed vero & iuſto iudicio dei, vt vbi perſequẽtibus cœnoſi gurgitis aqua ignis & ſulphuris bulliebat, indulgentiæ cœleſtis quæ ſemper affluenter aderat pluuia negaretur. Lurida remãſerat terræ facies omnis; non vitis tegebatur æſtate pampineis opacata virgultis, non ſata reſperſa vultus ceſpitum viridabant, non olea ſemper viridis foliiſque repleta iucundis, decoris ſui conſuetum tegmen habebat, non pomorum virgulta maritante tellure gemmas produxerant florum, poſtea fructus vt aſſolent editura. Triſtia fuere tetráque omnia, vt par peſtilentiæ clades Africam confunderet omnem. Non hominibus, nõ iumentis germinãtes herbas ediderat tellus, omnino virores arue rãt. Dudum currentium impetu præcipiti aluei fluminum, fontiúmque criſpantes perennitate ſubtracta pariter ſiccauerant venæ. Oues & boues vniuerſi, inſuper & pecora campi, ſimulque beſtiæ ſyluarum, inedia conſumente nuſquam penitus viſebantur. Et vbi forte graminoſus ceſpes humida tũc in valle locat⁹; pallentẽ potius quã virentẽ naſcẽtis fœni cœperat proferre colorẽ; illico vrens & igneus flatus aderat totũ torrẽdo deſiccans, quia puluerea tempeſtas arido ſubere decoquẽs cũcta omnẽ nebulauerat locũ. Nullũ

geſtum eſt tempore illo commercium : nullum ceſpitem terræ iuuencis trahentibus ſcindens vertit aratrum,quia nec boues ſuberant, nec caſtra omnino remanſerant. Sed & ruſticorũ manus alia interierat, & ſubinde quæ forte ſupererat iam ſepulturam quærebat. Et quia vrgente famis incommodo neque commercia,vt fati ſumus cõſuetudini,neque cultura reddebatur debita terris,iuuenum,ſenum, adoleſcentium , atque aduleſcentularum,puerorum,vel etiã puellarum , agmina ſimul & funera, vbi potuerant, quomodo poterant paſſim diffundebantur circũeuntes oppida,vicos,vel ſingulas vrbes.Conuerſi enim in arcum peruerſum,atque irritantes deum ad aquam cõtradictionis, famem patiebãtur vt canes , non vt comederent panem,ſed vt infenſam ſentirent quam negauerãt trinitatem. Alij diffuſi per campos,alij ſyluarum ſecreta petebant,antiquas radices herbarum , vel quiſquilias alias requirentes.Nonnulli cum domo nite rentur egredi,ipſo limine corruentes , cateruatim fame debellante cadebant. Stratæ vero vel ſemitæ cadaueribus repletæ, exhalãtium fœtore mortuorum , gradientes viuos omni ex parte necabant.Nec deerant quotidie vbique expiran tium funera,& non fuerat victus,quæ miseratio nis impẽderet ſepulturam. Neque enim ſufficie bant ad ſepeliendum viui fame dominante , & ipſi poſt paululum morituri.Cupiebant ſinguli libertatem ſuam filiorũmque ſuorum perpetuæ

ſerui-

seruituti redigere,& non poterãt inuenire. Mõtes & colles, plateæ ciuitatum, viæ vel semitæ vnum omnibus fecerant vbique sepulchrũ, quibus inedia depascens denegauerat victũ. Vandali autẽ ipsi quos & postea frequẽtia multarũ ꝓuinciarum spolia & retẽtio Africæ primo fecerant diuites, maiore magis inopia torquebãtur. Et quanto sibi videbantur seruorum aggestione superbi, tanto amplius deficiebant fame torquẽte defecti. Nullus filiũ, nullꝰ coniugẽ, nullus proprium tenuit seruum, sed exiens vnusquisq; non vbi voluit sed valuit, aut statim defecit, aut nũquam omnino rediuit. Vrgebatur infelix multitudo, ad ipsam se vrbẽ Carthaginem cõgregare. Et dũ illuc cateruatim adhuc animata cadauera confluerent, vbi rex inferendarum mortium vidit strages, pelli vrbe omnes ilico iubet, ne contagio deficientium, cõmune pararet etiam exercitui eius sepulchrũ. Suis ergo prouinciis & domibus singulos imperat reuocari, sed nec erat qui reuerteretur, dum vtique sepulturã suam in vultu portaret. Et idcirco forte maior rebaptizatorũ perditio potuit prouenire, quia dũ promittitur ab Arrianis pręsentis trãsactio vitę, nec illud obuenit, & mors sequens prima, secundam præuenit. In tantum sibi deuastans vindicauit fames dominium. vt loca nõnulla & admodum populosa habitatoribus extinctis, alto nunc silẽtio parietibus solis extantibus conquiescant. Sed quid ego iamiã immoror in hoc, quod expli

care non queo? Nam si nunc superessent, vel eis fari de talibus rebus licuisset, & Tulianę eloquē tiæ fluuius siccaretur, & Salustius elinguis omni modis remaneret. Et vt alienos indignos rei tantæ prætereā, si Cæsariensis surgeret Eusebius ad hoc opus idoneus, aut eius translator græcæ facūdiæ, latinísque floribus Ruffinus ornatus. Et quid multa? non Ambrosius, non Hieronymus, nec ipse noster sufficeret Augustin⁹. Audite hæc omnes, aurib⁹ percipite omnes qui habitatis orbem, quíque terrigenæ & filij hominū simul in vnum diues & pauper. Nōnulli qui barbaros diligitis, & eos in condemnationem vestram aliquando laudatis, discutite nomen, & intelligite mores. Nunquid alio proprio nomine vocitari poterant, nisi vt barbari dicerentur, ferocitatis vtique crudelitatis & terroris vocabulum possidentes? Quos quantiscunque muneribus foueris, quantiscunque delinieris obsequiis, illi aliud nesciunt nisi inuidere Romanis, & quantum ad eorum attinet voluntatē, semper cupiunt splendorem & genus Romani nominis nebulare, nec vllum Romanorum omnino desiderāt viuere. Et vbi adhuc noscuntur parcere subiectis, ad vtendum seruitiis illorum, nam nullum dilexerūt aliquādo Romanū. Si disputare nitebatur de fide nobiscū barbara ferocitas & hęresis Ariana, ratio nabiliter disputaret. Sed quādo tenuit rationē, quæ à patre deo deū filiū separat saluatorē? Quare dolis & calumniis egerūt, & velut spirit⁹ tēpe

ſtatis procella ſui furoris totũ ſubuertere voluerunt? Si diſputatio neceſſaria fuerat epiſcopalis, quare ſuſpẽdia, quare ignes, quare vngulæ, ſimul & cruces? quare Arianorum ſerpentina proles, contra innocentes genera talia tormentorũ inuenit, qualia nec ipſe Mezentius exquiſiuit? Dimicauit contra innocentiã cupiditas furoris, & auaritia crudelitatis, vt& animas pderet, & ſubſtantiam harpagaret. Si collatio deſiderabatur, quare rapinæ rerum alienarum, non tantum ſacerdotum, verumetiam omnium laicorum? Sed illi expoliati lætati ſunt, & rapinam rerum ſuarũ cũ gaudio ſuſceperunt. Aſſit iam quæſo omnis ætas, oĩs ſex⁹, omniſq; cõditio. Aſſit obſecro omnis turba catholici nominis, quæ gremio materno toto orbe geſtatur, quæ ſola germanum commodare nouit affectum, quæ didicit à Paulo magiſtro, & gaudentibus collætari, & cum lugentibus lamentare. Conueniant ſimul ad domũ noſtri doloris, & paribus oculis fundamus flumina lachrymarum, quia cauſæ & fidei noſtræ vnum eſt negotium. Nullum volo ad condolendum mecum hæreticum conuenire, qui forte addere concupiſcit ſuper dolorem vulnerum meorum, & gratulatur quotidie malis meis. Nolo nolo ego extraneum, ſed fraternum quæro affectum. Nolo aliquem filiorum alienorum, quorum os locutum eſt vanitatem, & dextera eorum dextera iniquitatis: quia filij alieni ſemper mentiti ſunt mihi, qui inueterauerunt &

claudicauerũt à semitis suis. Isti dicũt mihi quotidie: Vbi est deus tuus dum affligitur populus precioso agni sanguine comparatus. Inter quorum opprobria ego ad flagella paratus, cantare non desisto domino flagellãti: Amoue à me flagella tua, quia defeci nõ à fortitudine man⁹ tuæ, sed à persecutione hæresis Arrianæ. Adueniant omnes qui mecum angustæ viæ carpunt iter, & propter verba labiorum dei vias custodiunt duras, & videãt si est dolor sicut dolor meus. Quoniã vindemiata sũ in die furoris domini, aperuerũt super me os suũ omnes inimici mei, sibilauerũt & fremuerũt dentibus, dixerũt deuorauim⁹ eam. En ista est dies quam expectauimus, inuenimus, vidimus. Adestote angeli dei mei, qui nunquã deestis constituti in ministerio vestro, propter eos qui hæreditatem capessuri sunt æternæ salutis, & videte Africam totam dudum tantarũ ecclesiarum cuneis fultam, nũc ab omnibus desolatam, tantis ordinibus sacerdotum ornatam, modo sedentem viduam & abiectam. Sacerdotes eius & seniores in desertis locis & insulis defecerunt quærendo sibi escas ad manducandum, & non inueniunt. Considerate & videte, quia Sion ciuitas dei nostri facta est vilis, facta quasi polluta menstruis inter inimicos suos. Manum suam misit hostis ad omnia desiderabilia eius, quia vidit gentes inuadere & ingredi atria sua, de quibus præceperas ne introirent ecclesiam tuam. Viæ eius lugent, co

quod nemo veniat in die festo. Egressus est à facie eius omnis decor & deliciæ, didicerunt vias asperas ambulare, virgines & iuuenes ei⁹ in aulis educati monasteriorum, abierunt in captiuitaté Maurorũ, dum lapides sancti eius dispergũtur, non tantum in capitibus omnium platearũ, sed etiam in locis squalidis metallorum. Dicite deo nostro susceptori, & habentes fiduciam supplicandi quoniam tribulatur, & venter illius turbatus est à fletu eius, quia sedit inter gentes, & requiem non inuenit, nec est qui consoletur eá. Quæsiuit à patribus orientis qui simul cõtristaretur, & non fuit: consolantem, & non inuenit: dum manducaret in esca sua fel, & in siti sua potaretur aceto, sponsi & domini sui passiones imitando, qui idcirco passus est pro ea, vt sequatur vestigia eius. Deprecamini patriarchæ de quorũ stirpe generis nata est, quæ nunc laborat in terris. Orate sancti prophetæ, cognoscétes afflictá, quá antea vaticinante præconio cecinistis. Estote apostoli suffragatores eius, quam vt congregaretis, vniuersum orbem ascendente in vobis domino, vt equi velocissimi cursitastis. Præcipue tu Petre beate, quare siles pro ouibus & agnis, à cõmuni domino magna tibi cautela & sollicitudine commendatis? Tu sancte Paule gentium magister, qui ab Hierusalem vsque ad Illyricũ prædicasti euangelium dei, cognosce quid Vandali faciunt Ariani, & filij tui gemunt lugédo captiui. Vniuersiq; ingemiscite sancti simul pro no-

bis apoſtoli·Sed ſcimus quia indignum eſt vobis pro nobis orare,quia iſta quæ venerunt nobis non ad probationem quomodo ſanctis, ſed malis meritis ſupplicia debebantur. Sed & pro malis orate iam filiis, quia & Chriſtus orauit etiam pro inimicis Iudæis.Sufficiant caſtigationi quæ iuſtè illata ſunt nobis,& iam iamque delinquentibus venia poſtuletur.Dicatur angelo percutienti,ſufficit:iam cohibe manum tuam.Quis ignoret hęc nobis probrorum noſtrorum ſcelera,procuraſſe aberrantibus à mandatis dei,& in lege eius nolentibus ambulare?Sed proſtrati rogamus,vt non ſpernatis veſtros miſeros peccatores,per eum qui vos ad apoſtolicum culmen prouexit humiles piſcatores.Tenuit ſceleratiſſimus Hunnericus dominationem regni annis ſeptem,menſibus decem, meritorum ſuorũ mortem conſumans.Nam putrefactum & ebulliens vermibus,non corpus,ſed partes corporis eius videntur eſſe ſepultæ. Sed & ille legis dator & tranſuerſor ex Donatianorum hæreſi ad eos veniens quondam Nicaſius,in breui ſimili mortę periit.

FINIS.

PASSIO BEATISSIMORVM martyrum, qui apud carthaginem passi sunt, sub Imperio Regis Hunnerici VI. NON. IVLII.

PRædicaturus triumphos martyrũ beatorum, ad enarranda quę gesta sunt, auxilium exposco diuinum, vt qui illis præstitit superandi victoriam, mihi indigno & immerito quantulacunque verborum porrigat ornamenta. Tunc etenim valebo quę desiderata sunt indicare, si ipsi dignentur pro me misero, domino supplicare. Septimus namque agebatur annus crudelissimi atque impiissimi regis Hũnerici, & ecce antiquus hostis veternosus vtique anguis, trisulcæ linguæ venena vibrãs Chirila quodam Arriomanitarum episcopo ministro vsus est, subuertens & obtinens animũ regis cruenti, vt ita suaderet non posse eum pacatum atque longæuum obtinere regnum, nisi nomen perderet innocentum. Qui tamen dei iudicio post nõ multos dies turpissima morte præuentus, scatẽs vermibus expirauit. Insectari cœpit ore cruento omnem catholicorum multitudinem, quæ per totam prouinciam Africanam in modum sicut prædictum est Abrahæ patriarchæ arenæ maris fuerat multiplicata: vt eam rebaptizationis sauciaret machæra, atque stolam illam singularis & puri baptismatis, quam Christus vino carnis suę

purificans, prælo exprimens crucis fecerat dealbatam tetrę nigredinis turparet illuuie sordidulenta. Accipiens quoque tyrannus vt erat ducibilis & ferus serpentinam suggestionem, feralibus edictis vno tempore totã cœpit Africam commouere. Primo sacerdotũ & ministrorum copiosissimam & maximam turbam, in longinquis & extremis regionibus exilio crudeli detrusit. Quibus bis acutum genus frumenti, quod iumentis solis edere concessum est, nequaquam industria molari contritum, sed manente furfuris cortice loricatum, pro miseratione dare pręcepit. Post vero crescente impietatis insania, etiam hoc auferri crudelissimus imperauit. Post modicum quoque temporis, vniuersas simul ecclesias præiudicatis venerabilibus portis, cementis ingentibus claudi mandauit. Vniuersa nanque monasteria virorum vel puellarum sanctarum, gentibus, id est, Mauris cum habitatoribus donare præcepit. Vnus fuit omnibus eiulatus, vnus pro Christo moriendi integer & plenus affectus. Paria currebant flumina lachrymarum, quia permiserat dominus cibari eos pane lachrymarũ, & potari eos in lachrymis mẽsurarum, aut forsitan sine mensura. Et si reperta est exiens de arca inhians cadaueribus mortuis pars aliqua pereuntium coruorum, maior est tamen in nomine trinitatis numerus felicium columbarum. Quanti nobiles & optimi viri, ampli & lati cespitis domini, terram cum cœlo commu-

tauerunt, & ſimul corpus cum ſubſtantia tradiderunt: atque delicatæ & nobiliſſimæ fœminæ contra verecũdiam naturæ ſpectante vulgo virgis cæſæ, variisque tormentis cruciatæ, victricia trophæa portarunt. Quanti infantuli irridentes edicta feralia, ante mundũ contempſerunt, quã illecebroſam eius ſemitam introirent. Tunc apprehenſi ſunt & ſeptem fratres, quantum pertinet ad concordiam dominicæ ſeruitutis, in monaſterio habitantes in vnum: quia bonum eſt & iucundum, habitare fratres in vnum. Id eſt Bonifacius diaconus, Seruus ſubdiaconus, Ruſticus ſubdiaconus, Liberatus abbas, Rogatus monachus, Septimus monachus, & Maximus monachus, in numero ſcilicet Machabæorum germanorum. Quos vna mater eccleſia catholica genuerat, & per viſcera fontis æterni ſalubriter pepererat, de territorio Capſenſis ciuitatis, cui præfuit ſanctus Vindemialis ſacerdos egregius, & Chriſti fidelis antiſtes. Quibus attractis ad vrbé Carthaginenſem, primo eis illecebroſis blandimentis ſerpens voluit ſibilare, promittens honores caducos, & diuitias ingentium voluptatũ, necnon & regis amicitias, vel alia multa quæ ſolent inſipientium animas occupante diabolo, viſco mundiali captare. Sed hæc omnia milites dei ac ſi contagia reſpuerunt, clamãtes vno ore: Vnus dominus, vna fides, vnum baptiſma. Nec poterit in nobis adiuuãte domino iterari, quod in ſancto euangelio ſemel præceptum eſt dari:

quia qui ſemel lotus eſt, non habet neceſſe iterum lauari, quia mundus eſt totus. Facite quod vultis, inferte pœnas corporibus noſtris. Melius eſt temporalia ad modicum ſufferre ſupplicia, quàm æterna pendere & ſubire tormenta. Habete quę promittitis, cum ipſis diuitiis poſt paululum perituri. Nobis vero nullus de poſtibus frontium valebit euellere, quod in vno baptiſmate artifex trinitatis dignatus eſt titulare. Quid multa? Dum tali conſtantia diuinitus munirentur, iuſſi ſunt carcerali cuſtodiæ mácipari. Et ita crudelius onerati ferri ponderibus, tenebroſis deputati ſunt locis, vbi nulla miſeratio arrideret lenitatis. Sed populus ille memoratæ vrbis in domino ſemper fidelis, dato munere carcerariis, die ac nocte Chriſti martyres frequentabat, & ita ab eis doctrina & virtute fidei roborabatur, talia etiam ipſi pro Chriſti nomine plena delectatione perferre cuperẽt, & capulo perſequẽtis facilia ſupponerẽt colla. Hoc autem tyrannicas peruenit ad aures. Qui ebrietate furoris accẽſus, iubet eos adhuc inauditis ſuppliciis adigi, & maioribus vinculis onerari, nauímq; imperat lignorũ aridorũ manipulis adimpleri, atque in eadem omnibus alligatis in medio pelago igne ſub poſito concremari. Eductíſque illis de cuſtodia, multitudo populi dei, bellatores trinitatis quaſi agnos innocuos ad victimam deducebat, & rigentium pondera catenarum quaſi quædá monilia peruidebat, quia non fuerunt illa vincula,

ſed potius ornamenta. Incedebant itaque cum fiducia ad ſupplicium, quaſi ad epulas concurrentes, vna voce per ambitus platearum domino decantantes: Gloria in excelſis deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Votiua nobis hęc dies eſt, & omni feſtiuitate feſtiuior. Ecce nunc tẽpus acceptabile, ecce nunc dies ſalutis, quando pro fide dñi dei noſtri perferimus prępáratum ſupplicium, ne amittamus acquiſitę fidei indumentũ. Sed & populus publica voce clamabant: Ne timeatis ô populi dei, neq; formidetis minas atq; terrores prę ſentium tribulationum, ſed potius moriamur pro Chriſto, quomodo ipſe mortuus eſt pro nobis, redimens nos precio ſui ſanguinis ſalutaris. Vnũ tamen vehementi conatu qui inter eos infantul⁹ videbatur, nomine Maximũ, cupiebant autores malorũ à ſanctorum conſortio ſeparare dicentes: Infantule quid feſtinas ad mortẽ? dimitte eos, inſaniunt, & audi conſilium noſtrũ, vt poſſis inuenire vitæ remedium, & tanti regis adire Palatium. Tunc ille ætate quidem puerili, ſenili tamen maturitate clamabat: Nemo me ſeparat à ſancto patre meo Liberato abbate, & fratribus meis, qui me in monaſterio nutrierunt. Cum ipſis ſum in timore dei conuerſatus, cum ipſis deſidero paſſionem ſuſcipere, cum quibus credo me & futuram gloriam inuenire. Nolite putare, quia poteſtis ſeducere pueritiam meã. Simul nos dominus ſeptem voluit congregare, ſimul

dignabitur omnes vno martyrio coronare. Quomodo nemo perire potuit de ſeptenario illo numero felicium Machabæorum, ita etiam ſeptenus noſtræ congregationis numerus, nullũ inueniet detrimentum. Nam ſi negauero eum, & ipſe negabit me, quoniam ab ipſo dictum eſt: Qui me negauerit coram hominibus, negabo & ego eum coram patre meo qui eſt in cœlis. Et qui me confeſſus fuerit coram hominibus, confitebor & ego eum coram patre meo qui eſt in cœlis. Perducti itaque cum feſtinatione ad nauale ſupplicium pro voluntate infandi regis, vel crudelium miniſtrorum, extẽſis manibus & pedibus clauati feruntur potius quàm ligati. Qui dum ignis fuiſſet lignis iniectus, ſtatim imperio diuino videntibus cunctis extinctus eſt. Et dum ſæpius renouaretur nutrientibus pabulis, iterum atque iterum extinguebatur rogus globo flammarum, Et cum exinde magis tyrannus furore ſimul eſſet & rubore repletus, iuſſit eos remorũ vectibus enecari, & ita ſingulos in modum canum cerebris comminutis extingui. Qui tali genere mortis, debitum ſpiritum feliciter domino reddiderunt. Nec expauerunt lignis quatientibus mortificari, quibus ſemper fuit ſpes omnis in ligno. Sed cum in mari venerabilia corpora iactarentur, ilico quod contra naturã eſt æquoris, eadẽ hora illæſa corpora pelagus littori reddere maturauit: nec auſum fuit, vt moris eſt, triduana dilatione in profundo retinere, ne præ-

cepto dominico minime paruiſſet. Ad quod mi raculi genus,& ipſe tyrannus licet impœnitens, vt fertur expauit. Gaudẽs autẽ quæ aderat multitudo,corpora ſanctorum martyrum diligenti tradidit ſepulturæ præeũte clero venerabili Carthaginenſis eccleſiæ. Vbi etiã & prædicandi diacones,tertio iam confeſſores effecti, Salutaris& Muritta,geruli reliquiarum affuerunt. Humatæ ſunt igitur cum hymnis ſolennibus lipſanæ beatę ſanctorum,in monaſterio Biguæ cõtinuo baſilicæ quæ dicitur Celebrinæ. Et ſic in confeſſione trinitatis beatiſſimi martyres paſſi ſunt,& ſpecioſum curſum certaminis ſui coronante domino perfecerunt. Cui eſt honor & gloria,in ſecula ſeculorum, Amen.

FINIS.



